ORDO OFFICIORUM ECCLESIÆ SENENSIS.

ORDO OFFICIORUM
ECCLESIÆ SENENSIS
AB ODERICO

EJUSDEM ECCLESIÆ CANONICO

Anno MCCXIII. compositus:


ET NUNC PRIMUM

A

D. JOANNE CHRYSOSTOMO
TROMBELLI
BONONIENSI

CANONICORUM REGULARIUM EX-GENERALI,
ET S. SALVATORIS BONONIÆ ABBATE

Editus, & Adnotationibus illustratus, vindicatusque.





BONONIÆ MDCCLXVI.

EX TYPOGRAPHIA LONGHI. *Superiorum permissu.*

ILLUSTRISSIMIS, REVERENDISSIMIS, ATQUE AMPLISSIMIS
VIRIS SCIENTIA, PIETATE, ATQUE AVITÆ FAMILIÆ
SPLENDORE NOBILIBUS, ARCHIEPISCOPALIS
SENENSIS ECCLESIÆ CANONICIS,
AC DIGNITATIBUS

D. JO: CHRYSOSTOMUS TROMBELLI

S. SALVATORIS BONONIÆ ABBAS.

S. P. D.



Fficiorum Veſtræ præclariſſimæ Eccleſiæ Ordinem ab ODERICO Collegii veſtri Canonico Anno MCCXIII. editum, a SALLUSTIO BANDINO ejuſdem Eccleſiæ Archidiacono cum reliquis Codicibus ſuis, & Sacra ditiſſima ſupellectile Eccleſiæ Veſtræ jam pridem teſtamento relictum (*a*), nunc denique in præſtantiſſimam Uni-

a 2

(*a*) Anno 1364. Conſule laudatiſſimum Salluſtii Bandini elogium a Senenſi Scientiarum Accademia compoſitum.

Univerſitatis Veſtræ Bibliothecam illatum: Ordinem a Viris præſtantiſſimis ſæpe commemoratum, commendatumque (a), illuſtratum a me, ac vindicatum, Nomini Veſtro, atque honori dedico, conſecroque. Neque enim aliis dicandus is erat, niſi iis, quorum cauſa, ac ſtudio compoſitus eſt, curâque per tot ſæcula ſervatus, & ad nos uſque tranſmiſſus. Quantum porro laboris, ac vigiliarum in eo edendo, illuſtrando, confirmandoque impenderim, is facile aſſequetur, qui adjectas adnotationes expenderit; neque vero conveniens reor, ut mea ego ipſe commendem. Quidquid tamen operæ in id contuli, libentiſſime contuli: ut ſcilicet vobis, qui id vehementer optabatis, obſequerer, utque noſcerent eruditi, quiſnam antiquitus foret apud Vos in ſacris Officiis celebrandis mos, atque inſtitutio; quænam Canonicorum Regularium, qui eidem Eccleſiæ adminiſtrandæ deſtinati fuerant, diſciplina, & vivendi ratio: quænam denique veterum Canonum, ac Sacrorum Rituum obſervandorum in Italia diligentia, ac ſedulitas. Id fortaſſe adhuc manifeſtius aſſequeremur, ſi multi hujus generis Co-

(a) Ii ſunt; Jo. Albertus Fabricius *in Biblioth. Media, & Infima Latinitatis*, Illuſtriſs., & Reverendiſs Archiepiſc. Joan. Domin. Manſi in additionibus ad Anecdota Baluzii, Joan. Lami *in Ephemer. Litterar*: Muratorius *Antiquit. Medii Ævi*. Hieronymus Gigli *Diar. Senenſ.* Eques Peccius *Hiſtor. Epiſcopor. Senenſium*, aliique etiam.

Codices evulgarentur: ſed, uti audivi, pauciſſimi apud nos ii ſunt; neglecti enim fuere ſubſequentibus ſæculis, quibus Italia civilibus bellis, exterorum incurſibus, atque armis, aliiſque calamitatibus vexata eſt, atque afflicta, ideoque lacerati, ac deperditi præſtantiſſimi Codices noſtri, ac præſertim ſacri; ea quoque, quæ ſupererat eorum portio, in Gallias, in Germaniam, in Angliam aſportata eſt; eaque de cauſa Codex, quem edimus, majori in honore habendus eſt, atque ex eo veteres Eccleſiaſticæ conſuetudines, quæ apud nos ſervabantur, deſumendæ. Eum igitur accuratiſſime legite, laborem, ac ſtudium meum benevolo animo excipite, meque in eorum numero eſſe ſcitote, qui vos maxime obſervant, ac colunt.

Pridie Kal. Aprilis Anni MDCCLXVI.

INDEX

INDEX.

XXXV.

CVII.

CLXXVI.

CCXXXII.

CCLIX.

CCLXXXVI.

CCCXLIV.

CCCXCII.

CCCCXXX.

I. In-

PARS II.

XXVI.

LXXIV.

APPENDIX.



ORDO



ORDO OFFICIORUM ECCLESIÆ SENENSIS.

INCIPIT PROLOGUS
IN LIBRO [*]
DE ORDINE OFFICIORUM SENENSIS ECCLESIÆ.



Ilectis in Christo Fratribus Plebanis, Prioribus, & Cappellanis per Senensem Episcopatum constitutis, Capitulum Senensis Ecclesiæ æternam in Domino salutem. Officiorum ordinem, quem Senensis tenet Ecclesia, per totum anni circulum vobis in isto Libro digestum curavimus destinare, ut tanquam boni filii a doctrina, & forma vestræ Sanctæ Matris Ecclesiæ Senensis in nullo, sicut

[*] Idest in Librum.

nec debetis, aliquatenus discordetis; non enim probantur esse digna capitis membra, quæ deviant a suo capite, nec vere boni filii, qui student a suæ Matris recedere institutis. Sicut igitur audivimus, & vidimus, & ab antiquioribus nostris accepimus in nostra Ecclesia fuisse antiquitus usitatum, ad generalem utilitatem omnium Clericorum Episcopatus Senensis, & rectitudinis formam in Ecclesia nostra perpetuo conservandam, in aliis libris de Ordinibus Officiorum diligentius inquirentes, prout melius potuimus, & scivimus, hoc opus nostræ institutionis per singula feriatim studuimus ordinare. In quo quædam vobis, & universis Clericis valde utilia interseruimus, quæ assiduitate legendi, per vos Dei suffragante clementia, (*) *qui dat omnibus affluenter & non improperat*, evidenter scire poteritis & invenire, & de doctrina veraci omnibus vobis poscentibus firmam reddere rationem.

Quid

(*) Jacob. cap. 1. 5.

Quid sit Officium, & unde dicatur, & quis illud ordinavit in Ecclesia Dei? I.



Xpedit his, quos labor Officiorum exagitat, investigare quid sit *Officium*; & unde dicatur. *Officium est*, ut ait: Isidorus, *congruus actus uniuscujusque secundum leges, & mores Civitatis, vel instituta Professionis*. Alia namque sunt Instituta Monachorum, alia Canonicorum. Est autem Officium, ut ait Hieronymus, *quasi efficium, quia unusquisque debet efficere suum Officium:* (a) vel quia in eo sunt agenda, quæ prosint omnibus, & nulli officiant. Sunt autem Officia quædam generalia per totum annum observanda, ut Matutinæ, & septem horæ. Quædam specialia secundum diversitatem reperta: quædam secundum distantiam solemnitatum, - - - - - - - - - - alia in Adventu, alia in Pascha, alia - - - - - - - - - - - - - - - -
- -
veruntamen observabant Symbolum & Dominicam Orationem. Postmodum, cum hæreses pullulassent, Theodosius Imperator, qui hæreses extirpavit, Damasum Papam rogavit, ut Catholico viro committeret Ecclesiasticum Officium ordinare. Commisit ergo Hieronymo Presbytero, in tribus linguis hebraica, græca, & latina perito, qui Romæ sub septem Apostolicis fuerat conversatus, tunc autem morabatur in Bethleem cum Paula, & Eustochio. Ordinavit itaque Psalmos, Epistolas, & Evangelia, & ex maxima parte omnia Officia nocturna, & diurna præter cantum: quod opus Damasus Papa canonizavit, & per omnes Ecclesias observari præcepit. Gelasius, & Gregorius Orationes, & Cantus addiderunt, & Lectionibus, & Evangeliis coaptaverunt. De his igitur Officiis prosequentes, ab Officiis Adventus Domini, quasi a Librorum principiis inchoemus (b).

(a) Isidorus Lib. VI. *Etymol.* seu *Originum*, cap. postremo [XIX.] hæc docet: *Officium autem ab efficiendo dictum, quasi efficium, propter decorem sermonis una mutata littera, vel certe, ut quisque illa agat, quæ nullis officiunt, sed prosunt omnibus. Vespertinum Officium est in noctis initio &c.*

(b) Confer, obsecro, ea quæ in hac præfatione traduntur cum iis quæ docent Rabanus Maurus *de Institutione Cleric.* [lib. 1. cap. 32.] Durandus *Ration. Divin. Offic.* [lib. v. cap. 2.] Belethus *Explic. Divin. Offic.* (cap. 19.) Atque ex his duobus postremis Doctoribus disces, qua ratione facile suppleas ea, quæ in codice nostro desunt. Adiice quæ monet Clar. Auctor *Exercitationum Liturgicarum* an. 1754. Romæ editarum, Decad. I. exer. 2. & 3. In nona autem exercitatione diligenter expendit, an veritati consona ea sint, quæ de Hieronymo in hac præfatione traduntur, eaque rejicit. Legas, obsecro, quæ tradit Martene *de Antiq. Eccl. rit.* Lib. IV. cap. 1.

Quot Hebdomadæ ſint in Adventu, & qualiter inveniantur? II.

BEatiſſimi Patres noſtri Gelaſius, atque Gregorius Romani Pontifices ſcientia Scripturarum, & Apoſtolica auctoritate præcipui in libro *Sacramentorum*, quem alter primum ordinavit, alter poſtea diligentiſſime limavit, non niſi quatuor Dominicas in Adventu Dominico aſcribunt, talem titulum eis præfigentes: *Dominica prima de Adventu Domini*, *Dominica ſecunda*, *Dominica tertia*, *Dominica quarta*, quæ & proxima eſt ante Nativitatem Domini. Beatus Hieronymus in Lectionario, quem *librum Comitis* appellavit, (*a*) Dominicam quintam ante Nativitatem Domini prætitulavit. Quam Amalarius *Præparationem Adventus Domini* dixit. Deinde *quartam*, *tertiam*, *ſecundam*, *primam* uſque ad Nativitatem numeravit: ut e converſo apud Hieronymum *prima* nominetur, quæ apud Gelaſium, ſive Gregorium, & Amalarium *quarta* dicitur. Nos autem, ut a Statutis Patrum nuſquam deviemus, *quatuor* tantum Dominicas de Adventu obſervare, & in tertia Hebdomada ſemper jejunare debemus, ut & ipſum Sabbatum XII. Lectionum ante Vigiliam proximum occurrat, & ſequens Dominica vacantis nomen competenter obtinere valeat. Si quis vero de his omnibus latius conſiderare voluerit, in libro (*b*) Amalarii pleniter invenire poterit. Beda quoque Venerabilis Presbyter itidem ſenſiſſe non dubitatur, cum dixit. *Notum ſit omnibus, ut ſemper a quinto Kal. Decembris uſque in tertio Nonas ejuſdem Menſis, ubi dies Dominicus venerit, ibi Adventus Domini inchoetur, ita quod ſemper in Sabbato, quod eſt ante Vigilias Nativitatis Domini terminetur.* (*c*)

Quare

(*a*) De libro *Comitis*, ſeu ut alii appellant, *Comes*, conſule, quæ Cl. Vallarſius tradit pag. 523. Tom. XI. Editionis Veron. Oper. S. Hieronymi. Conſule etiam quæ Clar. idemque Reverendiſſimus Ant. Franc. Vezzoſi docet num. XIII. Præfationis in Tomum V. Oper. Vener. Card. Thomaſii.

(*b*) Lib. 3. cap. 40. & Lib. 4. cap. 30. Lege etiam, obſecro, ea quæ docet Berno Augienſis in libello *de quibuſdam rebus ad Miſſam ſpectantibus* cap. 4.

(*c*) Beda in Libello *de Argumen. Lunæ*, ſub titulo *de Adven. Domini*. Tom. I. Edit. Col. An. 1688. hæc habet: *Notum ſit omnibus hominibus, ut quicunque Adventum Domini diligenter vult celebrare, videat, ut nec ante V. Kal. Decembris, nec poſt nonas ipſius Menſis tranſeat: ſed in his ſeptem diebus, ubicunque dies Dominicus advenerit, ibi ſine dubio & abſque ullo ambiguitatis errore celebrare valebit*. Cæterum non ubique conſuetudinem hanc fuiſſe ſervatam, facile aſſequeris ex iis quæ copioſe tradunt Eruditiſſimi Thomaſinus *de jejuniis* agens: (Par. I. cap. 23., & Par. II. cap. 19.) quæ utique legas, volo; & Muratorius Tom. II. Anecdot. de IV. *Temporum jejuniis* cap. ultimo, ſeu octavo: hæc tantum ex eo decerpo: „ Aliquot poſt Montanum ſæculis pia nonnullorum conſuetudo increbuit, ut Quadrageſimæ „ tres, non ex prava Montaniſtarum imitatione, ſed ex Christiana pietate „ cole-

Quare dicatur Adventus *Domini*? III.

Notandum, quia illud tempus, quod Nativitatem Domini antecedit, propterea nominatur *Adventus*, quia in eo commemorantur partim ea quæ ad primum, qui fuit in carne, ut *Ecce Virgo concipiet*, partim quæ ad secundum, qui erit in Majestate; ut *ecce in nubibus Cæli*, partim quæ ad utrumque spectare videntur, ut *lætentur Cæli, & exultet Terra*. Quinque autem notantur Hebdomadæ propter quinque ætates sæculi præcedentis, in quibus præcessit venturi præconium Salvatoris, & in quibus electi fuerunt qui crediderunt, speraverunt, & dilexerunt Adventum Domini. Quatuor vero attitulantur propter legem, psalmos, prophetias, & Gentilium libros, in quibus omnibus Adventus Domini prænotabatur. Item per totum Adventum quædam letitiæ cantica subticentur, ut *Te Deum*, *Gloria in Excelsis Deo*, *Ite Missa est*, quia Justi ante Christi Adventum in Inferni tristitia tenebantur. *Te Deum* ideo subticetur, ut die festo cum majori gaudio resumatur. *Gloria in Excelsis* omittitur, ut quasi noviter cantetur ea die, qua per Angelos initium sumpsit. *Ite Missa est* ideo subticetur, ne populus, qui est docendus assidue, licentietur. *Alleluja* vero in Adventu non omittitur propter firmam spem antiquorum de Christi Incarnatione, & nostram certitudinem de futura glorificatione: & ita celebratur Adventus partim in ærumna, cum jejunatur pro nostra, & antiquorum dilatione, quia nondum habemus quod in secundo Adventu speramus, partim in gaudio cum dicimus *Alleluja*, quia per primum Adventum de eo quod in secundo speramus, certificati sumus. Item per totum Adventum in Ecclesia nostra Officia B. Virginis subticentur, eo quod totum Officium illius temporis ad Laudem ipsius pertinet Virginis, nisi quando infra Hebdomadam facimus tres, aut novem lectiones de aliquo festo, sed in die festo trium lectionum non dicimus Vesperum S. Mariæ, si sequenti die aliud Festum non sequatur. (a) *Qua-*

,, colerentur. Ex his jejuniis primum ante Pascha erat, alterum post Pentecostem, tertium ante Nativitatem Domini. Quare Carolus M. Imperator lib. 6. Capitular cap. 184. edictum hujusmodi profert: *Insuper admoneant Sacerdotes, ut legitima tria jejunia in anno agantur, idest XL. dies ante Nativitatem Domini, & XL. dies ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten XL. dies. Quanquam enim nonnulla ex his Canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis, & parentum nostrorum morem hec observare convenit.* Huc etiam respexit Amalarius lib. 4. de Eccles. Offic. cap. 37. ubi ait: *S. Hieronymus unam Quadragesimam ponit in observatione, nos observamus tres Quadragesimas, idest ante Pascha Domini, circa Festivitatem S. Joannis, & ante Nativitatem Domini.* Addit tamen: *Sic a piis mentibus frequentatur apud nos*, ut pateat abstinentiam hujusmodi non ex imperio, sed ex arbitrio fuisse usurpatam.,, Alia Cl. Muratorii huc pertinentia monita consulat, si vult, Lector. Addat quæ docet Martene *de Antiq. Eccl. rit.* Lib. IV. cap. 10.

(a) Confer hæc cum Capitibus I, II, III, & seq. Libri VI. *Rationalis Durandi*.

Qualiter sint facienda Officia S. Mariæ per totum Adventum. IV.

A Prima Dominica de Adventu Domini usque ad Nativitatem ipsius quandocunque aliqua festa recurrunt, de quibus intra Hebdomadam novem, aut tres Lectiones faciamus, Officia S. Mariæ dicimus in Vigiliis festi, a Vesperis S. Mariæ incipientes. Si tamen in feria secunda festum novem lectionum, quod non sit Apostoli, aut speciale nostræ Ecclesiæ, tunc non dicitur Vesperum S. Mariæ die Dominico, sed dicto Capitulo, Hymno. ℣. & Antiphona, & Oratione de Dominica, fit collecta de festo sequentis diei per Antiphonam, & Orationem. Quando autem festum Apostoli, vel speciale nostræ Ecclesiæ venerit in feria secunda, tunc die Dominica dicitur Vesperum S. Mariæ, & in Vesperis de die. Capitulum, Hymnus, ℣. Antiphona *ad Magnificat* fiunt de festo, & post fit Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem. Deinde Officia S. Mariæ taliter celebrantur. Ad Matutinum Invitatorium *Ave Maria*. Psalmus *Venite exultemus*. Hymnus *Quem Terra*. In secunda feria Antiphona *Missus est Gabriel*. Psalm. *Domine Dominus noster*. Antiph. *Angelus Domini*. Psalm. *Cæli enarrant*. Antiph. *Antequam convenirent*. Psalm. *Domini est terra*. In secundo Nocturno, & tertia feria Antiph. *Ne timeas Maria*. Psalm. *Eructavit*. Antiphona *Quomodo fiet istud*. Psalm. *Deus noster Refugium*. Antiphona *Ecce Ancilla Domini*. Psalm. *Fundamenta*. In tertio Nocturno, & in quarta feria Antiphona *Gabriel Angelus*. Psalm. *Cantate*. Prima Antiphona *Maria dixit, putas, qualis est*. Psalm. *Dominus regnavit exultet terra*. Antiphona *Beatam me dicent*. Psalm. *Cantate*. Secundo ℣. *Egredietur virga de radice Jesse*. Lectiones legantur singulis diebus de Evangelio *Missus est Gabriel Angelus*. Prima Lectio sit usque, *Et ait Angelus ei*, & ℟. *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam*. Secunda Lectio, *& ait Angelus ei* usque *dixit autem Maria*, & ℟. *Ave Maria gratia plena*. ℣. *Quomodo fiet istud*. Tertia Lectio, dixit *autem Maria* usque ad finem, & ℟. *Suscipe Verbum*. ℣. *Paries quidem Filium*. Ad primam, & ad tertiam Lectionem consuevit peti benedictio dicendo. *Jube Domine benedicere*, & Sacerdos dicit. *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria*. Vel *Virginis Mariæ filius sit nobis ubique propitius*. Vel *Maria Virgo Virginum ora pro nobis apud tuum Filium*. Post Lectiones dicitur *Te Deum Laudamus*. Deinde ℣. *Benedicta tu in mulieribus*. In Laudibus *Deus in adjutorium meum intende*. Antiph. *Prophetæ prædicaverunt*. Psalm. *Dominus regnavit decorem induit*. Et cæteri. Capitulum *Egredietur Virga*. Hymnus *O Gloriosa Fœmina*. (a) ℣. *Speciosa facta es & suavis*. Ad *Benedictus*: *Spiritus Sanctus in te descendet Maria*. Oratio *Deus qui de B. Mariæ*. Item pro pace Antiphona *Da pacem Domine*. ℣. *Fiat pax*. Oratio *Deus, a quo Sancta desideria*. Item de Cru-

(a) Plerique deinceps ante emendationem Urbani VIII. *O gloriosa Domina*.

Cruce. Antiph. *Salva nos Christe Salvator*. ℣. *Omnis Terra*. Oratio *Populum tuum quæsumus Domine*. Item de Angelis. Antiph. *Michael Archangele*. ℣. *In conspectu Angelorum*. Oratio. *Deus qui miro ordine Angelorum*. Item *de S. Joanne Baptista*. Antiph. *Inter natos Mulierum*. ℣. *Fuit homo missus a Deo*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus*. Item de Apostolis. Antiph. *Gloriosi Principes terræ*. ℣. *Annuntiaverunt Opera Dei*. Oratio, *Exaudi nos Deus salutaris noster*. Item de Sanctis. Antiph. *Sanctorum precibus cunctorum*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio *Propitiare*. Has omnes collectas scriptas superius, ita ordinate dicimus, quandocumque intra Hebdomadam de festo alicujus Sancti facimus per totum Adventum tantum tres lectiones; quando vero facimus novem lectiones de aliquo festo, non facimus collectam, nisi *de Sancta Maria*, & *pro pace*, & *de Sanctis* per supradictas Antiphonas, & Orationes, & in nulla Dominica de Adventu dicimus Matutinum, vel alias horas de Sancta Maria.

De Prima, & aliis horis Beatæ Mariæ. V.

AD Primam Hymnus *Memento salutis*. Antiphona *Gabriel Angelus*. Psalm. *Deus in nomine tuo*. *Benedixisti*. *Laudate Dominum omnes gentes*. Capitulum *Ecce Virgo*. ℟. *Christe Filii Dei vivi miserere nobis*. ℣. *Qui nasci dignatus es de Maria Virgine, miserere nobis*. *Gloria Patri &c.* ℣. *Post partum Virgo*. Oratio *Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus noster*: & de *Sanctis*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio: *Ut tibi Domine placere possimus*. Ad Tertiam Hymnus *Memento salutis*. Antiph. *Missus est Gabriel Angelus*. Psalm. *Ad Dominum cum tribularer*. Psalm. *Levavi*. Psalm. *Lætatus sum*. Capitulum *Et sic in Sion firmata sum*. ℟. *Ave Maria*. ℣. *Benedicta tu*. Oratio *Famulorum tuorum quæsumus Domine*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio, *Omnes Sancti tui Domine*. Ad Sextam Hymnus, *Memento*. Antiph. *Angelus Domini*. Psalm. *Ad te levavi oculos meos*. *Nisi quia Dominus*. *Qui confidunt*. Capitulum *Et radicavi in populo*. ℟. *Benedicta tu*. ℣. *Dignare me, laudare te*. Oratio *Concede quæsumus misericors Deus fragilitati nostræ*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio *Omnium Sanctorum tuorum quæsumus Domine intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducat æternam*. Ad Nonam Hymnus, *Memento*. Antiph. *Antequam convenirent*. Psalm. *In Convertendo*. *Nisi Dominus*. *Beati omnes*. Capitulum *Quasi Cedrus exaltata sum*. ℟. *Dignare me, laudare te*. ℣. *Da mihi virtutem*. *Gloria Patri*. ℣. *Post Partum Virgo*. Oratio *Deus qui Verbum tuum B. M. Virginis alvo*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio, *Tribue quæsumus Domine, omnes Sanctos & electos tuos*. Ad Vesperam Antiphona super Psalmos. *Ave Maria gratia*. Psalm. *Laudate pueri Dominum*. *Laudate Dominum omnes gentes*. *Lauda anima*. *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus*. Et *Lauda Hierusalem*. Capitulum *Egredietur Virga de radice Jesse*, Hy-

Hymnus *Ave Maris Stella*. ℣. *Spiritus S. superveniet in te*. *Ad Magnificat*. Antiph. *Maria dixit*. Oratio, *Deus qui de B. Mariæ*: postea fit collecta *de pace*, & de aliis, & *de Sanctis* per Antiphonam & Orationem, sicut supra scripsimus in Laudibus Matutinis, secundum quod dicere consuevimus, sive fiat festum trium, vel novem lectionum: & nota quod in nullo Sabbato Vesperum *de Sancta Maria* per totum Adventum dicere consuevimus, sive sit festum in illo Sabbato, vel in sequenti Dominica, sive non. Ad Completorium Antiphona super Psalmos *Beatam me dicent*. Psalm. *Sæpe expugnaverunt*. *De profundis*. *Domine non est exaltatum*. Hymnus *Virgo singularis*. *Vitam præsta puram*. *Sit Laus Deo*. Capitulum. *Ego Mater pulchræ dilectionis*. ℟. *Post Partum Virgo*. ℣. *Dei Genitrix intercede*. *Gloria Patri*. ℣. *Dignare me, laudare te*. Antiph. *Ecce Ancilla Domini*. Psalm. *Nunc dimittis*. Oratio *Protege Domine plebem tuam*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio, *Majestatem tuam Domine supplices exoramus*. (a)

De Festis, quæ sunt in Sabbatis de Adventu. VI.

IN Sabbatis per totum Adventum, si est festum novem lectionum, ad Vesperum super psalmos dicuntur Antiphonæ de Laudibus ipsius festi cum Psalmis, qui ad festum ejusdem festi dici consueverunt. Sed si festum novem lectionum non fuerit ipsa die Sabbati, Super Psalmos dicentur feriales. Antiphona *Benedictus*, & cæteræ cum Psalmis ferialibus.

De prima Dominica. VII.

IN Sabbato itaque præcedente primam Dominicam *de Adventu* ad Vesperum post Psalmos dicitur Capitulum. *Fratres scientes, quia hora est jam nos de somno surgere*. ℟. *Missus est Gabriel*. ℣. *Dabit ei Dominus*. Hymnus *Conditor alme syderum*. ℣. *Rorate Cœli desuper*. Ad Magnificat Antiph. *Ecce nomen Domini*. Oratio *Excita Domine, quæsumus, potentiam tuam*. Postea fit Commemoratio *de S. Maria*. Antiph. *Missus est Gabriel*. ℣. *Spiritus Sanctus superveniet in te*. Oratio *Deus qui de B. Mariæ*. Item *de Sanctis*. Antiph. *Ecce Dominus*. ℣. *Ecce apparebit Dominus*. Oratio *Conscientias nostras*. Similiter cotidie in Matutinis, & Vesperis per totum Adventum, sive fit festum, sive non, fit collecta *de Sancta Maria*, & *de Sanctis* per prædictas Antiphonas, & Orationes usque Vigiliam Nativitatis. In Completoriis super Psalmos Antiph. *Ecce Dominus noster cum virtute veniet*. Hymnus *Te deprecamur*. Capitulum *Ecce Dies veniunt*. ℟. *Ex Sion*

(a) Olim quælibet Diœcesis, & Claustralium Congregatio, ut alia multa, ita peculiare Virginis Officium sibi recitandum composuerat. Quam ob rem mirum non est, si modo descriptum Virginis Officium non modo a reliquis, verum etiam a vulgatissimo differat. Vide quæ alibi *de Mariæ Sanctissimæ Officio* differens tradidi.

Sion species decoris ejus. Deus noster. Gloria Patri. ℣. *Ut cognoscamus.* Deinde Antiphona *Qui venturus.* Psalm *Nunc dimittis. Kyrie III. Pater Noster &c.* Oratio *Excita Domine potentiam tuam & veni, & quod Ecclesiæ promisisti usque in finem sæculi, clementer operare.* Hanc orationem per totum Adventum dicimus. Ad Completorium & Primam similiter, & Oratio *Veritas tua,* nisi sit festum novem lectionum.

De Matutinali Officio. VIII.

AD Matutinum, Invitatorium *Domine præstolamur.* Hymnus *Verbum Supernum.* In primo Nocturno Antiphona, *Hora est jam nos.* Psalm. *Beatus vir,* usque *Domine Deus meus.* Antiph. *Nox præcessit.* Psalm. *Domine Deus meus* usque *salvum me fac.* Antiph. *Veniet ecce.* Psalm. *Salvum me fac Domine* usque *conserva.* ℣. *Ex Sion species decoris ejus.* In secundo Nocturno Antiph. *Confortate manus.* Psalm. *Conserva me.* Antiph. *Gaudete omnes.* Psalm. *Exaudi Deus.* Antiph. *Gaude & lætare.* Psalm. *Diligam te.* ℣. *Egredietur Virga de radice.* In tertio Nocturno Antiph. *Gabriel Angelus.* Psalm. *Cæli enarrant.* Antiph. *Maria dixit, putas.* Psalm. *Exaudiat te.* Antiph. *Salvatorem expectamus.* Psalm. *Domine in virtute.* ℣. *Egredietur Dominus de loco Sancto suo.* Primæ tres lectiones leguntur de Isaia, & in fine lectionum non dicitur: *tu autem Domine,* sed hæc: *dicit Dominus, Convertimini ad me, & salvi eritis.* Et est sciendum, quod ab Adventu Domini *usque* ad Vigiliam Nativitatis, (a) quia quanto de Domino prophetavit urbanius, tanto Nativitati ejus legitur proximius. Et cum in ordine legendi primæ tres lectiones de Nativitate Domini occurrerint: videlicet: *Primo tempore. Consolamini. Consurge,* quæ in nocte Nativitatis primo loco leguntur: *& omnes Sitientes. Surge illuminare. Gaudens gaudebo,* quæ similiter in nocte Epiphaniæ leguntur, per totum Adventum intermittuntur, quia pertinent ad Christum natum, cætera ad Christum nasciturum. Tres aliæ lectiones leguntur de Sermonibus Adventus Domini, qui sic incipiunt. *Propitia divinitate.* Nam cum præcessisset tenebrosa aqua, idest obscura doctrina in nubibus Prophetarum, secuti sunt expositores Sacræ Scripturæ, qui obscura dicta de Incarnatione, & Christi Nativitate suis expositionibus aperire studuerunt. Tres ultimæ lectiones leguntur de Homilia Evangelii: *Erunt signa in sole.* ℟. Cantatur de Historia: *Aspiciens a longe.* Consuetudo nostræ Ecclesiæ talis est in prima Dominica de Adventu, quod Cantor cum duobus Fratribus post Altare B. Virginis Mariæ æquali voce incipere consuevit primum ℟. de Historia *Aspiciens a longe.* Omnes versus, & *Gloria Patri* cum organo ibidem cantantur. Primus versus est *Quiquæ Terrigenæ.* Repetitio. *Ite obviam:* in Choro cantatur. Secundus versus, *Qui Regis Israel,* & repetitio *Nuntia nobis.* Tertius versus *Tollite portas,* & repetitio *qui regnaturus es.* Finita Gloria, Responsorium reincipitur a Cantore in eodem loco, & totum cantatur cum Organo usque *qui regnaturus.*

(a) Deest: *legitur de Isaia,* aut aliud affine.

De hoc Responsorio Aspiciens a longe. IX.

HOc Responsorium canitur in Persona Joannis Baptistæ, vel Sponsæ dicentis *Aspiciens a longe*, ideft a terra ad Cœlum. *Ecce video Dei potentiam*, ideft Filium Dei, cui data est potestas in Cœlo, & in Terra, velut per Incarnationem: *& nebulam totam terram tegentem*: ideft misericordiam Dei, *quia misericordia Domini plena est terra*. *Ite obviam ei*. Via Dei ad nos, fides est, vel misericordia. Via nostra ad Dominum Charitas est; & dicitur *nuntia nobis*: ideft revela per inspirationem, vel magis per tuam præsentiam: *si tu es qui regnaturus in Populo Israel*. Et quia Patres ante legem Adventum Salvatoris præviderunt, sub lege desideraverunt, sub gratia prædicaverunt. Idcirco tres versus sequntur, per quos Patres trium temporum intelliguntur. Per primum versum, *Quique Terrigenæ* designatur tempus ante legem, in quo & aliqui fuerunt, qui Deum non cognoverunt, & tantum temporalia dilexerunt. Quod notat illa pars versus, *Quique Terrigenæ*. Alii fuerunt qui cognoverunt & dilexerunt Dominum, sicut Abel, Enoch, & Elias. Quod notat illa pars *Filii hominum*. In hoc loco *Filii hominum dicuntur Filii Christi*, qui est *Filius hominis*, hoc est Mariæ. Quod dicit *dives & pauper*, divites dicit quod Terrigenas appellaverat. Pauperes, quos filios hominum. *Qui estis simul in unum*: ideft in uno ovili agni & hædi: in uno rete pisces boni & mali. *Ite obviam ei*. Ut vos mali per ingressum incipiatis. Vos boni per progressum proficiatis. Per secundum versum *qui regis Israel* rogatur Christus, ut intendat suis, liberando eos a potestate Diaboli, & per hoc notatur tempus sub lege, quando eos, qui sub lege erant, oportebat intendere legi, alioquin graviter puniebantur; quod dicit: *qui regis Israel*, ideft Judaicum Populum per doctrinam legis Deum videntem. *Qui deducis*: de virtute in virtutem, ducis *velut ovem Joseph*, scilicet innocentem populum gentilem. *Intende*: ideft, super nos lumen pietatis infunde. Per tertium versum, scilicet *Tollite portas*, tempus gratiæ designatur, quoniam portæ Paradisi apertæ sunt, & aditus Cœlestis gratiæ patuit credentibus in Christum, portæ etiam Inferni fractæ sunt, & animæ Sanctorum inde abstractæ, & ad Cœlum deportatæ, juxta illud (a), *ubicumque fuerit Corpus, illic congregabuntur & aquilæ*: & (b) *cum exaltatus fuero* (in Cruce), *omnia traham ad me ipsum*, quæ digna sunt trahi; & hoc est quod dicit. O Principes & Potestates aeris hujus tollite, ideft auferte, portas mortis, scilicet vitia, per quæ Diabolus intrat ad corda: & o *Portæ æternales*, Virtutes ad æternitatem ducentes, elevamini contra vitia, & per vos introibit *Rex gloriæ*, & habitabit in vobis: (c) *qui regnaturus est in populo Israel*. Et adtende quod ad tertium versum non respondetur *nuntia nobis*, quia Patres novi Testamenti certificati sunt de Adventu Christi, & Patres gratiæ certi erant de introitu Regis gloriæ; & quia non sufficit fides

---

(a) Dur. Rat. VI. 3. (b) Lucæ XVII. 37. (c) Jo. XII. 32.

des Incarnationis sine fide Trinitatis, subsequitur *Gloria Patri, & Filio*. Vel tres versus cum una *Gloria*, representant, quod Patres Deum Trinum, & Unum intellexerunt. Secundum ℟. *Aspiciebam*. Tertium ℟. *Ecce dies veniunt*. Unde notandum est, quod per totum Adventum in Ecclesia nostra cum Organo cantantur in diversis diebus. Tertium ℟. *Ecce dies veniunt*. Sextum ℟. Antiph. *Multum tempus*. Et nonum ℟. *Ecce Dominus veniet*. *Te Deum Laudamus* non dicimus usque in noctem Nativitatis, nisi in Festis Sanctorum, in quibus novem lectiones facimus.

De Laudibus Matutinalibus, & Prima, & Officio Missæ. X.

IN Laudibus ℣. *Emitte Agnum*. *Deus in adjutorium meum intende*. Antiph. *In illa die*. Psalm. *Dominus regnavit, decorem*. Antiph. *Jucundare*. Psalm. *Jubilate*. Antiph. *Ecce Dominus veniet*. Psalm. *Deus, Deus meus*. Antiph. *Omnes sitientes*. Psalm. *Benedicite*. Antiph. *Ecce veniet Propheta*. Psalm. *Laudate Dominum de Cælis*. Capitulum, *Fratres, scientes quia hora est*. Hymnus *Vox clara*, & cantatur cum organo eo tono, quo canitur *O gloriosa Domina*: & taliter facimus de antiqua consuetudine in Dominicis diebus, & secunda, & quarta, & sexta feria per totum Adventum, & nota quod isti Hymni, *Conditor alme syderum* ad Vesperum, *Verbum supernum* ad Matutinum, & *Vox clara* in Laudibus per totum Adventum in Dominicis, & ferialibus diebus dicuntur: nisi fiat majoritas Officii de aliquo festo. Item ℣. *Vox clamantis in Deserto*: ad Benedictus Antiph. *Spiritus Sanctus*. Oratio *Excita*. Postea fit collecta de S. Maria, & de Sanctis per Antiphonam, & Orationem, sicut supra fecimus in Vesperis. Ad primam Hymnus *Jam lucis orto*. Antiph. *Jucundare*. Psalm. *Deus in nomine tuo*. *Beati immaculati*, & *Quicumque vult*. Quod omni die Dominico dicitur per totum annum, nisi sit tempus Paschale, vel nisi fiant novem Lectiones de aliquo festo. Item *Deus, Deus meus, respice in me*: in Ecclesia nostra non dicitur usque Septuagesimam. Capitulum *Ecce Virgo concipiet, & pariet*. Hoc Capitulum per totum Adventum omni die dicitur ad primam, exceptis diebus, in quibus facimus festum novem Lectionum. ℟. *Christe Filii Dei vivi;* & canitur eo tono per totum Adventum, quo *Veni ad liberandum* cantari consuevit, nisi fiat majoritas Officii de aliquo festo. ℣. *Exurge Christe adjuva nos*. Oratio, *Excita Domine*. Ad Missam: Officium. *Ad te levavi*. Et nota quod consuetudo nostræ Ecclesiæ talis est, ut in Missa populari a Dominica prima de Adventu Domini usque ad Nativitatem, tres tantum Orationes dicamus. Primam *de Dominica*. Secundam *de Sancta Maria*: *Deus qui de Beatæ*. Tertiam *de Sanctis*: *Conscientias nostras*. *Gloria in Excelsis Deo* per totum Adventum ad Missam dimittimus usque in noctem Nativitatis Domini, nisi in festis Sanctorum de quibus facimus novem Lectiones, ut ea die noviter cantetur, qua per Angelos sumpsit initium, quando primo

ab eis fuit Paſtoribus nuntiata. Epiſtola *Fratres ſcientes, quoniam hora eſt:* poſt Graduale dicitur *Alleluja: Oſtende* cum Organo. Nam per totum annum in Dominicis diebus Cantor cum duobus ad Miſſam popularem, & majorem cum Organo cantat *Alleluja*. Evangelium. *Erunt ſigna in Sole*. Poſt Officium dicitur *Credo in unum Deum*. Præfationem *de Trinitate* ab hac Dominica uſque Octavam Pentecoſtem dimittimus, & dicimus communem Præfationem per totum Adventum.

De Ordine Proceſſionis. XI.

POſtea congrua hora facimus Proceſſionem, in qua cantatur Antiph. *Ave ſpes noſtra*; & alia Antiph. *Ab antiquis nos audi*. Has duas Antiphonas in Dominicis diebus, dum aqua benedicta ſpargitur, per totum Adventum cantamus. Et eas raro cantando tamdiu reiteramus, donec Sacerdos aſpergat aquam benedictam Altaribus ſuperius, & inferius, & revertatur in Chorum. Poſtea idem Sacerdos ſpargendo aquam præcedit Crucem ad Proceſſionem, & Cuſtos portans Crucem, & totus Clerus ſequitur, & in eundo per Clauſtrum Canonicæ cantamus cum Organo ℟. *Ecce Dies veniunt*. Cum autem venerimus ante Januas Eccleſiæ, ibi more ſolito facto Choro, & cantato ℟. ſtatim Sacerdos qui ſparſit aquam ſtans in ſolio januarum dicit ℣. *Oſtende nobis Domine:* Et Orationem de Dominica uſque *per omnia ſæcula ſæculorum*. Dicto *Amen*, cantatur in introitu Eccleſiæ Antiph. *Maria dixit*, cum Organo. Poſt quam omnes cum Antiphona reverſi fuerint in Chorum, Septimanarius incipit Tertiam. Poſtea cantatur Hymnus *Nunc Sancte*, eo tono, quo *Verbum Supernum*. Et ſciendum eſt, quod eodem tono cantantur omnes Hymni feriales in ſingulis horis diei per totum Adventum, & ſemper in fine additur *Laus, honor, virtus, gloria*, niſi fiat majoritas Officii de aliquo feſto. Item Antiph. *Ecce Dominus*. Capitulum *Scientes, quia hora*. ℟. *Veni ad liberandum*, Et æquali voce totum ℣. *Timebunt Gentes*. Item ad Miſſam majorem Officium: ad te *levavi animam*. ℣. *Vias tuas Domine*, cantatur a duobus æquali voce, & non cum Organo. Et ſic fit in Dominicis diebus per totum Adventum. Item *Gloria in Excelſis* non dicitur, ut ſuperius dictum eſt, & unam tantum Orationem in qualibet Miſſa majori dicere conſuevimus in Eccleſia noſtra per totum annum.

Quare Diaconi, & Subdiaconi Planetas induunt. XII.

NOtandum, quod a prima Dominica de Adventu uſque ad Nativitatem Domini, in Dominicis diebus nec Subdiaconus Tunicam, nec Diaconus Dalmaticam induunt, ſed uterque caſulam, id eſt Planetam, quæ uſque ad talos operit, ut per hoc intelligamus, notitiam Dei a nullo habitam ante Mundi conditionem, & prius in paucis fuiſſe juxta il-

ta il-

ta illud (*a*) *Notus in Judæa Deus:* Dicta oratione a Sacerdote, Subdiaconus exuit Casulam, quasi profitens illam non esse vestem propriam, sed ob reverentiam Dominicæ diei eam recepisse commodatam. Deinde legit Epistolam. Ea lecta statim reinduit Planetam. Post lectam Epistolam duo cantant Graduale. *Universi* ℣. *Vias*. Postea cantor cum illis duobus canit *Alleluja*. *Excita*, cum Organo. Diaconus vero, dum cantatur Graduale, & Alleluja, exuit Planetam, & plicat eam, & sic plicatam ponit super sinistrum humerum, quia oportet prædicatorem ex charitate, sui, & (*b*) alterius *onera ferre* & (*c*) sibi *lumbos præcingere*, & lucernas *in manibus ardentes habere*: vel tractum est ab antiquis Sacerdotibus, qui dum sacrificabant (*d*), summitates Baltei super lævum humerum reflectebant. Vel plicatura illa significat, quod notitia Dei, qui per Evangelium annuntiatur, in aliqua parte sui manifesta est, & in alia obscura. Sed quod latet, Spiritui Sancto est referendum, juxta illud quod dicitur de Agno Paschali: (*e*) *Quod residuum fuerit, igni comburatur*, idest quod de Scriptura Divina nobis occultum, vel de cognitione Dei obscurum est in præsenti tempore, Spiritui Sancto reservetur, qui nobis in futuro manifestabit omnia (*f*), quoniam *cognoscemus eum sicut & cogniti sumus*. In sinistro latere ponit Casulam Diaconus, ut per hoc ostendatur quoniam armati, & expediti esse debemus contra illum inimicum nostrum Diabolum, qui semper a sinistris nobis est, ut nos, si possit, decipiat. Cui tamquam inimico nostro, qui quærit nos semper devorare, (*g*) & occidere, opponimus clypeum nostrum, hoc est Evangelium, ut per hoc possimus ipsum fugare a nobis, & expellere, ne nobis valeat nocere. Cum autem Diaconus venerit ad legendum Evangelium, stans ad sinistram partem Altaris, cum Libro Evangelii vertit se ad Septentrionem. Et facit sibi signum Crucis in fronte, & post incipit Evangelium, & omnes Auditores similiter debent facere, quando vero legitur Evangelium, debet ibi esse ignis, juxta illud in canticis. (*h*) *Surge Aquilo, & veni Auster, & persla hortum meum*. Aquilo ventus frigidus est, qui congelat, & constringit aquam, Auster ventus calidus est, & dissolvit nivem, & glaciem, & calefacit. Per Aquilonem Diabolus intelligitur, qui congelat, & constringit corda Infidelium & mentes, ne se extendant ad bona opera. Ventus Auster Spiritum Sanctum significat, qui gratia sua corda hominum a frigore infidelitatis dissolvit, & amore suo calefacit, hoc est quod dicitur, *Surge Aquilo*, hoc est Diabole & recede a nobis, & *veni Auster*, hoc est Spiritus Sanctus, *persla hortum meum:* hoc est mentem meam, ut herbas & plantas; hoc est fructum tibi gratum faciat (*i*).

Quare

[*a*] Psal. LXXV. 2. [*b*] Ad Gal. VI. 2. [*c*] Luc. XII. 35. (*d*) Exod. XXXIX. 4. 5. 19. Levit. VIII. 7. 13. [*e*] Exod. XII. 10. (*f*) I. ad Cor. 13. 12. (*g*) I. Pet. V. 8. (*h*) VI. 16. (*i*) Vide Durand. Rat. II. 9.

Quare Signum Crucis facimus in principio Evangelii? XIII.

DIcto Evangelio Diaconus, & totus populus faciunt sibi signum Crucis in fronte. Ideo enim ad principium Evangelii nos signamus, ne Diabolus suggerendo nobis illicita, & cogitationes malas, nos impediat, ut puro corde verba Evangelii non audiamus. In fine vero ideo nobis Signum Crucis imprimimus, ne Diabolus possit auferre a mentibus nostris semen Verbi Dei, quod jam audivimus, & quasi reposuimus in sacculo Cordis nostri. Diaconus dicto modo tenet super humerum plicatam Planetam usque dum incipiat cantari Communio, & tunc explicat eam, & dimittit ipsam usque ad talos, & totus ex ea cooperitur, quia quæ ventura sunt in futuro sæculo, nobis omnino in hac vita operta sunt & occulta. Dicta Oratione post Communionem a Sacerdote Diaconus stans versus ad Altare dicit *Benedicamus Domino*: nam *Ite Missa est*, nunquam dicitur, nisi quando canitur *Gloria in Excelsis Deo*. Quod hic dictum est de Planetis, quas Diaconi, & Subdiaconi in Dominicis de Adventu induunt, idem attendatur a Septuagesima usque in Pascha, exceptis festis Sanctorum novem Lectionum, & Dominica de Ramis Palmarum ad Processionem, & quinta feria Majoris Hebdomadæ in reconciliatione Pœnitentium, & Chrismatis confectione, in quibus semper Tunicis, & Dalmaticis utimur, ob reverentiam solemnitatum.

De horis Diei, & Vespero. XIV.

POst majorem Missam statim cantatur Sexta, & Hymnus *Rector potens* in tono, quo dictum est superius. Antiph. *Omnes sitientes*. ℟. *Ostende nobis Domine*. ℣. *Memento Domine in beneplacito*. Ad Nonam Hymnus *Rerum Deus*, in tono quo dictum est. Antiph. *Ecce veniet*. ℟. *Super te Hierusalem*. ℣. *Domine Deus virtutum*. Et nota quod hoc Responsorium, & Versiculus per totum Adventum omni die dicuntur ad horas, nisi fiat Officium de aliquo festo. Ad Vesperum Antiph. de Laudibus Dominicæ diei cum Psalmis Dominicalibus, & eædem Antiphonæ semper in Dominicis de Adventu dicuntur ad horas, & ad Vesperum. Item Capitulum *Scientes, quia hora est*. Hymnus. *Conditor alme*. Ad Magnificat Antiphona *Spiritus Sanctus*. Oratio *Excita Domine*. Postea fit Collecta de S. Maria, & de Sanctis per Antiphonam, & Orationem, ut supra dictum est. Notandum autem, quod per totum annum in Sabbatis ad Vesperum, & ad Matutinum in Laudibus, & in Tertia, Sexta, Nona, & Vespero ipsius Dominicæ diei semper dicimus Capitulum de Dominicali Epistola, & Orationem de Dominica, quandocunque de Dominica facimus majoritatem Officii.

De secunda Feria in prima Hebdomada de Adventu. XV.

FEria secunda ad Matutinum Invitatorium *Regem venturum Dominum*. Hymnus *Verbum Supernum*. Antiph. *Dominus Defensor*. Psalm. *Dominus illuminatio*, & cæteri Psalmi cum suis Antiphonis de feria. ℣. *Ex Sion species*. Primæ duæ Lectiones leguntur de Isaia, tertia de Sermonibus. Duo ℟. de Historia Dominica, tertium ℟. *Ecce dies veniunt*, & totum cantatur cum Organo. Item ad Laudes ℣. *Egredietur Virga*. Antiph. *Miserere mei*. Psalm. *Miserere*, & cæteri Psalmi cum suis Antiphonis de feria. Capitulum *Ecce dies veniunt*. Hymnus *Vox clara* cum Organo. ℣. *Emitte Agnum*, ad Benedictus Antiph. *Angelus*: Or. *Excita*, & Antiphona, & Oratio de S. Maria, & de Sanctis. Ad Primam Hymnus *Jam lucis*, in tono, quo *Verbum supernum*. Antiph. *Jucundare*. Psalm. *Deus in nomine*, & cæteri. Capitulum, Responsorium, Versiculus, Oratio sicut supra diximus ad Primam de Dominica, ad tertiam Hymnus *Nunc Sancte*. Antiph. *Ecce Dominus*. Capitulum *In diebus illis salvabitur Juda*. ℟. *Veni ad liberandum*. ℣. *Ostende faciem*. ℣. *Timebunt*. Oratio *Excita*. Ad sextam Hymnus *Rector potens* in tono, quo *Verbum Supernum*. Antiph. *Omnes sitientes*. Capitulum *Rorate Cœli*. ℟. *Ostende nobis*. ℣. *Memento nostri*. Oratio *Excita*. Ad nonam Hymnus, *Rerum Deus* in tono, quo *Verbum*. Antiph. *Ecce veniet*. Capitulum *Venite ascendamus ad Montem Domini*. ℟. *Super te Hierusalem*. ℣. *Domine Deus virtutum*. Oratio *Excita*. Ad Vesperum Antiph. Super Psalmos *inclinavit Dominus*. Psalm. *Dilexi*. Capitulum *Egredietur virga*. Hymnus *Conditor*. ℣. *Rorate*. Ad Magnificat, Antiph. *Hierusalem*. Oratio *Excita*. Postea fit collecta de *S. Maria*, & de *Sanctis*, ut supra dictum est. Ad Completorium per totum Adventum nihil mutetur de eo, quod supra dictum est in Sabbato.

De diebus Ferialibus per totum Aventum. XVI.

NOta quod in omnibus ferialibus diebus usque ad Nativitatem Domini, ad Matutinum dicitur Invitatorium *Regem venturum*, exceptis diebus jejuniorum quatuor temporum, scilicet quarta, & sexta feria, & Sabbato, in quibus habentur propria Invitatoria; & Hymnus *Verbum Supernum*. Antiph. & Psalmi feriales per singulas Hebdomadas dicuntur in Nocturno. ℣. de *Adventu*, & semper duæ Lectiones primæ leguntur de Isaia, & tertia de Sermonibus, & ℟. cantantur de Historia Dominicali. Sed in secunda feria tertium ℟. *Ecce dies venient*. In quarta feria tertium ℟. Antiph. *Multum*. Et in sexta feria tertium ℟. *Ecce Dominus veniet*, cantantur cum Organo. In Laudibus Antiph. feriales cum Psal-

mis.

mis de feria. Capitula de Adventu, ficut fupra pofuimus in fecunda feria, nec in Laudibus, nec per horas diei mutantur. Hymnus *Vox clara (a)*, qui femper in fecunda, quarta, & fexta feria cantatur cum Organo. Omnes ℣. dicuntur de Adventu. Ad *Benedictus* per fingulas Hebdomadas habentur propriæ Antiphonæ omni die in Antiphonario. Semper autem in Laudibus, & in omnibus horis diei dicitur Kyrie III. Pater nofter, Verficuli Quadragefimales, & Pfalm. *Miferere mei* cum genuflexione, nifi fiat de aliquo fefto, & cotidie in Laudibus, & Vefperis tantum poft Orationem de Adventu fit collecta de *S. Maria*, & de *Sanctis (b)* per Antiphonam, & Orationem. Ad primam, & alias horas diei cantantur Hymni feriales in tono quo *Verbum Supernum*, & Antiph. de Laudibus Dominicalibus. Capitulum, ℟. ℣. nullo die mutantur de his quæ fupra dicta funt in fecunda feria, nifi fieret Officium de aliquo fefto. Cotidie pulfatur ad tertiam, & fextam, & per intervalla horæ cantantur. Quandocunque autem per horas cantamus Antiph. de Laudibus, femper ad primam incipimus fecundam Antiphonam, deinde dicimus alias ordinate per alias horas diei; & fciendum eft quod fupradicta Capitulum cum præmiffis ℟. & ℣. dicuntur ufque in Vigiliam Nativitatis, nifi fieret Officium de aliquo fefto. Ad Vefperum cotidie, nifi fuerit feftum novem Lectionum, dicuntur Antiphonæ fuper Pfalmos de feria, & Pfalmi fimiliter. Capitulum, Hymnus, ℣ ut fupra in fecunda feria. Ad *Magnificat* fingulis diebus per Hebdomadam habentur propriæ Antiphonæ. Item Oratio de *Dominica*, quæ fpecialiter ad Matutinum, & Vefperum cotidie, nifi fiat Officium de aliquo fefto, femper dici confuevit. Infra Hebdomadam vero ad tertiam, fextam, & nonam dicuntur *Orationes feriales*, fi habeantur. Feria tertia ad Benedictus Antiph. *Antequam convenirent*. Ad Magnificat Antiph. *Quærite Dominum*. Feria quarta ad Benedictus Antiph. *Erumpant*. Ad *Magnificat* Antiph. *De Sion exibit lex*. Feria quinta ad Benedictus Antiph. *Benedicta*. Ad Magnificat Antiph. *Expectabo Dominum*. Feria fexta ad Benedictus Antiph. *Ecce veniet Dominus*. Ad Magnificat Antiph. *Ex Ægypto vocavi*. Sabbato ad *Benedictus* Antiph. *Sion, noli timere*.

De Feftis quæ veniunt in Dominicis de Adventu. XVII.

SI feftum novem Lectionum in aliqua Dominica Adventus Domini venerit, majoritatem Officii facimus de *Dominica*, & III Lectiones in medio de fefto, fi propriam legendam tamen habuerimus; fed fi non habuerimus legendam, tantum in Vefpero, & Matutino facimus inde collectam per Antiphonam, & Orationem; & eft notandum quod de quocunque facimus majoritatem Officii per totum annum, femper ad Vefperum

(a) Confule hunc Hymnum in vetuftis Breviariis Romanis. (b) Duran. Ration. Lib. VI. cap. 2. n. 7. *Ecce Dominus veniet &c.*

rum de ipso dicimus Capitulum, Hymnum, & Orationem, exceptis festis Sanctorum, quæ sunt a Nativitate Domini usque Octavam Epiphaniæ, in quibus etsi fiat majoritas Officii in aliis, de festo quod tunc est, in Vesperis tamen Antiphona super Psalmos, Capitulum, Hymnus, ℣. Antiph. ad *Magnificat*, & Oratio dicuntur de *Nativitate*, & postea fit collecta de festo. Item ad Matutinum de festo, unde facimus majoritatem, canimus Invitatorium, Hymnum, & Antiph. super Nocturnum, si facimus inde novem Lectiones, & Psalmos, & Responsoria de festo, & omnes Antiphonas de Laudibus festi cum suis Psalmis, & Capitulo, Hymno, ℣., & Antiphona, ad *Benedictus* de festo. Item ad primam, & per omnes horas diei, & ad Vesperum super Psalmos cantantur Antiphonæ de Laudibus ipsius festi. Si autem festum trium Lectionum in aliqua Dominica de Adventu Domini venerit, facimus tantum collectam in Vesperis, & Matutino per Antiphonam, & Orationem, & in Missa populari per Orationem.

De Festo trium Lectionum intra Hebdomadam. XVIII.

SI vero festum trium Lectionum infra Hebdomadam in feria secunda venerit, si eam diem festum novem Lectionum non præcesserit, in vigilia ad Vesperum super Psalmos dicentur Antiphonæ de feria cum suis Psalmis, & Capitulum, Hymnus, ℣. & Antiph. ad *Magnificat* dicentur de festo sequentis diei. Si tamen festum novem Lectionum præcesserit, ad Vesperum super Psalmos dicentur Antiph. de Laudibus festi præcedentis, & Capitulum, Hymnus, ℣. Antiph. ad *Magnificat*, & Oratio dicentur similiter de festo præcedenti, & postea fit collecta per Antiphonam, & Orationem de festo trium Lectionum sequentis diei. Item ad Matutinum, Invitatorium cantabitur de eodem festo in tono, quo canitur *Regem venturum Dominum*, & Hymnus de festo. Item Antiphonæ, & Psalmi Nocturni dicentur de feria, & ℣., Lectiones, & ℟. de festo. Item in Laudibus ℣. de festo, & sub prima Antiphona de Laudibus festi dicentur ℣. Psalmi qui per totum annum dicuntur in Laudibus festivitatum. Scilicet *Dominus regnavit, decorem. Jubilate. Deus, Deus meus ad te. Benedicite: & Laudate Dominum de Cælis*. Item ad Primam cantatur secunda Antiphona de Laudibus festi. Deinde ad Tertiam, Sextam, & Nonam cantantur aliæ Antiphonæ de eisdem Laudibus, & ℟., & ℣. de ipso festo, postea in Vesperis fiet tantum de feria.

De Festo Apostoli, vel speciali nostra Ecclesia. XIX.

SI autem in aliqua Dominica de Adventu festum Apostoli, vel speciale nostræ Ecclesiæ venerit, tunc in Vigilia ad Vesperum post Orationem de Dominica dicetur ℟. ℣., & Oratio de festo. In Matutino autem dicentur tres Lectiones in medio cum suis Responsoriis de festo, & ultima Lectio similiter fiet de festo cum suo Responsorio, & *Te Deum Laudamus* cantabitur. In Laudibus canentur Antiphonę de festo cum suis Psalmis, Capitulo, Hymno, & ℣., & Oratione, & fiet collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem post Orationem de festo. Cum enim sit Officium de festo, post Orationem de Sancto, in Matutino, & Vesperis dicitur propria Antiphona, & Oratio de Adventu. Si vero in die, quo majoritatem Officii de Adventu facimus, commemorationem de aliquo Sancto faciamus, tunc Orationem de Adventu postponimus. Item prior Missa de festo cum *Gloria in excelsis*, & secunda de *Dominica* sine *Gloria in Excelsis* dicetur. Ad Processionem ℟., & Antiphona, vel *Gloria* in ingressu Ecclesiæ, & major Missa tantum de festo canentur, & tunc per horas diei, & Vesperas dicentur Antiphonæ de Laudibus festi. Sed si festum Apostoli, vel nostræ Ecclesiæ in secunda feria venerit, semper in Vesperis, Capitulum, Hymnus, ℣, Antiphona ad *Magnificat* dicentur de festo.

De secunda Dominica, & ejus Hebdomada in Adventu Domini. XX.

IN Sabbato præcedente secundam Dominicam de Adventu ad Vesperum, Capitulum *Fratres quæcumque scripta sunt*. ℟. *Festina ne tard.* Hymnus *Conditor*. ℣. *Rorate*. Ad *Magnificat*, Antiph. *Veni Domine visitare*. Oratio *Excita Domine Corda*. Ad Matutinum Invitatorium *Rex noster advenict*. Hymnus *Verbum Supernum*. Consuetudo nostræ Ecclesiæ est, ut in secunda Dominica de Adventu, & in quarta hoc ordine in tribus Nocturnis Antiphonæ cantentur. In primo Nocturno Antiph. *Missus est Gabriel*. Psalm. *Beatus Vir*. Antiph. *Angelus Domini*. Psalm. *Domine, Deus meus*. Antiph. *Antequam convenirent*. Psalm. *Salvum me fac Domine*. ℣. *Ex Sion species*. In secundo Nocturno Antiph. *Ne timeas Maria*. Psalm. *Conserva*. Antiph. *Quomodo fiet istud*. Psalm. *Exaudi Domine*. Antiph. *Ecce Ancilla Domini*. Psalm. *Diligam te, Domine*. ℣. *Egredietur Virga*. In tertio Nocturno Antiph. *Gabriel Angelus*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Maria dixit*. Psalm. *Exaudiat te*. Antiph. *Beatam me dicent*. Psalmus *Domine in virtute*. ℣. *Egredietur Dominus*. Tres Lectiones de Isaia, & tres de Sermonibus, tres ultimæ de Evangelio *Cum audisset Joannes*. ℟. de hi-

storia

ſtoria, *Hieruſalem cito veniet*, & cætera. In Laudibus. ℣. *Emitte Agnum*. Antiph. *Ecce in nubibus Cæli*, & cæteræ. Capitulum de Dominicali Epiſtola. Hymnus *Vox clara*. ℣. *Vox clamantis*. Ad Benedictus Antiph. *Joannes autem*. Oratio *Excita*, & collecta de *Sancta Maria*, & de *Sanctis*, ut ſuperius dictum eſt. Ad Miſſam, Officium *Populus Sion*. Epiſtola, *Quæcumque ſcripta ſunt*. Alleluja. *Rex noſter*, cum Organo. Evangelium *Cum audiſſet Joannes in vinculis*. Ad Proceſſionem ℞. Antiph. *Multum*; & in ingreſſu, Antiph. *Maria dixit*. Per omnes horas diei, & ad Veſperum Antiphonæ de Laudibus dicantur, & Capitulum de Dominicali Epiſtola. Ad Magnificat Antiph. *Ite, dicite Joanni*. Feria ſecunda ad *Benedictus*, Antiph. *De Cælo veniet*, ad Magnificat *Ecce Rex venit*. Feria tertia ad *Benedictus*. Antiph. *Super te Hieruſalem*. Ad *Magnificat* Antiph. *Ecce Rex venit Dominus terræ*. Feria quarta ad *Benedictus* Antiph. *Ecce mitto*. Ad *Magnificat* Antiph. *Sion renovaberis*. Feria quinta ad *Benedictus* Antiph. *Tu es, qui venturus*. Ad *Magnificat* Antiph. *Qui poſt me venit*. Feria ſexta ad *Benedictus* Antiph. *Dicite puſillanimes*. Ad *Magnificat* Antiph. *Cantate Domino*. Sabbato ad *Benedictus* Antiph. *Levabit Dominus*.

De tertia Hebdomada in Adventu Domini. XXI.

IN Sabbato ante tertiam Dominicam. Capitulum *Fratres ſic nos exiſtimet homo*. ℞ *Qui venturus es*. Hymnus *Conditor*. ℣. *Rorate Cæli*. Ad *Magnificat* Antiph. *Ante me non eſt*. Oratio *Aurem tuam*, & collecta de *Sancta Maria*, & de *Sanctis* per Antiphonam, & Orationem. Ad Matutinum Invitatorium *Surgite, vigilemus*. Hymnus *Verbum Supernum*. Antiph. *Hora eſt*, & cæteræ quæ ſequuntur cum Pſalmis, & Verſiculis, ut ſupra poſuimus in prima Dominica de Adventu. Tres Lectiones de Iſaia, tres de Sermonibus, & tres ultimæ leguntur de Evangelio *Miſerunt Judæi*. ℞. cantantur de hiſtoria *Ecce apparebit*. In Laudibus Antiph *Veniet Dominus*, & cæteræ. Capitulum de Dominicali Epiſtola. Hymnus *Vox Clara*. ℣. *Vox clamantis*, ad *Benedictus* Antiph. *Super ſolium*. Ad Miſſam, Officium *Gaudete in Domino*. Epiſtola *Sic nos exiſtimet homo*; poſt Graduale, Alleluja *Excita Domine* cum Organo. Evangelium *Miſerunt Judæi*. Per omnes horas, & ad Veſperum Antiph. de *Laudibus*, ad *Magnificat*, Antiph. *A finibus terræ*. Vel una ex Antiphonis quæ incipiunt per O.

De Antiphonis, quæ incipiunt per O. XXII.

SCiendum eſt autem quod Eccleſia hoc tempore habet quaſdam ſolemnes Antiphonas, quas per aliquot dies cotidie canit in Veſperis tantum, & ante Chriſti Nativitatem finiuntur, una die proxima ante

Vigiliam ipsius Nativitatis. Prima quarum est *O Sapientia*; secunda *O Adonai*, tertia *O Radix Jesse*, quarta *O Clavis*, quinta *O Oriens*, sexta *O Rex Gentium*, septima *O Emanuel*. Has tantum septem posuit Gregorius in Antiphonario, in quibus omnibus habetur *Veni*, & significant desiderium Sanctorum Patrum, qui fuerunt ante Christi Nativitatem, qui dicti sunt Hebdomadi servisse, idest septenario, nam colebant septimum diem, idest Sabbatum; septimum mensem, septimum annum, septimum septimæ septimanæ annorum, qui dicitur *Jubilæus*, vel ideo sunt septem quia Christus ad quem diriguntur, septem donorum Sancti Spiritus habuit plenitudinem. His rationibus, & auctoritate beati Gregorii Papæ, cujus magisterio universa splendet Ecclesia, foventur illi, qui tantum septem canunt. Sed quædam aliæ Ecclesiæ non ex ratione, sed ex consuetudine plures, quam septem cantant: sicut Senensis Chorus, qui duas addit. Scilicet *O Virgo Virginum*, & *O Rex pacifice* (a). Quod autem omnes sunt secundi toni, significat, quia ad Christum spectant, qui propter duas naturas, quas in se habuit, factus est Gigas geminæ substantiæ, vel quia nobis insinuant geminam dilectionem, scilicet Dei, & proximi. Et omnes incipiunt per O, quod potius ponitur admirative, quam vocative, & cantantur in Vesperis tantum, quia Dominus venit in Vespera Mundi. In die Sanctæ Luciæ in Ecclesia nostra hoc modo incipiuntur in Vesperis. Præcantatis Psalmis cum propriis Antiphonis de Laudibus ipsius festi, Septimanarius dicit Capitulum *Ecce dies veniunt*. Hymnus *Conditor alme*. ℣. *Rorate*. Postea Cantor cum multa reverentia, & genuflexione alta voce incipit cantare Antiph. *O Sapientia*, quæ antea æquali voce tota, & post, tota debet cantari cum Organo, & Oratio dicitur de Dominica. Deinde Antiph. *Tanto pondere*, & ℣., & Oratio de *S. Lucia*. Postea fit collecta de *Sancta Maria*, & de *Sanctis* per Antiph. ℣. & Orationem, & sic Vesperum festive finitur. In aliis diebus usque in Vigiliam Nativitatis Domini, præterquam in Vigilia *S. Thomæ*, & in festivitate ejusdem, cotidie has Antiphonas cantamus ad Magnificat cum Oratione de præcedenti Dominica, postea Antiph. de feria. Sed in Sabbato, & die Dominico non dicitur alia Antiphona de feria. Deinde Kyrie eleison. *Pater noster*. Psalm. *Miserere mei Deus*, & Oratio de feria dicatur. Postea fit commemoratio de *Sancta Maria*, & de *Sanctis* per Antiphonam, & Orationem, ut supra.

De quinque Matutinis Laudibus in Adventu Domini. XXIII.

PRætermittendum non est de quinque Matutinis Laudibus feriarum propter diem vacantis Dominicæ, & diem S. Thomæ qui infra hunc terminum semper occurrentes prætermitti non possunt, qualiter dici debeant,

[a] Consule quæ habet Martene *de Eccl. Rit.* Lib. IV. cap. 10. n. 34. *de* Antiph. O.

beant; aliquando enim xvi. Kal. Januarii eas incipimus, nisi cum Vigilia Natalis Domini in Dominica venerit; eo enim anno in xv. Kal. incipere differimus. Sic autem istæ Matutinales Laudes in easdem ferias præcedentis, vel subsequentis Hebdomadæ ordinentur vel permutentur, ut omnes quam convenientius, & proximius possit, ante Vigiliam Natalis Domini præcantentur: Antiphonæ vero illius feriæ, quam festum S. Thomæ occupat, eadem feria præcedentis Hebdomadæ cantentur. Illa vero Antiphona, quæ est de cantico in Vigilia Natalis Domini secundum illam feriam, in qua Vigilia Nativitatis Domini venerit, immutetur: ita quod si Vigilia Natalis Domini non venerit in die Sabbati, Antiph. *Expectetur,* semper in Sabbato jejuniorum dicatur. Notandum est autem, quod illas Antiphonas per totum Adventum in ferialibus diebus ad *Benedictus* cantamus, quæ sunt prænotatę per totam Hebdomadam. Illæ aliquando dimittuntur apud nos, quæ sunt scriptæ circa matutinales Laudes, præter illam, quæ est in quarta feria Jejunii quatuor Temporum, videlicet *Missus est Gabriel*, quæ est de Evangelio ipsius diei.

De Feriis III. Hebdomadæ. XXIV.

Feria secunda Antiphona ad *Benedictus*, dicit *Dominus*. Ad *Magnificat* Antiph *Beatam me dicent:* Feria tertia ad *Benedictus* Antiph. *Confurge*. Ad *Magnificat* Antiph. *Elevare*. Feria quarta Mensis decimi ad Matutinum Invitatorium *Veni Domine & noli tardare*. Nocturnum solito more dicatur. Omnes Lectiones leguntur de homilia B. Ambrosii, quæ sic incipit, *Missus est Gabriel*. ℟. de Historia. *Clama in fortitudine*. Ad *Benedictus* Antiph. *Missus est*. Oratio *Præsta quæsumus omnipotens Deus*. Ad Missam, Officium *Rorate*. Ad primam Orationem non dicitur *Dominus vobiscum*, sed tantum *Oremus*. *Flectamus genua*. Item prophetia: *Erit in novissimis*. Graduale *Tollite*. Item ad secundam Orationem dicitur *Dominus vobiscum*, & non *flectamus genua*. Item alia prophetia: *Locutus est Dominus ad Agaz* (a). Graduale, *prope est*. Evangelium *Missus est Gabriel*. Ad *Magnificat* Antiph. *Joseph, Fili David*. Feria quinta ad *Benedictus*, Antiph. *Consolamini*. Ad *Magnificat* Antiph. *Lætamini cum Hierusalem*. Feria sexta ad Matutinum, Invitatorium *Regem appropinquantem*. Nocturnum more solito dicitur. Lectiones de homilia B. Ambrosii, *Exurgens Maria* ℟. de Historia, *Clama in fortitudine*. Ad *Benedictus* Antiph. *Ex quo facta est*. Ad Missam, Officium *Prope esto*. Oratio, *Excita Domine quæsumus potentiam tuam & veni, ut ii:* & dicitur *Dominus vobiscum*, & non *flectamus genua*. Prophetia *Egredietur Virga*. Evangelium *Exurgens Maria*, & nota, quod nec in sexta feria, nec alia die per totum Adventum dicere consuevimus Missam *de Cruce*: vel ad aliquam Missam Orationem *de Cruce*. Item ad *Magnificat* Antiph. *Beata es quæ credidisti*.

Be-

(a) Nunc legimus Achaz.

De Sabbato Jejuniorum. XXV.

SAbbato ad Matutinum Invitatorium: *Prope est jam Dominus*. Nocturnum more solito dicatur. Lectiones de Homilia *Anno quintodecimo*. ℟. de historia *Clama in for.* Tertium ℟. *Orietur Stella*, & cantatur totum cum Organo. Ad *Benedictus*, Antiph. *Vox Clamantis*. Oratio *Deus, qui conspicis, quia ex nostra pravitate*. Ad Missam, Officium *Veni, & ostende*. Prophetiæ *clamabunt*, & ceteræ; & Epistola *Rogamus vos per*. Evangelium, *Anno quintodecimo Imperii*. Et nota quod in Missa ad primas quinque Orationes non dicitur *Dominus vobiscum*, sed tantum *Oremus: flectamus genua*. Ad Sextam Orationem dicitur *Dominus vobiscum*, & non *flectamus genua*, ut separata sit nostra Oratio ab errore Gentilium, quos Nabucdonosor compellebat Statuam adorare. Ita per totum annum in jejuniis quatuor temporum facimus; præterquam in Hebdomada Pentecostes, quando dicimus tantum Oremus, & non *flectamus genua*, quia illud jejunium est gaudii propter solemnitatem Pentecostes. Hymnus trium puerorum cantatur a duobus, & in fine, primus Versus repetitur cum Organo. Hoc autem Sabbatum, & cetera jejunii quatuor temporum Sabbata dicuntur *duodecim Lectionum*, quamvis tantum sex legantur, quod est tractum ab antiqua consuetudine Romanorum, quia cum Romana Ecclesia esset Græcis, & Latinis permixta, singulæ Lectiones in utraque lingua recitabantur, quia in una dumtaxat lingua recitatæ ab utrisque linguæ Populis non intelligebantur. Vel, ut utriusque Populi unanimitas intelligatur. Adhuc dicitur hoc fieri in Ecclesia Orientali. (a) Itaque, dum unaquæque bis legitur, duplicato senario, duodecim computantur, propter duodecim Lectores, non lectionum, aut sententiarum varietates. Sed notandum, quando in quarta feria jejuniorum leguntur duæ Lectiones, & in Sabbato sex; prima in quarta feria, & quinta Lectio, quæ leguntur ante Epistolam in Sabbato in tono declinante legi consueverunt, quia significant vetus Testamentum, quod terrena promittebat, ut (b) *dabo vobis terram lacte, & melle manantem*, ideoque ad Orationes quæ ipsas præcedunt, genua flectimus ad terram. Secunda vero Lectio in quarta feria, & Epistola, quæ sexto loco habetur in Sabbato, in tono ascendente leguntur, & significant novum Testamentum, quod Cœlestia, & excelsa promittit: ut (c) *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.*

De

(a) In illis, ut arbitror, locis, in quibus commixti Græcis non pauci Latini erant, in Orientem Cruciatarum occasione deducti. Vide Duran. Ration. VI. cap. 10. n. 4. *Quidam dicunt &c.* (b) Exod. III. 8. (c) Matth. V. 3.

De Festo Thomæ Apostoli, si fuerit in Jejuniis. XXVI.

SI festivitas Sancti Thomæ Apostoli in aliquo die jejunii quatuor temporum venerit, omnia solemniter de Apostolo, nocte & die fiunt, præterquod in Matutino semper fit septima, & octava Lectio de Homilia feriali cum ℟. de Historia *Clama*, & ad *Benedictus* post Orationem de festo canimus Antiph. *Nolite timere*, cum Oratione de feria. Si autem ea die fuerit dies Dominicus, dicta Antiph. *Nolite timere* dicetur ℣. de Adventu, & Oratio de Dominica. Item die jejuniorum quatuor temporum Matutinalis Missa cantabitur populo de Apostolo, secunda de Jejunio cum genuflexione: major autem similiter de festo cum *Gloria in excelsis Deo*, & *Credo in unum Deum*, & præfatione *Te Domine suppliciter exorare*.

De Jejuniis in III. Hebdomada de Adventu. XXVII.

SCiendum autem, quod jejunium hyemale quatuor temporum juxta traditionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper in tertia Hebdomada de Adventu Domini debet celebrari, sicut & Sancti Patres instituerunt, qui ejusdem jejunii Officia eidem Hebdomadæ tradiderunt, & sequentem Dominicam *vacantem* vocaverunt. Nec ad hoc ullo speciali statuto indigemus, in quo Sanctorum Patrum vestigia non excedimus (*a*). Contingit siquidem quandoque, Nativitatem Domini die Dominica venire, sed cum Sabbatum quatuor temporum celebre Officium habeat per se, & Vigilia Nativitatis Domini celeberrimum; non possunt simul venire Sabbatum quatuor Temporum, & Vigilia Nativitatis Domini. Sed semper oportet hoc Sabbatum præcedere Vigiliam, quia Sabbatum est de Adventu, Vigilia de Natali, & pertinet ad tempus gaudii. Ideoque cum Nativitas Domini venerit in die Sabbati, vel in die Dominico, tunc jejunia quatuor Temporum semper debent celebrari in Sabbato præcedentis Hebdomadæ: ne simul cogamur Sabbatum quatuor Temporum, & Vigiliam Nativitatis Domini celebrare, quod non potest, nec debet fieri. Si tamen Nativitas Domini fuerit in *secunda feria*, in Sabbato, tum pro jejunio quatuor Temporum, tum pro Vigilia jejunamus, & in Dominica Officium Vigiliæ celebratur, & propter Adventum, vel diem Dominicum cantatur Alleluja. Quando autem festum Nativitatis Domini in Dominica die venerit, tunc in sexta feria jejuniorum in Laudibus cantantur Antiphonæ feriales, videlicet *Spiritu principali*. In die Sabbati Antiph. *Benigne fac*. ℟. tamen

can-

(*a*) Vide quæ docet Cl. Muratorius Tom. II. *Anecd. Latin. de IV. Temp. jejuniis*, & Thomassin. *de jejun.* Par. I. cap. 21., & Par. II. cap. 18.

cantantur in illis diebus quæ sunt in Historia. *Clama in fortitudine*, & tunc in sexta feria ad *Benedictus* dicitur Antiphona *Dies Domini*, quæ est in sexta feria præcedentis Hebdomadæ, & sero ad *Magnificat* alia Antiphona.

De institutione Jejuniorum quatuor Temporum. XXVIII.

NOtandum vero S Calixtum Papam, & Martyrem hujusmodi jejunia quater in anno celebrari constituisse, cum prius tantum ter in anno celebrarentur. In quibus quarta, & sexta feria, & Sabbatum jejuniis maxime deputantur, quia memoria Dominicæ Passionis insigniuntur præ aliis diebus. Nam in quarta feria consilium fecerunt Judæi, ut occiderent Christum, & tunc a Juda est venditus Judæis; in sexta feria crucifixus; in Sabbato sepultus, & Apostoli in tristitia permanserunt. Ideoque in ipsis propria Evangelia, & Epistolæ ponuntur: habuerunt autem jejunia quatuor Temporum initium a Lege de quibus Zacharias. (*a*) *Jejunium quarti, quinti, septimi, & decimi Domui Judæ, & Hierusalem in dies festos vertetur, & gaudium (b)*. Quæ jejunia ob diversas plagas, quæ illis temporibus acciderunt, ut ait Hieronymus super Zachariam, illis in mensibus constituerunt. (*c*) Quod etiam non vacat a Mysterio. Sicut enim quatuor sunt Corporis elementa, quatuor Anni tempora per tres Menses distincta, sic quater in Anno jejunamus tribus diebus: tres dies ad tres Menses referentes, ut nobis quietam vitam tribuat, & corporis quatuor protegat elementa, & jejunium corpora lasciva maceret, & castiget. Vel ter quater jejunamus, ut Domino dierum primitias offeramus. Hoc autem brumale jejunium aliorum temporum jejuniis celebrius est: magis plenarium hominis Officium pertinens ad Salvatoris Adventum, ut dum caro jejuniis affligitur, anima redemptionis suæ testimoniis ex Sacra Lectione, vel concentu Ecclesiæ delectetur. (*d*)

De

[*a*] Cap. VIII. 19. (*b*) Hieronymus, qui statim citatur, ad hunc modum verba hæc legit: *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi (ἀπὸ κοινοῦ enim sub auditur) mensis Domui Juda, & Jerusalem in dies festos vertetur & gaudium.*

(*c*) Copiose, & erudite hunc Zachariæ locum explicans Hieronymus causas horum jejuniorum recenset. Hieronymi verba libentissime referrem, nisi molta essent. Ea consulat per se, rogo, Lector: mihi satis sit ex hoc Hieronymi loco hæc excerpere: *Hoc est igitur omne quod dicitur: dies planctus, & jejuniorum, quos hactenus habuistis in luctus, sciatis vobis quia cogitavi, ut benefaciam Jerusalem, & Domui Juda in lætitiam, & gaudium, & solemnitates esse vertendos: ita dumtaxat, si veritatem diligatis, & pacem.*

(*d*) Ipsissima fere docent Durandus [lib. VI. Rationalis cap. 6.], aliique Sacrorum rituum vetusti interpretes.

De Ordinibus Conferendis. XXIX.

SAbbato, quando Lectiones solemnes aguntur, consueti Ordines celebrantur, quod quinquies in anno celeberrime Pontifices Ecclesiarum agere solent. Unde Gelasius Papa in Decretalibus suis dicit: *Ordines Presbyterorum, & Diaconorum, nisi certis Temporibus nemo exercere audeat.* Itaque Mensis quarti, septimi, & decimi jejunio, & etiam quadragesimali initio, & mediana Quadragesimæ die Sabbati circa Vesperas, ipsas ordinationes noverint celebrandas. Illi igitur qui ordinandi sunt, ante ipsam ordinationem eliguntur in quarta feria, quoniam in quarta ætate a David, & Salomone Levitæ ad Templi ministeria distribuuntur. Electi vero in utriusque Testamenti pagina sunt examinandi in generali Capitulo. Unde in quarta feria ad Missam duæ Lectiones leguntur. Ecclesia vero ordinandos sibi requirere debet, non autem ipsi se imprudenter (a): Unde B. Gregorius ait: *Sicut qui invitatus fuerit, renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importunus se ingerit, est procul dubio repellendus. Nec quisquam, ut ait Apostolus (b), sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron (c).*

Qualiter examinari debeant Ordinandi? XXX.

EX libro Bruchardi: Ordinandorum autem vita, genus, patria, ætas, institutio requirenda est. Locus etiam ubi educati sunt. Si bene sunt Litterati: si in studiis Ecclesiasticis fervent, si Canonicis Regulis non sunt adversi: si a mundialibus debitis liberi: si continenter vivunt: si ad id quò vocantur, apti, & scholis Divinis intenti, ante omnia si fidem catholicam teneant firmiter, & verbis simplicibus asserere queant. Tales igitur si sint, diligenter per tres continuos dies examinentur, & sic Sabbato qui probati inventi fuerint, Episcopo repræsententur.

[a] *Ingerere = intromittere*: aut aliud affine. [b] Ad Hebr. V. 4.

[c] Hunc Gregorii locum allegat *Ordo Romanus*, qui in Hittorpii editione primum obtinet locum [pag. 05. Tom. X. Biblioth. Patrum Paris. 1634.] in quo sic se habet. *Sicut qui invitatus renuit, sacris est altaribus removendus* (emendatur in margine *admovendus*) *sic qui ultro ambit, vel importunus se ingerit, est procul dubio repellendus; nam qui nititur ad altiora conscendere indignus, quid agit, nisi ut crescendo decrescat? Cur non perpendit, quia benedictio illa in maledictum convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur?*

Quod jejuni debent a jejunantibus ordinari. XXXI.

ILlud quoque notabile eſt, quod Ordines præſertim in jejuniis quatuor Temporum exhibentur, quæ ſunt primitiæ dierum, ut Ordinandi ſe ſciant eſſe primates Eccleſiæ, & ut quatuor virtutibus exornentur, & ſub doctrina quatuor Evangeliorum ſervire Chriſto, & Eccleſiæ moneantur. (*a*) In Vere, ut virtutibus floreant. In Eſtate, ut charitate ferveant. In Autumno, ut fructus bonorum operum metant. In Hieme, ut collecta in horreo conſervent, & eis fruantur in Domino. In Quadrageſima quoque, ut vitiis marceant, & moriantur. Debent autem in jejuniis a jejunantibus, & jejunis Ordines conferri, ut Apoſtolos imitemur, qui cum Paulum, & Barnabam ad evangelizandum Gentibus delegarent, & Presbyteros, qui Eccleſias conſtituerent (*b*), *jejunantes, & orantes eis manus impoſuerunt*, commendantes eos Domino, in quem crediderunt; ut intelligant quanta devotione dantium, & accipientium debeat hujus benedictionis tribui Sacramentum. Quod ideo in Sabbato celebratur, eo quod Dominus inter cęteros dies præ ceteris Sabbatum ſanctificavit, per quod intelligimus ordinatos, non ſolum a ſervili opere, ſed etiam a vitiis ceſſare debere. Hodie tamen licet in Sabbato fiat, debet die Dominico deputari, unde & in ejus Veſpera, a qua initium ſumit, debet ordinatio celebrari, & ad mane diei Dominici, dummodo continvato jejunio, valet extendi (*c*).

Quæ ſunt Sacerdotibus neceſſaria, & de Ordinibus ipſorum? XXXII.

EX dictis Auguſtini, hæc ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, ſcilicet Liber Sacramentorum, Textus, Lectionarius, Antiphonarius, Baptiſterium, Computus, Canon pęnitentialis, Pſalterium, Homelię per circulum anni diebus Dominicis, & ſingulis feſtivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus ſi unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo ſtabit, quia valde periculoſæ ſunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur.

(*a*) Si

(*a*) *Gemma Animæ* lib. III. cap. 91., & Berno Abbas, *de quibuſdam rebus ad Miſſam ſpectantibus* cap. 7. [*b*] Act. XIII. 3. [*c*] De hoc Argumento confule Albinum Flaccum Alchuinum *de Offic. Div.* cap. quod inſcribitur *de Eccleſ. Ordine*. Amalar: *de Divin. Offic.* lib. II. cap. 2., & ſubſeqq. Iſidor. *de Eccleſ. Offic.* lib. II. cap. 2., & ſeqq. Durand. lib. II. *Rational.* toto. Adiice ea, quæ allegat Eruditiſs. Vezzoſius in Annotat. ad lib. I. *Sacrament. Rom. Eccleſ.* a Vener. Card. Thomaſio evulgat. n. XX. pag. 21. To. VI. *Oper. Ven. Card. Thomaſ.* & pag. 448. Tomi V.

[a] Si *cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. Officia vero Sacerdotum septem gradibus sunt distincta, quia Sancta Ecclesia septiformis gratiæ Spiritus Sancti est munere decorata. (b) Primus gradus est ostiariorum, qui possunt discernere inter dignos, & indignos, & eos admittere in Ecclesiam, quos sciunt esse dignos. Secundus gradus est Lectorum, qui ex traditione Ecclesiæ legunt in Ecclesia Propheticas, & Apostolicas Lectiones. Tertius est Exorcistarum qui super Cathecumenos faciunt Sacramenta aperitionis, & habent spirituale imperium super Spiritus immundos, ad ejiciendos eos de corporibus obsessis. Debet autem mundum habere spiritum, qui Spiritibus imperat immundis, ut vita cum Officio concordet. Quartus est Acholytorum, qui Latine dicuntur *Ceroferarii*, quia Cereos accensos deferunt, dum legitur Evangelium: ut *sicut lumen visibile manibus gestant, ita lucis opera proximis ostendant*. Quintus est Subdiaconorum, qui jam Ministerio Altaris approximant, quia vasa Corporis, & Sanguinis Christi portant. Unde lex continentiæ eis imponitur, quatenus impleant illud Prophetæ: (c) *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Sextus est Diaconorum, qui in veteri Testamento a Tribu Levi habuit exordium. Unde Diaconi *Levitæ* appellantur. Isti hostias super Altare ponunt, Mensam Domini componunt, albis vestibus induti Altari assistunt, & in modum præconis manifeste admonent cunctos ad orandum, & genua flectendum. Isti evangelizant & Domini Sacramenta dispensant. Septimus est Presbyterorum. Hic Ordo a Filiis Aaron sumpsit exordium, qui cum Episcopis in pluribus commune habent Officium, scilicet catechizandi, baptizandi, Missam celebrandi, verbum ad populum in Ecclesia faciendi, & Deo placabiles Hostias offerendi. In quo apparet, quanta sit excellentia Sacerdotalis Officii, per quod in Altari Christi passio cotidie celebratur, & a peccatis conversus reus quisque Deo reconciliatur. Hæc autem Officia in propria persona Dominus noster ostendit, & Ecclesiæ suæ exhibenda reliquit, ut forma quæ præcesserat in Capite, repræsentaretur in Corpore. Nam Jesus Christus dicens (d) *qui mihi ministrat me sequatur*, omnes superscriptos ordines dicto, seu facto expressit, & in se ipso omnium figuram ostendit. Ostiarius enim fuit, quando (e) flagello de funiculis facto Mensas numulariorum evertit, & ementes, & vendentes de Templo ejecit. Item cum dixit (f) *Ego sum Ostium* = *&* *nemo* (g) *venit ad Patrem nisi per me*: ipse enim ostiarius, qui si (h) *aperit, nemo claudit*. Lector fuit, quando in medio seniorum Isaiæ librum aperuit dicens, (i) *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me: ad evangelizandum pauperibus misit me*, & cætera: Exorcista fuit cum Dæmoniacos liberavit, & saliva sua tetigit aures surdi, & muti dicens (k) *Effeta* (*quod est adaperire*). Acholytus quando dixit (l) *Ego sum lux Mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Subdiaconi gessit Officium, quan-

D 2

[a] Matth. XV. 14. [b] Recole superiorem annot. [c] Isaiæ LII. 11. (d) Jo. XIV. 26. (e) Matth. XXI. 12. (f) Jo. X. 9. (g) Jo. XIV. 6. [h] Apoc. III. 7. [i] Luc. IV. 18. [k] Marc. VII. 34. (l) Jo VIII. 12.

quando facta cœna (*a*) cum discipulis linteo se præcinxit, & mittens aquam in pelvim pedes Discipulorum lavit, & linteo tersit. Diaconi repræsentavit Officium, quando post Cœnam Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui Discipulis dispensavit, & cum dormitantes Discipulos ad Orationem excitavit dicens (*b*), *vigilate, & orate*. Sacerdos fuit, quando panem in Corpus, & vinum in Sanguinem commutavit: & cum ipse idem Sacerdos ad Hostiam se ipsum propter peccata humani generis obtulit in ara Crucis, & adhuc gloriosus implet officium, dum sedens (*c*) *ad dexteram Patris, cotidie interpellat pro nobis*. (*d*)

De quarta Dominica in Adventu. XXXIII.

IN Sabbato præcedente quartam Dominicam ad Vesperum, Capitulum *Gaudete in Domino semper*. ℟. *Octava decima*. Hymnus *Conditor*, ℣. *Rorate*. Ad Magnificat Antiph. una de his quæ incipit per O. Oratio. *Excita Domine potentiam tuam, & veni, & magna nobis*. Ad Matutinum Invitatorium *Ecce venit*. Hymnus, *Verbum supernum*. In Nocturnis illas Antiphonas cantamus, quas supra in secunda Dominica de Adventu scripsimus, scilicet *Missus est Gabriel Angelus &c.* tres Lectiones de Isaia, tres de Sermonibus, & tres ultimæ de Homelia Evangelii, *Anno quintodecimo*: sicut supra legimus in Sabbato præcedenti, nisi Vigilia Nativitatis Domini in Dominica venerit; tunc enim in illa Dominica legimus tantum Homiliam de ipsa Vigilia. Omnia ℟. cantantur de historia *Canite tuba*. ℣. non mutantur. In Laudibus Antiph. *Canite tuba*, & cæteræ quæ sequuntur. Capitulum *Gaudete*. Hymnus *Vox Clara*. Ad *Benedictus* Antiph. *Ave Maria gratia*. Ad Missam Officium *Rorate*. Epistola *Gaudete*. Graduale *prope est Dominus*, & Alleluja *Erunt prava*, cum organo, & Evangelium *Anno quintodecimo*. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & in Vesperis similiter. Ad Magnificat Antiphona de his, quæ incipiunt per O, nisi sit Vigilia Nativitatis Domini.

De Dominica in Adventu, & quare dicitur Dominica Vacat. XXXIV.

NOtandum est, quod Adventus Domini *quandoque* est trium Hebdomadarum tantum. Ad minus enim regulariter debet habere dies XXI. scilicet tres integras Septimanas *præter* Vigiliam Nativitatis Domini. *Quandoque* est quatuor Hebdomadarum, nam cum semper incipiat a Do-

(*a*) Jo. XIII. 4. (*b*) Matth. XXVI. 41. (*c*) Ad Rom. VIII. 34. (*d*) Recole quæ ex Albino Flacco, & aliis Scriptoribus ante allegavimus. Multa his affinia docet Durandus.

Dominica; si Nativitas Domini in Dominica venerit, oportet Adventum tunc per quatuor Hebdomadas protelari. Officia tamen Dominicalia tantum tria sunt constituta a Beato Gregorio Papa propter trium temporum Patres. Primi ante legem quasi procul a Deo remoti clamant in Introitu: *Ad te levavi*: pro secundis qui fuerunt sub lege dicitur: *Populus Sion*. Tertiis, quibus Dominus appropinquabat dicitur in Introitu Missæ: *Gaudete*. Cum igitur non fuerint nisi tria Officia Dominicalia, hæc quarta Dominica mutuavit Officium quartæ feriæ quatuor temporum de præcedenti Hebdomada, scilicet *Rorate Cœli*. Quod repetitur in designatione illorum, qui tempore Incarnationis rorem cœlestis gratiæ, & gratiam, a qua surgit fructus salutis, petere, & accipere meruerunt, sicut S. Simeon. Item a Sabbato præcedenti mutuat Evangelium, scilicet *Anno quintodecimo*. Unde hæc Dominica *Vacat* in libris Ecclesiarum intitulatur, quia proprium non habet Officium, sed mutuat alienum, vel potius quia hujus diei statio nulli Sanctorum legitur assignata. Sciendum autem, quod omnis dies Dominicus post Sabbatum in *duodecimam* Lectionem intitulatur Dominica *Vacat*, propter supradictas causas. (a) Hæc autem Dominica ideo antiquitus ab Officio vacabat, quia celebratio Ordinationum juxta Decreta Sanctorum Patrum tam sero fiebat in Sabbato, ut potius Dominicæ, quàm Sabbato ascriberetur. Nam B. Leo Papa primus, usque in mane Dominicæ diei Ordinationes rite celebrari posse testatus est, continuato tamen jejunio Sabbati. Immo ipsas Ordinationes Leviticas, & Sacerdotales, nunquam nisi in Dominica jussit celebrari Dioscoro scribens Episcopo. *Consecrandis*, inquit, *nunquam benedictio detur, nisi in Dominica die, quæ ad Vesperam Sabbati initiatur*. (b) Item B. Gelasius Papa Successor ejus omnibus Episcopis scribens decrevit: (c) ut in Sabbatis quatuor Temporum Ordinationes circa Vesperam celebrarentur. Unde & Romanus Ordo in Quadragesima in Sabbatis Orationem Ordinationum super populum interdicit, ad quam antiqui non solum capita, sed & genua flectebant: quod Nicæni Canones in Dominica penitus fieri vetant. *De*

---

[a] De Dominicis vacantibus, Micrologus *Eccles. Observat.* cap. 24. *Non enim eadem Dominica proprie vacare diceretur, si non Sabbatum XII. Lectionum e vestigio subsequeretur, quod proprium est omnium Domenicarum vacantium &c.* Vide quæ tradit Eminen. idemque Sapientiss. Card. Antonelli in *Vetus Missale Roman.* pag. 15. annot. 1.

(b) Epistol. ad Dioscor. olim LXXXI erat, in edit. Quesnel: XI. est: Leonis verba sunt (cap. I. hujusce Epistol.) *Ideo pie & laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris; ut his qui consecrandi sunt, numquam Benedictio, nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespera Sabbati initium constat adscribi, & quæ tantis divinarum dispositionum Mysteriis est consecrata, ut quicquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac Mundus sumsit exordium &c.*

(c). Ad Episc. Lucan. cap. XI. pag. 317. To. V. Concil. Albrit. = *Distin.* 75. cap. 7.

De diebus ferialibus quarta Hebdomada in Adventu. XXXV.

FEria secunda in Laudibus Antiph. super Psalmos *Ecce veniet Dominus* & cæteræ, sicut sunt in Antiphonario cum Psalmis ferialibus. Ad *Benedictus* Antiph. *Egredietur virga*. Ad *Magnificat* Antiph. *Paratus esto*. Require illam super feriam quintam Hebdomadæ secundæ Feria tertia ad Laudes, Antiph. *Rorate Cęli* & cæteræ. Ad *Benedictus* Antiph. *Tu Betleem*. Ad *Magnificat* Antiph. *Maria autem conservabat*. Feria quarta ad Laudes Antiph. *Propheta prædicaverunt*, & cæteræ sicut sunt per ordinem. Ad *Benedictus* Antiph. *Ponam in Sion*. Ad *Magnificat* Antiph. *Ponent Domino*. Feria quinta ad Laudes Antiph. *de Sion veniet*, & cæteræ quæ sequuntur. Ad *Benedictus* Antiph. *Vigilate animo*. Ad *Magnificat* Antiph. *Intuemini quatenus*. Feria sexta ad Laudes Antiph. *Constantes estote*. Ad *Benedictus* Antiph. *Dies Domini*. Ad *Magnificat* Antiph. *Hoc est testimonium*: require illas super, post tertiam Dominicam.

De Vigilia Nativitatis, si in Dominica venerit. XXXVI.

SI Vigilia Nativitatis Domini in Sabbato venerit, jejunia quatuor Temporum non in ipsa Hebdomada sed in præcedente celebranda sunt; & tunc Adventus Domini habet quatuor Hebdomadas integras, & Antiph. de supradictis. ℣. Matutinis Laudibus cotidie cantantur in quarta Hebdomada, exceptis Antiph. illius feriæ, quas occupat Festum Thomæ Apostoli, quæ cantantur super in simili feria Hebdomadæ præcedentis. Notandum autem, quod in quacumque die Vigilia Nativitatis Domini venerit, Cantica graduum, Matutinum S. Mariæ, vel alia ejus Officia, & Vigiliæ Defunctorum in Ecclesia nostra non cantantur. Immo a Vigilia Nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniæ non consuevimus dicere Officium S. Mariæ, nec Vigilias Defunctorum. Si autem Dominica die prædicta Vigilia fuerit, Invitatorium a tribus Cantoribus honorifice cantetur: Videlicet *Rex noster adveniet Christus*; & Chorus respondet *Venite adoremus*. Psalm. *Venite exultemus*, & totum cum Organo, & sic omni anno facere consuevimus cum Organo, quocumque die sit Hymnus *Verbum Supernum*. Nocturnale Officium omnino fiat, ut in secunda Dominica de Adventu diximus; tres Lectiones de Isaia, tres de Sermonibus, tres ultimæ de Homelia. *Cum esset desponsata*: sex Responsoria de Dominicali historia, & tria de Vigilia. In primo Nocturno ℣. *Hodie scietis*. In secundo Versiculus, *Crastina die erit vobis salus*. In tertio Versiculus *Crastina die delebitur*. Consuetudo nostræ Ecclesiæ hac nocte talis est, quod cantor cum duobus fratribus post Altare B. Virginis Mariæ incipit Respon-

ponforium *De illa occulta*, æquali voce primo, & totus Chorus respondet *Descendit Justus*. Postea ℣. *Omnes*, & *Gloria* cantentur cum Organo, & semper reiterent *Descendit*. Quibus omnibus peractis, cantor reincipit ℟. & cum Organo usque *Descendit*, & Chorus finit Responsorium. In Laudibus Antiph. *Judæa, & Jerusalem*, & cæteræ quæ sequuntur, præter illam, quæ est de Cantico, in cujus loco dicitur ea, quæ est in Laudibus Dominicæ. Capitulum *Paulus servus*. Hymnus *Vox clara*, ℣. *Crastina die*. Ad *Benedictus*, Antiph. *Orietur*, Oratio de Vigilia, *Deus qui nos Redemptionis*, postea de Dominica. Antiphona, & Oratio per totum diem; omnia fiant de Vigilia, præter Matutinalem Missam, quæ erit de Dominica, in qua dicetur Evangelium de præcedenti Sabbato, scilicet *Anno quintodecimo*. Major autem Missa erit de Vigilia. Officium, *hodie scietis*, in qua non dicitur *Gloria in Excelsis Deo*, sed *Credo* non dimittitur. Post Orationem legitur Prophetia, *hæc dicit Dominus, propter Sion non tacebo*. Postea cantetur Graduale *hodie scietis*. ℣. *Qui Regis*. Quo cantato legitur Epistola *Paulus servus Jesu Christi*. Post Epistolam cantatur Alleluja, *Erunt prava*. Postea Evangelium de Vigilia, *Cum esset desponsata Mater*. Notandum quod cum major Missa de Vigilia cantetur, ad Processionem cantabitur ℟. de Vigilia, scilicet *Constantes estote*. Item ad Missam de Vigilia dicetur Præfatio *Quia per Incarnati*: & hanc præfationem cotidie dicimus, ad Missam a Vigilia Nativitatis Domini usque in Vigiliam Epiphaniæ. Item a die Nativitatis Domini usque octavam Epiphaniæ, sive sit festum, sive non cotidie facimus novem Lectiones, & dicimus *Gloria in Excelsis Deo*, & *Credo in unum Deum*. Item ad horas diei Antiph. de Laudibus. Ad Tertiam Capitulum. *Paulus servus*. ℟. *hodie scietis*. ℣. *Crastina die*. Ad Sextam Capitulum, *Quod ante promiserat*. ℟. *Crastina die delebitur*. ℣. *hodie scietis*. Ad Nonam Capitulum *Propter hos sciet*. ℟. *Judæa, & Jerusalem*. ℣. *Crastina erit vobis salus*. Notandum vero quod tria Responsoria, quæ remanent de Historia Dominicali, in quorum loco dicuntur illa de Vigilia, debent dici in Sabbato præcedenti, Antiphonæ quoque de Matutinis Laudibus, quæ tunc similiter dici non possunt, quia in loco earum illæ de Vigilia dicuntur, in eodem Sabbato dicantur ad horas.

De Vigilia Nativitatis quando non occurrit in Dominica; & de Missa illius. XXXVII.

Quando autem Vigilia Nativitatis Domini in Dominica non venerit, quod frequentius fit, Invitatorium, & venite a tribus cum Organo cantetur. Hymnus *Verbum supernum*. Nocturnum, secundum quod feria requirit; nam in quacumque feria Vigilia Domini venerit, illius feriales Psalmos in Nocturno cum Antiphonis de feria, & in Laudibus Antiphonas de Vigilia cum Psalmis, & Cantico de feria obtinebit. ℣. *Hodie scietis*. Lectiones de Homelia B. Remigii *Cum esset desponsata*.

Res-

Responsoria cantentur de propria historia Vigiliæ, *Sanctificamini hodie*, & cæt. Tertium Responsorium *Die illa*, ut prædictum est in Laudibus. ℣. *Crastina*, nec alii Psalmi, quàm feriales dicuntur, idest *Miserere mei Deus*, & cæteri. Et Canticum de feria, cum Antiph. similiter de feria præcedenti. Capitulum *Paulus Servus*. Hymnus *Vox clara*, & cum Organo. ℣. *Crastina*. Ad *Benedictus* Antiph. *Orietur*, & cum Organo. *Kyrie eleison* in omnibus horis dimittitur, & Commemoratio S. Mariæ non fit usque octavam S. Stephani. Item Oratio de Vigilia. *Benedicamus Domino* cum Organo. Ad Primam Antiph. *Hodie scietis*. Hymnus *Jam lucis* in tono, quo canere consuevimus extra Adventum, & alios Hymnos per horas eodem modo. Capitulum *Omnis enim*. ℟. *Christi Filii Dei vivi*, & canitur, ut soliti sumus aliis temporibus. Oratio *Domine Deus Omnipotens Pater, qui ad principium &c.* Postea Fratres vadunt in Capitulum cum Domino Episcopo, si fuerit præsens: Cumque pulsato signo Lector dicta ætate Lunæ pronuntiaverit futuram Domini Nativitatem, statim omnes pariter ad terram inclinamur, ut descendenti Domino ad infima, & infirma nostra, affectus, & desiderii passibus occurrentes, toto corde, & corpore grati, & gratulabundi humiliemur. Dum autem inclinamur, orantes ad mentem reducamus, & primam creationem nostram, & postea lapsum, vel pœnam pondusque peccati, sub quo deprimebamur usque ad Inferna, & partecipanda communia cum Diabolo, superbiæ, & inobedientiæ, ac prævaricationis supplicia. Deinde dicatur *Pretiosa*; & finiatur more consueto. Soluto autem Capitulo, Fratres omnes vadunt in Refectorium, ubi accensus est ignis honorabilis, & sedilia præparata, & ibi totum Officium advenientis diei, sancte, ac juste, ut solitum est, a Domino Episcopo, & Archipresbytero, vel Præposito ordinetur, & moneantur Fratres, ut ea die cuncta provideant diligenter. Item ad Missam popularem Officium: *Hodie scietis*. Oratio: *Deus qui nos Redemptionis*. Post Orationem legitur Prophetia. Deinde cantatur Graduale, postea legitur Epistola. Deinde canitur ℣. vel tractus *O Judæa, & Jerusalem*, postea Evangelium. Sciendum est autem quod nunquam in hac Missa de Vigilia cantatur *Gloria in Excelsis Deo*. quamvis veniat in die Dominico. Item Præfatio, *Quia per Incarnati*. Finita prima Missa cantatur Missa *pro Defunctis*. Ad horas diei Antiph. de Laudibus. ℟., & ℣. ut supradictum est.

De Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini in Benedictione Mensæ. XXXVIII.

SCiendum, quod ex antiqua consuetudine in hac die prius Vesperas solemniter canimus, antequam comedamus. Ad Vesperum Antiph. super Psalmos. *Rex Pacificus*. Psalm. *Laudate pueri*. Antiph *Magnificatus est*. Psalm. *Laudate Dominum*. Antiph. *Scitote*. Psalm. *Lauda anima*. Antiph. *Completi sunt*. Psalm. *Laudate Dominum, quoniam*. Antiph. *Ecce Completa sunt*. Psalm. *Lauda Jerusalem*. In his autem omnibus Psalmis invi-

invitamus ad laudes Salvatoris. Capitulum *Apparuit Gratia Dei*. ℟. *Judæa, & Jerusalem*. Quod Responsorium post Altare B. Mariæ Virginis hoc ordine cantatur. Primo ℟. equaliter canitur: ℣. & *Gloria* cum Organo. Item repetatur ℟. cum Organo usque: *Cras egredietur*. ℣. *Benedictus qui venit*. Ad *Magnificat* Antiph. *Dum ortus fuerit Sol*. Oratio *Concede*. Postea solemniter cantetur *Benedicamus Domino*, vel *Verbum Patris*, tantum æquali voce. Et est sciendum, quod nec in Vesperis, nec in Matutinis, vel in Laudibus aliquem Hymnum de Nativitate dicere consuevimus nisi post festum *Sanctorum Innocentium*. Deinde cantatis Vesperis Fratres exeunt, & sic pulsato signo vadunt in Refectorium ad sumendum cibum, ubi in principio comestionis hoc modo incipiunt Mensæ Benedictionem. *Verbum caro factum est*, & cæt. *Gloria Patri*. *Kyrie eleison*. *Pater noster*, & cæt. Item cum surgunt a comestione ℣. *Benedictus qui venit: Gratias agimus*, & cæt. Psalm. *Benedixisti*, & cum eo vadunt in Ecclesiam. Dicto Psalmo cum *Gloria*, dicunt *Kyrie*. *Pater noster*, *& ne nos*. ℣. *Verbum caro*, & cæteri Versiculi, & Orationes de *Nativitate*. *Benedicamus Domino*. Deinde dicitur, *Benedicat nos qui creavit, & pavit &c.* hunc ordinem servamus in Benedictione Mensę usque ad Vigiliam Epiphaniæ.

De Completorio. XXXIX.

AD Completorium Antiph. *Nato Domino*. Psalmus *Cum invocarem*, & cæteri. Hymnus, *Gaudet Chorus*. (a) *Gloria tibi Domine*. Capitulum *Apparuit Benignitas*. ℟. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, & illuxit nobis*. *Gloria Patri*, & cæt. *Verbum caro*. Antiph. *Natus est nobis*. Psalm. *Nunc dimittis*. Oratio *Concede*. In dicendis Completoriis consuevit Ecclesia nostra hunc ordinem retinere a Vigilia Nativitatis Domini usque Epiphaniam.

De Officio Noctis Nativitatis Domini. X L.

NOcte illa sancta, ea hora surgendum est, ut Officium, quod per se satis est longum, securius, & absque negligentia protrahatur. Ad annuntiandum igitur Nativitatem Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi debemus surgere media nocte, quia tali hora noctis credit Sancta Ecclesia & Virginem peperisse, & Angelos Pastoribus apparuisse, & pro fescenninis (idest Cantilenis quas Nutrices Pueris cantare consueverant) *Gloria in Excelsis Deo* illi Puero alto decantasse. Quod innuit auctoritas illa *Dum medium silentium tenerent omnia*, & cæt. Natus est Dominus in nocte, ut se clam sub carne latenter venire signaret, vel, ut se demonstraret venire ad nostram Noctem illuminandam. Quoniam (b) *habitantibus*

E

(a) Est portio Hymni Sedulii, quem in laud. canimus. (b) Isaiæ IX. 2.

bus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Unde ab ejus Natali perlongantur dies, quia credentes in eum vocantur ad æternitatis lucem. Natus est etiam Dominus in fine anni, ut ostenderet se venire in ultima ætate Mundi. In sexta feria Conceptus, in nocte Dominicæ diei natus, ut qui in Dominica dixerat (a) *fiat lux*, veniens in Dominica, oriens ex alto nos illuminaret. [b] Item in sexta feria Crucifixus, ut hominem, quem in sexta feria plasmatum perdiderat, in sexta feria liberaret. Cum autem in ipsa Nocte omnes Fratres Canonici surrexerint, & in Ecclesiam venerint, & unusquisque oraverit, facta secunda pulsatione, Custos Ecclesiæ accipit Candelas ab Altaribus, & ex eis dat duas unicuique Canonicorum accensas. Postea dat Pluviale Præposito, & aliud Pluviale Sacerdoti, qui assistere debet Episcopo, & aliud Pluviale Cantori, & sic omnes Fratres vadunt in Curiam Domini Episcopi præcedente Archipresbytero vel Præposito, & aliis per ordinem sequentibus, & unusquisque illas duas Candelas accensas portet quousque ad Dominum Episcopum perveniant. Tunc Cantor accipit Virgam Pastoralem, & postea omnes ordinate ad pacem eant, ad Episcopum, qui debet tunc esse indutus Pluviali, & Mitram super Caput habere, & primo vadunt ad manum Domini Episcopi. Deinde ad os, (c) & tunc Episcopus primo dans pacem Archipresbytero, vel Præposito dicit: (d) *Verbum caro factum est*: & ille qui suscipit pacem, respondet *Deo gratias*; & eodem modo facit per singulos. Quo facto, incipit fieri tertia pulsatio, & cum omnia signa pulsantur in Classico, præcedentibus minoribus, & majoribus per ordines subsequentibus, omnes bini, & bini redeunt in Chorum cum Domino Episcopo, & vadunt cum eo usque ad superius sedile Episcopi, & sic ibi ante Altare B. Virginis Mariæ, cum magna veneratione a Domino Episcopo Sancta Officia incipiuntur: *Domine labia mea aperies*, & cæt., & *Deus in adjutorium meum intende*. Custos autem sit paratus in ingressu Chori cum redeunt, ut Candelas de manibus Canonicorum accipiat, & postquam illuminaverit ante Episcopum usque ad Altare cum eis, reponat eas, & reddat eas in manus Camerarii Canonicorum. Mox Cantor cum tribus Fratribus super quatuor gradus cum summa reverentia incipiat Invitatorium, *Christus natus est nobis: venite adoremus*: & totum cum Organo. Deinde Chorus respondet idem æquali voce. Hoc vero semper observetur, ut sic moderate incipiant, ut totus Psalmus cantari honeste valeat. Cantores vero finito Psalmo, & repetito *Christus natus est nobis*, illi qui Psalmum (scilicet *Venite*) cantaverant, in eodem loco incipiant Antiph. *Dominus dixit ad me*, & statim cantatur ad manum Episcopi, & Chorus respondet *Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Singulæ Antiphonæ super Psalmos ante Psalmi inceptionem finiantur, & intra Psalmos, ubi tanguntur, cantentur, & post Psalmos competenter repetantur. Antiph. *Tamquam Sponsus*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Diffusa est*. Psalm. *Eructavit*. ℣. *Tamquam Sponsus*. Tres primæ Lectiones leguntur de Isaia. Sci-

(a) Gen. I. 3. (b) Luc. I. 79. (c) Fortasse: *ad osculum*. (d) Jo. I. 14.

Scilicet *Primo tempore*. *Consolamini*. *Consurge*, & in fine istarum Lectionum non dicitur, *Tu autem Domine*: Sed hæc: *dicit Dominus*, *Convertimini &c.* Primum ℟. *hodie nobis cælorum*. ℣. *Gloria in Excelsis*. Secundum ℟. *hodie nobis de Cælo*. Tertium ℟. *Descendit*. Cantor cum duobus Fratribus post Altare Beatæ Mariæ Virginis canit æquali voce usque *Et exivit*, hoc ℟.; & ℣., & *Gloria* cantantur cum Organo. Principium Versiculi: scilicet *Tam*, in quo sunt notæ jubili, ab his qui sunt post Altare canitur cum Organo: & post notas jubili, (a) Chorus canit pro-

sas

[a] Locus hic nonnihil obscurus est. Eum interpretari fortasse ad hunc modum possumus: *Æqualem vocem* hic accipiamus pro recitatione cum aliqua, si vis, vocis inflexione, & uti dici mos est, *modulatione*: vel potius pro voce constanti, &, jugiter in eodem tenore servata: docuit enim jam pridem egregius Mabillon tum aliquando in *Annalibus*, tum sæpius in Libris de *Liturgia Gallicana* editis, cantum quandoque accipi pro recitatione. Vide pag. 411. 416. 417. 418., & 419. allegati operis. Vocem autem *jubili*, notas *jubili*, & *jubilum* ut comprehendas, hæc in Glossario *Mediæ*, & *Infimæ Latinitatis* ab Egregio Ducange edito, & ab Optimis Monachis S. Mauri aucto [ad Vocem *Jubilum*] edocemur: ,, Proprie autem sequioris ætatis Latini Scriptores *Jubilum* appellarunt, quod alii *Neumam*; productionem cantus in finali litera antiphonæ, seu cujusvis cantus Ecclesiastici. Honorius Augustod. l. I. cap. 14. *Unde quidam longam neumam cum organis jubilant, quæ Jubilum vocatur*. Cap. 88. PP. *in festivis diebus neumam, quæ Jubilum dicitur jubilare statuit*. Liber Ord. S. Victoris Paris. c. 1. *Dicent Amen, & finietur sine Jubilo*. Arnoldus Abb. Bonæ Vallis de Oper. sex dier. *Nihil tamen triste, nihil lugubre erat, ubi non varietas concinentium dissonantiam efficiebat: sed sive arctas, sive per amplas faucium fistulas circumflexiones Jubilorum impellerentur, ascensiones & descensiones vocum, convenientibus in unum differentiis, ad unius puncti revertebant harmoniam*. Ratpertus Monachus de Casibus S. Galli cap. 4. & Eckeardus Minimus de Vita Notkeri Balboli c. 9. *Frigore autem & Occidentana, quas sic nominabant, Jubilos illis animatus etiam ipse de suo excogitavit*: Idem Echkeardus c. 16. *Eandem disciplinam angelicam Deus dedit viro sancto per Spiritum sanctum suum, & sociis suis docere Ecclesiam in Jubilis sequentiarum agendam. Ideo, ut reor, ut per intuitum angelicarum disciplinarum oriatur hominibus mentis devotio, & dilatato corde mens seipsam transcendat, & spiritalior fiat*. Ubi ad marginem hæc notari observat Goldastus: *Jubilus, id est neuma, quem quidam in organis jubilant, plausum victorum lætantium commendat*. ,, Hæc autem ita accipias volo, ut latius patere credatur *jubilus*, seu *jubilum*, quàm *neuma*: adeo ut quodlibet neuma esset jubilum, non omne jubilum esset neuma: indubitatum est enim aliquod *jubilum*, seu cantum, & notas *jubili* non poposcisse *productionem cantus in finali littera Antiphonæ*. Hinc Sequentia, quæ hodieque canitur in festivitate Corporis Christi, *jubilatio*, seu cantata cum *jubilatione* dicitur: *sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio*: & tamen neuma, *seu productio cantus in finali littera* ab hac Sequentiâ abest. Dixi *patere credatur*; nam aliquando ejusdem plane significationis esse videntur *jubilus*, ac *neuma*. Nam in glossario Clariss. Du-

Ducange ad vocem *Neuma*, hæc habentur: ,, *Neuma Neuma, vocum emiſſio*
,, *modulatio*. Johanni de Janna: *Emiſſion de voix, modulation, eſprit*. (In
,, Gloſſis Lat. Gal. Sangerman.) ,, Ad vocem autem Pneuma hæc extant:
,, Neumæ præterea in muſica dicuntur Notæ, quas muſicales dicimus: unde
,, *Neumare*, eſt notas verbis muſicæ decantandis ſuperaddere. Anonymus
,, interpres Hugonis Reutlingenſis Sacerdotis in Floribus Muſicæ: *Antipho-*
,, *narium & Graduale collegit, dictavit, & Neumavit, ſeu notavit*. Mox:
,, *Omiſſis clavibus & lineis, quæ in Neuma ſeu nota muſicali requiruntur*. ,,
Itaque me quidem judice, Reſponſorium hoc Senenſes Canonici ita cane-
bant, ut partim voce æquali & conſtanter conſona recitarent, partim
cum cantu egregie modulato, & per notas aſcendentes, & deſcendentes di-
recto, & expreſſo: cui quidem cantui addebantur *Proſæ*, quod explicat Du-
randus [lib. IV. cap. 22.] his verbis: ,, Proſa ſeu ſequentia dicitur, quod
,, eſt ſimiliter canticum exultationis ad notandum geminam glorificationis
,, ſtolam, quam Sancti accipient, prout jam præ[illegible]ſum eſt. Cantatur autem
,, Sequentia ab omnibus ſimul, in choro, ut notetur concordia charitatis:
,, talis enim laus Deo placet: unde in Canticis: *vulneraſti cor meum, ſoror*
,, *mea, ſponſa mea, in uno oculorum tuorum*: ideo dicit *in uno*, ut note-
,, tur concordia & voluntas uniformis, quia laus ſic facta, eſt cibus de-
,, licatiſſimus Deo: hæc eſt tunica illa inconſutilis, quam Deus non patitur
,, ſcindi xvi. q. xi. ſicut de hoc dictum eſt ſub tit. de alleluja, ut dicitur
,, in proœmio quintæ partis, ubi de Antiphonis agitur. ,, Canebatur ita-
que ℟. voce *conſtanti*, ideſt æqualiter conſona: vel potius vox *conſtans* il-
lud cantandi genus indicat, quod *cantum firmum uniſonum* appellant: ju-
bilum vero quod *contrapunctum*, ſeu ſi vis *figuratum* dixere, vel aliud his
affine. Certe in hoc ipſo ordine *voce conſtanti ſecundo tono cantata* dicun-
tur Antiphonæ O (Cap. XXII. *Omnes ſecundi Toni . . . . æquali voce to-
ta*) Conſule etiam loca quæ allegat Ducange *in Lexico Med. & Inf. La-
tin.* ad vocem *Cantus*. Revertor ad *proſas*. De his ad Eccleſiaſticam ſignifi-
cationem reſtrictis Durandus ea tradit, quæ paulo ante citavimus, quibus
hæc adjicit. ,, Notcherius Abbas Sancti Galli in Theutonia, primo ſequen-
,, tias pro pneumis ipſius alleluja compoſuit, & Nicolaus Papa ad Miſſas
,, cantari conceſſit. Sed & Hermannus Contractus Theutonicus, inventor aſtro
,, labii, compoſuit ſequentias illas: *Rex omnipotens, & ſancti Spiritus* &c.
,, *& Ave Maria gratia*, & Antiphonam. *Alma Redemptoris Mater*, & *Si-*
,, *mon bariona*. Petrus verò Compoſtellanus Epiſcopus, fecit illam. *Salve*
,, *Regina miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve, ad te clamamus*.
,, Quidam vero Rex Franciæ Robertus nomine, compoſuit Sequentiam illam:
,, *Veni ſancte Spiritus*, & Hymnum *Chorus novæ Hieruſalem*. Antiquitus e-
,, nim mos erat, ut ſemper cantaretur Alleluja cum pneuma, ſed poſtea
,, dictus Papa inſtituit loco illius pneumæ in præcipuis ſolemnitatibus ſe-
,, quentias dici. Quando ergo non dicetur Alleluja, non decet Sequentiam
,, dici, quoniam loco pneumæ ejus dicitur, & idem ſignificat, quod pneu-
,, ma, ſcilicet æternæ vitæ gaudium, & delicias: quæ nullo verbo expri-
,, mi poſſunt: & ideo per pneuma, quæ eſt vox non ſignificativa, intel-
,, liguntur. ,, Alia multa his adjicit Durandus, quæ conſulat, ſi vult, Le-
ctor. De hoc ipſo argumento Ducange in *Lex. Med., & Inf. Latinit.* ad vo-
cem Proſa: ,, Proſam Libri Rituales Eccleſiaſtici eam orationem quæ in
,, Miſſa canitur ante Evangelium in majoribus feſtis, quam alias *Sequen-*

,, *tiam*

ſas æquali voce: Scilicet *Quem Gabriel &c.*, & ſic ſemper ad jubilum reſpondentur proſæ in verſu, *& in Gloria*, donec totum ℟. finiatur, & ſemper repetitur Pſalmus: ℣. & poſt *Gloria*, & *exivit per*. Item alia proſa, *Ante ſecula* incipitur a Cantore, & cum Organo cantatur *uſque pſalmavit Adam*, Et Chorus. *Et Spiritu Sancto*, & ſic una pars poſt Altare, altera in Choro dicatur, donec tota finiatur. Deinde *Fabrice*: (a) Poſtea Cantor reincipit ℟. *Deſcendit*, & cum Organo uſque ad finem cantetur.

De ſecundo Nocturno in nocte Nativitatis. XLI.

IN ſecundo Nocturno Antiph. *Suſcepimus Deus*. Pſalm. *Magnus Dominus*. Antiph. *Orietur*. Pſalm. *Deus judicium*. Antiph. *Veritas de terra*. Pſalm. *Benedixiſti*. ℣. *Notum fecit Dominus*. Tres Lectiones in medio leguntur de Sermonibus, & in tertia Lectione legitur Sermo B. Auguſtini *Vos inquam, Convenio, Judæi*. (b) Quam Lectionem ex antiqua conſuetudine noſtræ Eccleſiæ duo Canonici ſolemniter cantare conſueverunt uſque ad ℣. *Judicii Signo*, & tunc ille, qui eſt Cantor, adjungitur illis duobus, & ſtatim ipſi tres cum Organo incipiant canere: *Judicii Signum*, & ſemper verſus bini, & bini dicantur, & Chorus cum Organo hunc verſum. *Judicii Signum* ſemper reiteret, donec omnes finiantur. Notandum

---

„ *tiam* vocant. Udalricus in Conſuet. Cluniac. lib. I. c. 11. *Proſa, quod* „ *alii Sequentiam vocant, non cantatur niſi in quinque feſtis principalibus.* „ (Bernardus Mon. in Ordin. Cluniac. part. 1. cap. 17. *Pro ſigno Proſa, vel* „ *quod a Teutonicis Sequentia nominatur, leva manum inclinatam, & a* „ *pectore amovendo eam inverte, ita ut quod prius erat ſurſum, ſit deor-* „ *ſum*) De ratione nominis vide Genebrardum in Liturgia Apoſtolica p. 131. „ (& *Sequentia* I.) Neque vero liberum erat cuique pro libitu ejuſmodi „ *Proſam*, in majoribus etiam feſtis, inſtituere; ad id quippe requirebatur „ Epiſcopi conſenſus in Eccleſiis ſuæ juriſdictionis, & Summi Pontificis „ auctoritas in Monaſteriis quæ ipſi ſuberant, ut colligitur ex Litteris Wil- „ lelmi Cardin. ſedis Apoſtol. Legati an. 1161. in Tabul. S. Albini Andeg. „ *Statuentes ut in Annuntiatione genitricis Dei Mariæ, & beatiſſimi Confeſ-* „ *ſoris atque Pontificis Albini feſto* Te Deum laudamus, *&* Gloria in excel- „ ſis *& Proſas ſolemnes ad tantas ſolemnitates altius excollendas perpetuo* „ *decantetis. Purificationem quoque ipſius in eiſdem laudibus attollatis.* „ Multa etiam de *Proſis* ad hanc ſignificationem reſtrictis, ideoque *de Sequentiis* docet egregius Card. Bona (Rer. Liturgicar. Lib. II. cap. VI. §. 5.) At ex hoc Senenſis Eccleſiæ Ordine manifeſto aſſequimur *proſarum, ad Eccleſiaſticam ſignificationem* reſtrictarum vocabulo eas etiam divinas laudes denotari, quæ reſponſoriis Matutinis in nonnullis Eccleſiis inſerebantur, & æquali voce canebantur, & affinitatem aliquam cum Hymnis habebant. Hæc ad explicationem horum nominum adjicere libuit, quæ Lectori, niſi plane fallor, injucunda non erunt.

(a) Fabricerius (ut puto). (b) De hoc Sermone in Appendice agemus.

dum, quod ad medium Nocturni in hac nocte Altaria incensantur, & incensum datur Clero, & Populo, & omnia ℞. cantantur cum *Gloria Patri*, quia cuncta Trinitas operatur. Quartum ℞. *Quem vidistis*. ℣. *Natus est*. Quintum ℞. *O Magnum Mysterium*. ℣. *Domine audivi*. Sextum ℞. *Ecce annuntio*. ℣. *Et hoc vobis*.

De Mysterio Tertii Nocturni. XLII.

IN tertio Nocturno Antiph. *Ipse invocavit me*. Psalm. *Misericordias Domini*. Antiph. *Laetentur Caeli*. Psalm. *Cantate I.* Antiph. *Notum fecit*. Psalm. *Cantate II.* ℣. *ipse invocabit*. Ultimae tres Lectiones de singulis homeliis trium Evangeliorum leguntur, & Evangelium sic semper modulata voce pronuntietur, ut homelia tota legatur. Prima sic incipit *Quia largiente Domino*. Secunda S. Ambrosii. *Quod etiam Pastores*. Tertia Augustini. *Ne vile aliquid putares*: & est sciendum quod Dominus Episcopus, si fuerit praesens, & placuerit ei legere, ultimam Lectionem leget. Sin autem, leget eam Archipresbyter, vel Praepositus, ut consuetum est. In hac tanta solemnitate omnes Lectiones leguntur in majori pulpito. Et nota, quod in primo Nocturno Prophetae, in secundo Doctores, in tertio leguntur Evangelistae, quia de Incarnatione Christi Prophetia praecessit, quam subobscuram expositor, quasi Pastor enucleavit, & postmodum Evangelista dilucidavit. Duo Evangelia versantur circa temporalem Nativitatem. In Tertio Gigas geminae substantiae declaratur. Septimum ℞. *Sancta & Immaculata*. ℣. *Benedicta tu*. Octavum ℞. *Beata viscera*. ℣. *Dies sanctificatus*. Nonum ℞. *Verbum caro*. ℣. *In principio*. *Gloria*, & prosae *Quem aethera*, & caet. ℣. *Omnia per ipsum*. Et est notandum, quod hac nocte Novenarium per tria Nocturna distinguimus, ut Patres trium temporum intelligamus sociandos novem ordinibus Angelorum, unde in primis duobus Nocturnis subticetur Alleluja, quia Patres Veteris Testamenti nondum erant illis sociati, sed murmurabant [a] intra claustra Inferni. Sed in Tertio Nocturno frequentatur Alleluja, quia Patres nostri temporis transeuntes, illico Angelis sociantur. Ternarium primae Periochae primis Patribus exhibemus: Scilicet Abraham, Isaac, & Jacob, qui habuerunt legem naturalem, nec non omnibus electis in lege naturali. In secundo Ternario recolimus exercitatos in lege Mosaica, & Psalmis, & Prophetis. In tertio homines de tribus partibus Orbis sub novi Testamenti gratia congregatos. Scilicet de primitiva Ecclesia, Ecclesia Gentium, & ultima conversione Reliquiarum (*b*). Qui omnes per bonam operationem, & Doctrinam Evangelicam, & fidem SS. Trinitatis perveniunt ad Collegium Angelicae Societatis. Hic autem modus in cantandis

[a] Supple *Laudes Dei*. (*b*) *Judaeorum*, ut puto, qui extremis Mundi temporibus Christianae Religioni adhaerebunt.

dis Responsoriis trium Nocturnorum adtenditur, quod omnia Responsoria æquali voce præter Tertium, Sextum, & Nonum cantantur. Sed Versus, & *Gloria* in omnibus Responsoriis solemniter cum Organo canuntur.

De Missa in Nocte, & ratione trium Missarum. XLIII.

CUm legitur nona Lectio, præparat se Episcopus, vel Archipresbyter ad Missam cantandam cum Diacono, & Subdiacono. Finito nono Responsorio Cantor incipit trophum cum duobus, postea Officium. *Dominus dixit ad me*. Quod pro æterna ejus genitura, qua est genitus a Patre sine tempore, decantatur. Item *Gloria in Excelsis*, quæ in ipsa nocte solemniter est dicenda. Oratio, *Deus qui hanc sacram*: Post Orationem legitur Prophetia. *Populus Gentium*. Deinde Graduale cum versu. Postea Epistola, *Apparuit gratia*, inde Alleluja. *Dominus dixit*, cum Organo. Evangelium. *Exiit Edictum*. In hac Missa *Kyrie*, *Sanctus*, *& Agnus Dei* solemniter, & cum Organo cantantur, & *Sequentia*: scilicet *Natus an.* similiter canitur. Hanc Missam in Ecclesia cantari in nocte Telesphorus Papa constituit dicens ad Episcopos. (*a*) *Nocte vero Sancta Nativitatis Domini, & Missas celebrent, & Hymnum in eis Angelicum solemniter decantent*

(*a*) Quàm varia de Romanorum Pontificum Siricium præcedentium *decretalibus* Epistolis Eruditorum opinio sit, quisque novit. Quid de Decreto, quod Telesphoro hic tribuitur, judicet nobiliss. Scriptor Petrus Coustant S. Mauri Monachus ex subsequentibus monitis liquet (ad *Decr.* S. Telesphori Papæ, & Martyris n. 5. pag. 59., & 60. Tomi I. *Epistol. Roman. Pontif.*) ,, *Valde* ,, *vacillat auctoritas, qua tertium de Hymno Angelico ante sacrificium de-* ,, *cantando decretum Telesphoro adjudicetur. Neque hac in re Pontificali li-* ,, *bro suffragantur ulli scriptores sæculo nono antiquiores. Et quidem, si de* ,, *Hymno integro* Gloria in excelsis *ibi sermo est, an tunc temporis compo-* ,, *situs fuerit, non est extra controversiam. Toletani IV. Concilii* Tolet. ,, IV. (can. 4.) *judicio, illum* Ecclesiastici Doctores composuerunt. *Plu-* ,, *res alii eumdem ab Hilario Pictaviensi Episcopo auctum & consumma-* ,, *tum tradunt, etiamsi pene totus lib. 7. constitut. Apost. cap. 48. insertus* ,, *sit, ibique velut* Oratio Matutina *præscribatur. Denique haud scio an cum* ,, *Decreto ille generali componi possit, quod Gregorius Sacramentarii sui ini-* ,, *tio tradit:* Dicitur *Gloria in excelsis Deo*, si Episcopus fuerit, tantum- ,, modo die Dominico sive diebus festis: a Presbyteris autem minimè di- ,, citur, nisi tantum in Pascha. *Si verò* Angelici Hymni *nomine una in-* ,, *telligantur Angelorum verba, nil repugnat quominus ea ante sacrificium* ,, *dici Telesphorus præceperit. Quamquam etiam illa, non ante sacrificium,* ,, *sed* post divinam oblationem, *& proximè ante communionem fidelium, A-* ,, *postolicæ Constitutiones lib. 8. cap. 13. dicenda præcipiunt. Non me fugit* ,, *constitutiones illas post Telesphori tempora fuisse auctas. Sed inter illa ad-* ,, *ditamenta cur celeberrimi Papæ Constitutio locum non habuit?* ,,

tent, quoniam eadem nocte ab Angelo Pastoribus est annuntiatus. Sicut ipsa *Evangelii veritas testatur* dicens: (a) *Pastores erant in regione eadem*, & cætera. Ad ostendendum igitur quod idem est qui in nocte nascitur, & in Altario immolatur, & ad recordationem Angelorum, qui in nocte illa Hymnum Angelicum cecinerunt, Missam in nocte constituit dictus Papa Telesphorus celebrari. Amalarius (b) auctor Officii, mane voluit aliam celebrari: ut novæ lucis in Mundum introitus demonstraretur. Et quia sanctificavit eum Pater ab exordio conceptionis; ideo sacrificium ei offerretur in exordio lucis: Seu propter visitationem Pastorum ad Præsepe Domini: in quo invenerunt pabulum, unde cotidie reficiuntur animæ Sanctorum. Rursus tertia Missa in hora tertia celebratur, ut Missæ debitus Ordo servetur. Reliquis enim temporibus ante horam Tertiam diei Missarum celebrationes de ratione minimè sunt faciendæ, quia ea hora Dominus Crucifixus: (c) Et super Apostolos Spiritus Sanctus legitur descendisse. [d] Tres Missæ *in Nativitate Domini* tria tempora significant. Constat enim tempora Mundi, per hanc singularem Nativitatem salvari. Per Missam quæ in nocte canitur, tempus ante legem, ignorantiæ tenebris involutum accipitur, ideoque in nocte cantatur, & in ea legitur. *Populus Gentium qui ambulabat:* per Missam, quæ in Aurora cantatur, tempus legis exprimitur, in quo Lux Fidei Mundo per Scripturas ostenditur; ideoque in Aurora canitur, & in ea dicitur: *Lux fulgebit:* per Missam tertiam, quæ in die ad horam tertiam celebratur: *Dies salutis, & tempus* gratiæ denotatur, in quo Christus nascitur; ideoque in die canitur, & in ea dicitur, *Puer natus est nobis*.

Quare hoc Evangelium Nocte legitur, & cur Matthaus descendendo, & Lucas ascendendo? XLIV.

MIssa de nocte solemniter finita cum *Ite Missa est*, Diaconus legit Evangelium *Liber Generationis*, in quo Christi Genealogia recitatur, per XIV. Patres, per quos quasi per XIV. Mansiones itur ad Jordanem, idest ad Sanctam Virginem gratiæ plenitudine fęcundatam, per quam post ad terram intratur, idest ad Christum, qui est hæreditas Sanctorum, qua in præsenti reficiuntur, & in futuro plenarie saturabuntur. Qua vero ratione in Nativitate Domini, & in Baptismo ipsius in nocte Evan-

(a) Luc. II. 8. (b) Codex noster constanter legit Amelarius obsistentibus Codicibus reliquis, & editis libris, quos sequor.

[c] Marci XV. 25. *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum*. [d] Act. Apost. II. 15. De tribus Missis die Dominicæ Nativitatis celebrandis cum alii multi disseruerint, multa sane cum laude disseruit Eminentiss. itemque Eruditiss. Card. Antonelli, quem omnino consulas volo [annot. apposit. Operi quod *Vetus Missale Romanum* appellavit; pag. 17. 18. 19. 20.]

Evangelium Generationis ejus legatur, hoc intelligimus quia Dominus noster Jesus Christus, statim postquam natus est, Scribas, & Sapientes, ipsumque persecutorem suum latuit, & ante Baptismum quis esset, prædicatione, & miraculis non demonstravit. Item qua ratione Evangelium *Liber Generationis*, in Nativitate Domini, & in Baptismo ejus *Factum est autem*, alia series generationis ostenditur, docet Augustinus (a): Matthęus id quod cępit ab Abraam usque ad Joseph descendendo, Lucas autem ascendendo cępit numerare. Quare ille descendendo, iste ascendendo? Quia Matthæus Generationem Christi commendabat, qua descendit ad nos. Ideo quando natus est Christus, cępit numerare descendendo, Lucas autem quia tunc cępit numerare, quando baptizatus est Christus, ubi est initium Ascensionis, ideo ascendendo numerare cœpit: in numerando autem complevit Generationes LXXVII, a quo numerabat. Intendite, a quo exorsus est numerare usque ad ipsum Adam qui primus peccavit, & nos cum peccati obligatione generavit, (b) numerantur Generationes LXXVII. hoc est a Christo usque ad Adam: quas diximus LXXVII., & ab Adam usque ad Christum LXXVII. Si ergo nulla generatio prætermissa est, nulla culpa prætermittitur, ubi non debet ignosci, nam ideo LXXVII. generationes numerantur. Quem numerum Dominus in peccatorum remissionem commendavit, cum Beato Petro interroganti quotiens dimittendum esset fratri, respondit dicens: (c) *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Ideo Lucas a Baptismo cœpit. Lecto Evangelio super majus Pulpitum statim idem Diaconus in eodem loco incipit. *Te Deum laudamus*. In Laudibus Antiph. *Quem vidistis*, & cæter. finito Psalmo *Laudate Dominum de Cœlis*, usque *in Sanctis ejus*, & Chorus mox incipit. *Pastores dicite*. Deinde duo infantes post Altare B. Virginis ęquali voce dicant: *Infantem vidimus*. Postea Chorus respondet *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, & sic per unumquemque Versum hoc ordine dicatur, donec totum finiatur. (d) Capitulum *Populus Gentium qui ambulabat*. Hymnus non dicitur. ℣. *Notum fecit Dominus*. Ad Benedictus Antiph. *Gloria in Excelsis*. Oratio *Concede quæsumus*. *Benedicamus Domino* solemniter cantetur cum Organo.

Ad Missam in Aurora, & qualiter Prophetia legitur ante Epistolam. XLV.

Cum autem crepusculum apparuerit, sonetur majus signum, & studium habeant Custodes Ecclesiæ præparare omnia ad secundam Missam, sicut fecerunt ad primam. Dicto tropho cum Organo, canitur Of-

 cium

(a) Vide quæ tradit Augustinus *Quæst. in Genesim* Lib. I. Quæst. CXXI., & Sermone LI. *de Concordia* Matthæi, & Lucæ n. 12. (b) Fortasse hic aliquid deest. (c) Matth. XVIII. 22. (d) Aliquid affine hodieque servamus in Psal. I. tertii Nocturni diei Epiphaniæ.

ficium *Lux fulgebit*. Item *Gloria in Excelsis*, & Oratio *Da quæsumus Omnipotens Deus, ut qui nova*, & Oratio de S. Anastasia, ita quod utraque Oratio dicatur sub uno *sæculorum*. Postea legitur Prophetia *Spiritus Domini*. Deinde Graduale cum Versu. Postea Epistola *Apparuit Benignitas*. Demum Alleluja. *Dominus regnavit* cum Organo, & Sequentia *Cunctum Orbem*. Evangelium *Pastores loquebantur*. Expleta Missa cantatur Prima, in qua canitur Hymnus *Enixa est Puerpera*, *& Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*. Antiph. *Genuit Puerpera*. Capitulum *Apparuit*. ℟. *Christe Filii Dei vivi miserere nobis, Alleluja Alleluja. Qui nasci dignatus es de Maria Virgine. Gloria Patri*. ℣. *Verbum caro*. Oratio *Concede quæsumus*. Hoc Capitulum, & ℟., & ℣., & Oratio ad Primam non mutantur usque Vigiliam Epiphaniæ; & nota quod ab hodie usque Octavam Epiphaniæ semper ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam cantamus ℟., & ℣. cum Alleluja, ad repræsentandam summam lætitiæ, quæ nobis advenit tempore gratiæ. Cantata Prima omnes Fratres vadunt in Capitulum, & pulsato signo, ætas Lunæ, & festum alterius diei pronuntiatur. Postea Archipresbyter, vel Sacerdos Hebdomadarius dicit ℣. *Verbum caro factum est*; & *notum fecit*, & *ipse invocabit*, & cæt. *Benedicite* ℟. *Dominus*. *Vias vitæ aperiat*, & cæt. Hunc modum in solvendo Capitulum servamus per quatuor dies. Postea more solito dicimus *Pretiosa*, & *De profundis*; & post comestionem similiter dicitur *De profundis*.

De Missa populari, & commonitione. XLVI.

DEinde congrua hora cantatur alia Missa Populo, in qua Populus communicatur, & in hac Missa diligenter est Populus commonendus ab Hebdomadario Sacerdote de perceptione Corporis Christi, qualiter cum maxima humilitate venire debeant ad illud percipiendum, & quod nullus abstineat, nisi sit criminali peccato gravatus, de quo pœnitentiam non accepit. Præcipiatur etiam omnibus, quod generaliter totus Populus Civitatis, prout bene consuevit, veniat ad audiendam majorem Missam, & prædicationem Domini Episcopi, quam debet facere tali die. Postea fiat sola confessio Populo more consueto, & est sciendum quod tam in Vigilia, quàm in tribus prædictis Missis hodiernæ solemnitatis duæ Lectiones leguntur, prima de Propheta, secunda de Apostolo. (*a*) Quod ideo

(*a*) Missale Seculi XI. olim ad Monachos Insulæ Gorgoniæ pertinens, quod nostra possidet Bibliotheca, has Lectiones ponit ordine inverso. In I. Missa desumpta ex I. Epist. ad Titum (III. 4.) *Apparuit benignitas* usque *in Christo Jesu Domino nostro*, alteram ex Isaia (IX. 2.) *Hæc dicit Dominus: populus gentium, qui ambulabat in tenebris* usque, *amodo, & usque in sempiternum*. In II. Missa *in mane*, prima eadem est, ac superior, desumpta scilicet

ideo Sancta Ecclesia instituit, quia Christus pro duobus Populis in uno pariete conjungendis est natus; vel quia super basim Prophetarum fundata est columna Apostolorum. Nam Apostolorum doctrina semper dictis Prophetarum confirmatur. Sunt enim Prophetiæ sicut bases in fundamento. Collocantur prius bases, sequuntur columnæ, & super bases firmius stant columnæ. Ita per dicta Prophetarum confirmatur doctrina Apostolorum, & Evangelistarum, & propterea, ut vera & firma sit, & appareat Doctrina Apostolorum, & Evangelistarum, Prophetia præcedit, & sequitur Epistola, ut per ipsam Prophetiam doctrina Pauli, & aliorum Sanctorum novi Testamenti probetur, & confirmetur: Vel ideo prædictæ duæ Lectiones leguntur, quia activi, & contemplativi per hanc Nativitatem in una fide salvantur. Vel quia per Prophetas, & Apostolos, & per utrumque Testamentum, evidentius ejus nativitas concorditer prædicatur. Hi sunt (a) duo Cherubim, qui Propitiatorium tegunt, sesequeversis vultibus in Propitiatorium respiciunt. Per Propitiatorium, Incarnatus Dominus figuratur: de quo Joannes (b) *Ipse est Propitiatio pro peccatis nostris*.

licet ex Epistola ad Titum *apparuit*, altera ex Isaia, ut in superiore Missa, sed ex alio Prophetæ loco excepta: ex num. scilicet, seu Versiculo I. Capitis LXI. *Hac dicit Dominus: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me . . . . redempti a Domino Deo nostro*. In Tertia vero, seu *Majori* Missa prima Lectio ex initio Epistolæ ad Hebræos desumpta est, usque *& anni tui non deficient*. Altera, item ut duæ Superiores, pariter ex Isaia (LXI. 7.) *Propter hoc sciet populus*; quasi demonstret Ecclesia id quod traditum est, nunciatumque ab Apostolo Paulo, jam fuisse prædictum ab Isaia. Aliter tamen lectiones has dispositas in aliis Codicibus vidi. In Codice Brixiensi Seculi XIV, quem nostra servat Bibliotheca, sic disponuntur. In I. Missa, quæ in eo Codice dicitur *de Nocte*, prima Lectio Isaiæ Prophetæ. *Hac dicit Dominus; populus gentium:* usque *amodo & usque in sempiternum. Amen*. Secunda Lectio B. Pauli *ad Titum Apparuit gratia* usque *exhortare in Christo Jesu Domino nostro*. Ad Missam *in Aurora*. I Lectio *Isaia*. *Hac dicit Dominus: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*, usque *redempti a Domino Deo nostro. Amen*. II. Lectio Epistolæ *B. Pauli ad Titum: Apparuit benignitas & humanitas usque in Christo Jesu Domino Domino Nostro*. Ad Majorem Missam: I. Lectio Isaiæ Proph. *Hac dicit Dominus, propter hoc sciet populus meus* usque *videbunt omnes fines terra salutare Dei nostri*. II. Lectio Epist. B. Pauli ad Hæb. *Fratres multifarie multisque modis* usque *& anni tui non deficient*. Aliter etiam in aliis Codicibus. Eadem tamen meta est: ut scilicet assequamur, prædictum fuisse a Prophetis, quod nunciatum ab Apostolis; & id nunciatum fuisse ab Apostolis, quod prędictum a Prophetis, atque in primis ab Isaia, qui, ut vetusta phase utar, *incarnationis est praenunciator apertior*.

(a) Exod. XXXVII. 7. 9. (b) I. Jo. II. 2.

De Missa Majori, & praecedentium moralitate. XLVII.

POst Missam popularem pulsantur majores Campanæ per longam moram ad majorem Missam. Hac die non consuevimus facere Processionem, nec in die S. Stephani, vel S. Joannis, vel Sanctorum Innocentium, licet his diebus dies Dominicus interveniat. Quamvis etiam Missa, quæ cantata est in Nocte, & illa de Aurora, honorifice sint celebratæ, hæc tamen quæ tertia est, & quasi circa horam tertiam debet cantari, *Major* dicitur, & cum majori Laude & tripudio est celebranda. Nec mirum, quia pro Puero Salvatore nostro cum magno gaudio, & lætitia in ejus Officio exultare debemus; & in hac Missa cum majori, quàm in reliquis duabus præcedentibus, quia in hac monstratur completum quod in ipsis dicebatur futurum. Quod enim *Lux fulgebit*, venturum promittit. *Puer Natus*, nobis ostendit jam venisse. Prima Missa, quæ in Nocte cantatur significat æternam generationem Filii a Patre: quia sicut quod fit in nocte a paucis scitur, ita genitura Filii a Patre a nullo scitur, nisi ab ipso Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Quod notat ipsum Officium: *Dominus dixit ad me, hodie* (hoc est ab æterno) *genui te*. Missa, quæ in Aurora, & quasi in crepusculo Noctis præcedentis, & Diei sequentis cantatur, significat obscura dicta & Legis, & Prophetarum de Christo, tempore quorum aliqui erant qui credebant, aliqui qui hæsitabant. Et sicut illa pars temporis, scilicet Aurora, nec penitus lucet, nec omnino est obscura, ita Scriptura Legis Moysis, & Prophetarum ex quadam parte poterat intelligi, & intelligebatur, ex majori parte erat obscura & tenebrosa; dicente Propheta. (a) *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*: hoc est in Libris Moysi, & Psalmorum, & Prophetarum. Sed in tertia quando Sol altius ascendit, omnia sunt aperta, & manifesta. Sub Sole enim nihil potest latere, & de Sole & luce omnes lætantur. Quod notat *Puer natus est nobis*. Quando hoc auditur, omnis dubitatio removetur, & omnes lætantur. Sicut ille qui accepit quod diu cum magno desiderio expectavit. Item tres illæ Missæ significant tria tempora, scilicet tempus ante legem, quod fuit ab Adam usque ad Moysen quando nulla Lex scripta erat, sed sola naturalis, scilicet: *Quod tibi non vis, alii ne feceris*, & : *quod tibi vis fieri, alii impendas*, & quo tempore nulla fere habebatur cognitio Dei. Et tempus sub Lege, quod fuit a Moyse usque ad Christum, quando Lex scripta in Tabulis data fuit Moysi, & uni soli Genti, Hebreæ videlicet, ut dicit Propheta (b) *Notus in Judæa Deus*. Et tempus gratiæ, quod est ab adventu Christi usque ad finem sæculi. Quod dicitur *tempus gratiæ*, & bene: quia per gratiam, & non

ex

(a) Psal. XVII. 12. (b) Psal. LXXV. 2.

ex meritis nostris Filius Dei ad nos venit, per gratiam nos redemit. (a) Et hæc sunt tria tempora ante Legem, & sub Lege, & sub Gratia, quæ significant illæ tres Missæ, quæ significant etiam Trinitatem. Per illam quæ in Nocte *Pater*. Per eam quæ in Aurora *Spiritus Sanctus*. Per illam quę in Tertia *Filius Dei*, qui est Sapientia Patris, per quem omnia revelantur.

De Ordine Officii in Missa Majori. XLVIII.

Cum autem in tertia pulsatione omnia signa pulsantur in classicum, ad Missam majorem cantandam venit Dominus Episcopus in Ecclesiam, & Archipresbyter, Diaconus, & Subdiaconus cum eo, & præparant se solemnibus indumentis in Sacristia, vel post Altare Beatæ Virginis, & interim dum parantur, dicunt Tertiam. Similiter in Choro solemniter tunc cantatur Tertia. In qua æquali, & alta voce canitur Hymnus *Enixa est puerpera*. (b) Antiph. *Angelus ad Pastores*. Capitulum. *Apparuit*. ℞. *Verbum caro*. ℣. *Notum fecit*. Item cantata Tertia, Cantor cum duobus vadens in Chorum incipit Trophum. *Ecce*, & totum cum Organo, postea Officium cantet. *Puer natus est*. Deinde solemne *Kyrie eleison* cum Organo. Scilicet illud, ubi sunt prosæ. *Lux & origo*. (c) Item *Gloria in Excelsis*, & Oratio *Concede quæsumus*. Sequitur Prophetia *Propter hoc sciet*. Deinde Graduale, postea Epistola *Multifariam*. Lecta Epistola Subdiaconus qui eam legit, vadit ad manum Episcopi, & Cantor cum tribus ascendit majus Pulpitum, & ibi cum Organo cantant solemniter *Alleluja dies sanctificatus*, & tunc Subdiaconus accipit

---

(a) Rom. IX. 12. Ti. III. 5. [b] Aliter se habet res in *Liturg. Gallic.* Mabillon. Vid. pag. 102., & 190.

[c] Hæc est portio Hymni Sedulii, qui incipit ad hunc modum: *A solis ortus cardine;* quo Hymno, sed Urbani VIII. jussu emendato, hodieque utimur in laudibus Officii Dominicæ Nativitatis: in quo Hymno quinta Stropha sic se habet: *Enixa est puerpera,*
Quem Gabriel prædixerat
quam Strophem, uti dixi, emendatiorem Urbani VIII. jussu factam, ad hunc modum nunc canimus: *Enititur puerpera,*

(d) Perquisivi, invenique in veteribus codicibus non pauca additamenta intermixta iis Missæ precibus, quas *Kyrie* appellamus; iis quoque quas *Angelicum Hymnum*, seu *Gloria* dicimus, iis pariter quas *Sanctus*, & *Agnus Dei;* quas aliquando, si Deus dederit, evulgabimus, sed addimentum quod hic indicatur, quod scilicet initium duceret ab his vocibus: *Lux, & origo*, minime inveni: quod mirum non est: poterat enim quælibet Ecclesia, Cathedralis saltem, aut Monasterii præstantioris, sibi peculiarem prosam componere, canereque. Hinc infinitæ propemodum occurrunt h. m. prosæ, & Sequentiæ, e quibus nonnullas continet Parnassus Marianus: multas quoque, uti dixi, habent antiqui codices, & ne multos indicem, non paucas habent codices nostri.

pit Turibulum cum prunis, & repræsentat illud Episcopo, & Custodes præparant thus, quod Dominus Episcopus suscipiens ponit in turibulo, & in suscipiendo Custos qui porrigit, osculatur manum ejus. Postea Diaconus accipiens librum Evangeliorum desuper Altari, cum eo vadit ad manum Episcopi, & petit benedictionem ab eo. Deinde Dominus Episcopus, Archipresbyter, Diaconus cum libro, Subdiaconus cum Turibulo, custodibus cum cereis præcedentibus, vadunt in majus Pulpitum. Dum autem isti veniunt, expleto Alleluja, Cantor alte incipit Antiph *Gloria in*, & omnes, qui sunt cum eo, illam cum Organo finiunt. Cum autem Dominus Episcopus, & alii cum eo sursum pervenerint, Diaconus incipit Evangelium. *In Principio erat Verbum*, in quo æterna, & temporalis Christi Nativitas declaratur. Post Evangelium a Domino Episcopo, vel Archipresbytero fit honorabilis Sermo ad Clerum, & Populum. Deinde fit Confessio Populo a Diacono, & indulgentia cum benedictione ab Episcopo. Postea revertuntur ad Altare, & dicitur *Credo in unum*. Deinde *Sanctus*, *Sanctus* cum prosis, (a) *Verbum quod erat*, & *Agnus Dei* festive cum Organo cantantur. In fine Missæ dicitur a Diacono, *Ite Missa est*, & Episcopali benedictione solemni majoris Missæ Officium consummatur.

De Horis diei, & Vesperis in Nativitate. XLIX.

FInita majori Missa statim Sacerdos incipit Sextam. Hymnus *Enixa est*. Antiph. *Facta est cum Angelo*. Capitulum *Parvulus natus est nobis*. ℟. *Notum fecit Dominus*. ℣. *Ipse invocavit*. Oratio *Concede quæsumus*. Postea omnes Canonici vadunt in Curiam Domini Episcopi cum tota familia, & ibi cum eo Curialiter reficiuntur. Cum autem omnes sederint, taliter incipiunt benedicere mensam: *Verbum caro factum est*, & *Gloria Patri* & cæt. *Kyrie eleison*. *Pater noster*. Dicto *Jube Domne*, datur benedictio, & dicitur Capitulum de Epistola diei. *Apparuit gratia*, & cæt. Finita comestione dicatur a Subdiacono Capitulum de fine Epistolæ. Deinde ℣. *Benedictus qui venit*, & cæt. *Gloria Patri* & cæt., & tunc dicit Dominus Episcopus *Oremus*. *Gratias agimus tibi Deus*, & cæt. Hoc dicto, statim Cantor incipit ℟. *Verbum caro factum est*, & mox omnia signa in classico pulsentur, & in Chorum omnes cantando ℟. revertantur, & ibi finito ℟. *cum gloria*: dicitur *Kyrie eleison*. *Pater noster*, *& ne nos*, & cæt. ℣. *Notum fecit Dominus*, & cæt. *Ipse invocavit*. Deinde Oratio de Nativitate, & ea dicta usque *per omnia sæcula sæculorum*, & dicto *Dominus vobiscum*, & *Benedicamus Domino*, dicit Episcopus *Benedicat nos qui creavit*, *& pavit nos*, & cæt. *Benedicite*, respondetur *Dominus*, cum gratiarum actione. Hoc autem notandum, quod si tanta solemnitas venerit in sexta Feria ex generali Ecclesiæ consuetudine, non consuevimus tali

die a

[a] Recole Annotat. proxime præcedentem.

die a Carnibus abstinere. Post comestionem soluto Capitulo, antequam exeatur, cantatur Nona. Hymnus *Enixa est puerpera*. Antiph. *Parvulus Filius*. Capitulum *Apparuit benignitas*. ℟. *Ipse invocavit*. ℣. *Verbum caro*. Oratio *Concede*. Ad Vesperum Antiph. *Tecum principium*. Psalm. *Dixit Dominus*. Antiph. *Redemptionem*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Exortum*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Apud Dominum*. Psalm. *De profundis*. Antiph. *De fructu*. Psalm. *Memento*. Istæ Antiphonæ cum Psalmis cotidie usque in octavam Epiphaniæ cantantur ad Vesperum, & non mutantur aliqua die, sive sit festum, sive non; singulis enim diebus prius totæ Vesperæ Nativitatis Domini, & post *Magnificat*, & Orationem de Nativitate canitur ℟., ℣., & Oratio de Festo sequentis diei. Et hoc est singulare privilegium in istis Vesperis, quia cum cætera Officia mutentur pro superveniente festo, istæ Vesperæ nunquam mutantur, eo quod Dominus venit in Vesperis, idest in ultima ætate Mundi, ad salvandum saltem reliquias generis humani. Item Capitulum *Apparuit gratia Dei*. Deinde Sequentia cum Organo in Choro solemniter cantatur a tribus, & interim Altaria incensantur, & datur incensum Clero, & Populo. ℣. *Benedictus qui venit*. Ad *Magnificat*. Antiph. *Hodie Christus natus est*, quæ tota ante, & post, cum Organo cantatur, & quandocumque hanc Antiphonam canimus usque Octavam, semper eam cum Organo cantamus. Oratio *Omnipotens sempiterne, qui hunc diem*. Qua finita statim Cantor incipit ℟. *de Sancto Stephano*, & cum eo imus ante Altare ipsius. Finito ℟. unus de Diaconibus dicat Orationem *Omnipotens sempiterne Deus qui primitias*. Postea ibidem *Benedicamus Domino* solemniter, & cum Organo cantetur.

De Festo Sancti Stephani Protomartyris. L.

STephanus primus Martyr in novo Testamento fuit, qui Hebraice interpretatur *Norma eorum;* quod prior fuit in Martyrio ad imitationem Fidelium, *Stephanus* Græce, Latine *Corona* dicitur. Hujus festum consueverunt Diaconi celebrare, quia iste ab Apostolis inter septem Diaconos fuit eximius constitutus. Creditur autem quod ejus Passio fuerit facta in Augusto, quando ejus Inventio celebratur. Sed quia Passionis festum est dignius festo Inventionis, transportatum est ad tempus Dominicæ Nativitatis, ut Natale S. Stephani, quando in cœlis in Angelica societate nascitur, Natali Domini, quo natus est in terris, conjungeretur. Ad Matutinum Invitatorium *Regem natum*. Hymnus *Deus tuorum Militum*, eo tono quo canitur, *A solis ortu*. Et est sciendum, quod ad omnes Hymnos tam Nocturnos, quàm diurnos, qualibet die usque ad Epiphaniam dicimus *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*. In primo Nocturno Antiph. *Beatus Stephanus*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Constitutus*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *In tribulatione*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Gloria & honore*. In secundo Nocturno Antiph. *Lumine vultus*. Psalm.

Cum

Cum invocarem. Antiph. *Benedictionis*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *O quam admirabile*. Psalm. *Domine Dominus noster*. ℣. *Posuisti Domine*. In tertio Nocturno *In Domino Deo*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Sine macula*. Psalm. *Domine quis habitabit*. Antiph. *Domine virtus*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Magna est Gloria*. Sex Lectiones leguntur de Sermonibus Sancti Stephani. Tres ultimæ de Homelia Evangelii. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas*, in quo legitur de occisione Prophetarum, ubi dicitur *a Sanguine Abel justi*; sicut enim ille fuit Protomartyr in veteri Testamento, sic & iste in novo. Nam post Ascensionem Domini primus pro Christo martyrium sustinuit, eodem scilicet Anno Dominicæ Passionis. ℟. cantantur de propria ipsius Historia, *Lapidabant Stephanum*, & cætera sicut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Verbum caro*. Quod cotidie usque ad Octavam Nativitatis Domini ultimo loco post Lectiones ad Matutinum cantatur in Ecclesia nostra. Sequitur *Te Deum laudamus*. ℣. *Ora pro nobis B. Stephane*. In Laudibus Antiph. *Lapidabant Stephanum*, & cętera. Capitulum *Stephanus plenus gratia*. Hymnus *Martyr Dei qui unicum* in tono supradicto. ℣. *Sepelierunt Stephanum viri timorati*. Ad *Benedictus*. Antiph. *Stephanus autem*. Oratio *Da quæsumus Domine imitari quod colimus*. Postea canitur Antiphona de Nativitate *Gloria in Excelsis*. Quæ cotidie usque Octavam Nativitatis cum Organo cantatur. Deinde Oratio de Nativitate. Ad Primam Hymnus *Jam lucis orto*; & sic in omnibus Festivitatibus usque Octavam Epiphaniæ, præterquam in die Epiphaniæ tantum. Et ad Tertiam, & Sextam, & Nonam dicuntur Hymni feriales eo tono quo dicitur *A solis ortu*. Antiph. *Lapides*. ℟. *Christe Fili Dei vivi*. ℣. cum Capitulo, & Oratione de Nativitate non mutatur usque ad Epiphaniam. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & ℟., & ℣. de uno Martyre dicuntur. Ad Missam Popularem, & majorem, Officium *Etenim sederunt*. Et in Ecclesia nostra Epistola *Stephanus* a tribus Cantoribus cum Organo cantatur. Post Epistolam, Graduale *Etenim sederunt*, & Alleluja, *Video Cælos*, cum Organo, & ad Missam majorem cantatur ejus Sequentia. Evangelium *Dixit Jesus turbis, & Princip. Sacerd. Ecce ego mitto*. Ad Tertiam Capitulum *Stephanus autem plenus gratia*. Ad Sextam Capitulum *Cum autem esset plenus*. Leguntur vero ad *Mensam* Sermones Sanctorum Patrum ad ipsum diem pertinentes. Ad Nonam Capitulum *Positis autem genibus*. Ad Vesperum Antiph. *Tecum Principium* eo modo, ut in die SS. Nativitatis. Finita Oratione de Nativitate, statim Cantor incipit ℟. *Qui vicerit, faciam illum*, & cum eo vadant ante Altare S. Joannis. Finito ℟. dicitur *In omnem terram*. Postea unus de Sacerdotibus dicat Orationem *Ecclesiam tuam Domine*. Deinde fiat commemoratio de Sancto Stephano per Antiph. ℣., & Orationem, & sic ibi Vesperum solemniter finiatur.

De

De Festo S. Joannis. LI.

JOannes, qui interpretatur *gratia Dei*, Apostolus, & Evangelista, Filius Zebedęi, Frater Jacobi fuit, dilectus Domini, Prædicator Asiæ in Epheso, cujus Festum VI. Kal. Januarii celebratur. Alii dormitionem ejus nono Kal. Julii dicunt, quando est Nativitas S. Joannis Baptistæ. Quia cum esset nonaginta novem annorum in LXIV. anno post Passionem Domini, hujus Mundi viam deseruit in Nativitate B. Joannis Baptistæ. Unde quia festum illius majus est, quo (a) inter *natos mulierum major* non extiterit, in cujus nativitate (b) Angelus gaudere prædixit, idcirco festum hujus ad eam diem transfertur, in qua Ephesi legitur infulatus: quod & ea decuit ratione, ut Sponsus qui est (c) *rubicundus, & candidus*, duos haberet comites, (d) Stephanum Martyrio rubicundum, & Joannem Virginitate candidum. Hic (e) super *pectus Domini in cœna recubuit*: [f] cui Christus *in Cruce Virginem Virgini commendavit*, hic testimonium (g) Christo perhibuit, (h) Apocalipsim composuit, hic exilio est relegatus, & in olei dolio missus, tandem senium in pace finivit. Ideoque dixit Dominus (i) *sic eum volo manere*; & quia Presbyter fuit, & Episcopus, hujus festum Presbyteri maxime celebrant, & Episcopi.

De Vigilia S. Joannis. LII.

QUia igitur hujus beatissimi Evangelistæ patrociniis, & speciali vocabulo Altare in nostra Ecclesia decoratur, post Vesperas sero, competenti hora in Choro de ipso Vigiliam solemniter celebramus (k)

G hoc

[a] Matth. XI. 11. [b] Luc. I. 14. [c] Cant. V. 10. (d) Durand. lib. VII. 42. 8. (e) Jo. XXI. 20. (f) In Respon. (g) Jo. XXI. 24. [h] Hieronymus *de Script. Eccl.* [i] Jo. XXI. 22.

[k] Ex hoc, & ex aliis etiam, quæ deinceps in hoc Ordine occurrunt, duo eruimus, primum minime desiisse priscis ipsis Ecclesiæ sęculis frequentari a Fidelibus Vigilias: alterum Vigiliis non fuisse substituta jejunia. Scilicet XIII. sęculo Ordo iste observabatur, & tum etiam observabatur, quum Vigiliis substituta minime sunt jejunia: Quis enim dicat jejunium fuisse actum die præcedente solemnitatem S. Joannis? An nescis festivissimam fuisse diem, quæ præcederet S. Joannis festivitatem? In ea scilicet celeberrima recolitur S. Stephani passio, & memoria. Distincta, atque adeo diversa se præbent Officium Vigiliæ ab Officio Matutinali S. Joannis, quod quisque comperiet, si ea conferat. Si quis multa de Vigiliis in Ecclesia actis nocte præeunte festivitates nosse cupit, ea consulat, quæ de hoc argumento jam dudum tradidi. (*de Cultu Sanctor.* Disser. VI. cap. 21. 22. & subseq.) Audi quid Rodulphus Tungrensis de his Vigiliarum Officiis dixerit (*de Canon. observant. propos.* 19.) *Addendum est, quod dies privati infra Octavas majores reputantur, quasi forent temporis Paschalis. Unde in eis non servantur postrationes, preces cum Miserere: & cetera hujusmodi, quæ Paschali tempore omittuntur, ut etiam faciunt Carthusienses. Qua consideratione plures Alemanni eisdem die-*

hoc modo. Sacerdos incipiens dicit *Deus in adjutorium meum intende*. Deinde cantor Invitatorium *Regem Apostolorum*. Postea tres Antiphonæ cum tribus Psalmis de primo Nocturno dicuntur, & tres Lectiones de Vita ipsius. ℟. *Valde honorandus est*. ℣. *Virgo enim* cum organo. Item ℟. *Qui vicerit*, quod totum cum *Et Gloria*, cum Organo cantatur; post duæ *Lectiones*. Finita tertia Lectione canitur *Te Deum Laudamus*, & omnia signa pulsantur in classicum. ℣. *Valde honorandus est*. Ad *Benedictus*. Antiph. *Iste est Joannes*. Oratio *Ecclesiam tuam*, & *Benedicamus Domino* solemne.

De Matutinali Officio. LIII.

AD Matutinum Invitatorium. *Iste est Joannes Domini discipulus*. Psalm. *Venite*. Hymnus *Exultet Cælum*, eo tono quo canitur *A solis ortu*. In primo Nocturno Antiph. *Joannes Apostolus*. Psalm. *Cæli enarrant*. Antiph. *Super pectus*. Psalm. *Benedicam*. Antiph. *Quasi unus*. Psalm. *Eructavit*. ℣. *In omnem terram*. In secundo Nocturno Antiph. *In ferventis olei*. Psalm. *Omnes gentes*. Antiph. *Propter insuperabilem*. Psalm. *Exaudi Deus deprecationem*. Antiph. *Occurrit Beato*. Psalm *Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor*. ℣. *Constitues*. In tertio Nocturno Antiph. *Apparuit caro suo Joanni*. Psalm. *Confitebimur*. Antiph. *Expandens manus*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. Antiph. *Domine suscipe me*. Psalm. *Dominus regnavit, irascantur*. ℣. *Nimis honorati*: Sex Lectiones leguntur de vita ipsius, quæ sic incipit, (a) *Mellitus Servus Christi*, vel de Sermonibus ipsius. Tres ultimæ de Homelia Evangelii. *Dixit Jesus Petro, sequere me*. ℟. de propria historia *Valde honorandus est*. Ultimum ℟. *Verbum caro*. *Te Deum*. ℣. *Valde honorandus Beatus Joannes*. In Laudibus Antiph. *Hic est Discipulus ille*, & cæteræ. Capitulum *Qui timet Deum*. Hymnus, *In his paterna gloria*, eodem tono, ut dictum est. ℣. *Annuntiaverunt opera Dei*. Antiph. Ad *Benedictus*. *Iste est Joannes*. Oratio *Ecclesiam tuam*. Postea fit commemoratio de Nativitate Domini, & S. Stephani, per Antiphonas, ℣. & Orationes ipsorum. Ad Primam, & omnes horas diei Antiph. de Laudibus. ℟., & ℣. de Apostolis. Ad Missam, Officium: *In medio Ecclesiæ*. Epistola *Qui timet*. Graduale *Exiit sermo*. Alleluja *Hic est Discipulus*, & Sequentia ipsius ad Missam majorem cum Organo. Evangelium, *Dixit Jesus Petro: sequere me*; & est notandum quod hac die non dicimus illud Officium: *Ego autem*, quod positum est in hoc festo, sed canimus illud tantum in Vigiliis illorum Apostolorum, quæ propria non habent Officia. Missa Popularis, & major cantatur ad Altare Beati Joan-

diebus ad Vigilias noctis servant tantum tres Psalmos cum tribus Antiphonis, ut tempore Paschali facere consueverunt, sed hoc reprobatum est supra propositione decima.

(a) Hanc Melliti narrationem, ex qua desumitur pars non modica hujus Officii, illustratam tibi præbebit Florentinius (in *Vet. Martyrol.* pag. 150, & seqq.) De ea, quam *apocrypham* declarat, habet multa Fabric. (*Codex Apocryph. Novi Testamen.* pag. 788.) Eum consule.

Joannis. Ad Tertiam Hymnus *Nunc sancte*. Antiph. *Ecce puer meus*. Capitulum *Qui timet Deum*. ℟. *In omnem terram*. Oratio *Ecclesiam tuam*. Ad Sextam Hymnus *Rector*. Antiph. *Sunt de hic stantibus*. Capitulum *In medio Ecclesiæ*. ℟. *Constitues*. Ad Nonam Hymnus *Rerum Deus*: & omnes Hymni cantantur in tono, quo canitur *A solis ortu*. Antiph. *Sic eum volo manere*. Capitulum *Jocunditatem*. ℟. *Nimis honorati sunt*. ℣. *Annuntiaverunt opera Dei*. Ad Vesperum Antiph. *Tecum Principium*, & cæteræ cum Psalmis. Versiculi, & Antiphona ad *Magnificat* eo ordine dicantur, ut dictum est superius. Finita Oratione *de Nativitate*, cantatur ℟. *de Innocentibus*. *Centum XLIIII. millia*. ℣. *Sancti tui Domine*. Postea fit commemoratio de Sancto Stephano per hanc Antiph. *Sepelierunt Stephanum*, & Oratio de Sancto Joanne per hanc Antiph. *Exiit sermo*, & ℣., & Orat.

De Festo Sanctorum Innocentum. LIV.

INnocentum Passio non protinus secuta est in die quarto, sed anno revoluto. Nam in primo anno Herodes Magos expectavit, & accusatus Romam ivit. Qui rediens, & videns quod illusus esset (*a*) a Magis, in die quarto secundi anni pueros interfecit (*b*) a bimatu & infra (*c*). Festum igitur Innocentum pueri celebrent Innocentes, dummodo indebitum Officium non usurpent. Ad Matutin. Invitatorium *Venite adoremus Dominum*. Psalm. *Venite*. Hymnus (*d*) *Matrum*. *Gloria tibi Domine*. In primo Nocturno Antiph. *Novit Dominus*. Psalm. *Beatus Vir*. Antiph. *Rex terræ*, Psalm *Quare fremuerunt*. Antiph. *Deus Judex*. Psalm. *Domine Deus meus*. ℣. *Sancti tui Domine*. In secundo Nocturno Antiph. *Ex ore Infantium*. Psalm. *Domine Dominus noster*. Antiph. *Judicabit Dominus*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Mortis usuram*. Psalm. *Domine quis*. ℣. *Lætamini in Domino*. In tertio Nocturno Antiph. *Quis ascendet*. Psalm. *Domini est terra*. Antiph. *Innocentes ab Herode*. Psalm. *Ad te Domine levavi*. Antiph. *Inter Innocentes*. Psalm. *Judica me Deus*. ℣. *Exultent justi*. Sex Le-

(*a*) Matth. II. 16. (*b*) Ibid. (*c*) Hoc de argumento consule quæ copiose tradidi *in Vita Mariæ Sanctiss.* Parte I. Differ. XXV.

[*d*] Arbitror hic indicari portionem Hymni a Sedulio compositi, & incipientis his versibus; *A solis ortus Cardine*: etenim in eo Strophe X. sic se habet

Caterva Matrum personat
Conlisa deflens pignora:
Quorum Tyrannus millia
Christo sacravit victimam.

Eodem autem Hymno utebatur, quod jam vidimus, in Dominico Natali Ecclesia Senensis: *Enixa est puerpera &c.*: Cantatos fuisse hosce Sedulii versiculos in Innocentum solemnitate discimus ex Hymnis collectis, & evulgatis ab egregio Guyeto pag. 310. *Heortologiæ*.

Lectiones de Sermonibus ipsorum. Tres ultimæ de Homelia Evangelii *Ecce Angelus Domini*. ℟. de propria historia. *Sub Altare Dei* & cæteræ, sicut ordinata sunt in Antiphonario. Ultimum ℟. *Verbum caro*. Postea *Te Deum Laudamus*. ℣. *Justi autem*. In Laudibus Antiph. *Herodes iratus*, & cæteræ. Capitulum. *Hi sunt qui cum mulieribus*. Hymnus *Rex gloriose Martyrum* in tono, quo dictum est. ℣. *Justorum animæ*. Ad *Benedictus* Antiph. *Hi sunt qui cum*. Postea fit Collecta *de Nativitate*, de *S. Stephano*, & *S. Joanne* per Antiph. ℣. & Orationes ipsorum. Ad Primam Antiph. *A bimatu*. Ad Missam dicto Tropho cum Organo (*a*) canitur Officium, *Ex ore Infantium*. *Gloria in Excelsis* hac die in Ecclesia nostra non dimittimus; nec alia Cantica lætitiæ, quia de gloria, & corona Sanctorum Innocentum gaudemus, illi vero *de Sancto Fridiano* dimittunt, ut conformentur dolori, & tristitiæ devotarum Feminarum: & quia Innocentes descenderunt ad Inferna; nec enim adhuc Christus erat passus. Sed in eorum Octava, quæ secundam stolam, & futuram requiem significat, ipsas laudes resumunt (*b*). Item Epistola *Vidi supra Montem*. Graduale. *Anima nostra*. *Alleluja*. *Laudate pueri*, cum Organo Evangelium *Ecce Angelus*. Postea *Credo in unum*. Hac die non consuevimus Majorem Missam celebrare, nisi dies Dominicus interveniret. [*c*] Ad Tertiam Antiph. *Vox in Rama*. Capitulum *Et cantabant quasi canticum*. ℟. *Sancti tui*. Ad Sextam Antiph. *Cantabant*. Capitulum *Hi qui cum*. ℟. *Lætamini*. Ad Nonam Antiph. *Sub trono Dei*. Capitulum *Hi empti sunt*. ℟ *Exultent*. ℣. *Justi autem in perpetuum*. Notandum autem, quod de istis quatuor Festivitatibus fit commemoratio ad Matutinum, & Missam, & Vesperas cotidie usque in octavas eorum, excepto die Circumcisionis, in quo nulla commemoratio fit, nisi tantum illius solemnitatis.

De

(*a*) Hæc de tropho, seu ut aliis appellare libet, tropo, tradit Durandus (edit. Venetæ an. 1540. apud Dominicum Lilium lib. VI. cap. 5. n. 6.) *Est autem proprie trophus quidam versiculus, qui in præcipuis festivitatibus cantatur immediate ante introitum quasi quoddam præambulum, & continuatio ipsius introitus; ut verbi gratia, in festo Nativitatis ante introitum illum:* Puer natus est nobis: *præcedit trophus iste*: Ecce adest, de quo prophetæ cecinerunt dicentes: Puer natus est, *habuit autem trophus originem a lege &c.* Et rursus Lib. VI. cap. 114. n. 3. *Hi autem versus Trophi vocantur, quasi Laudes ad Antiphonas convertibiles; τρόπος enim græce, conversio dicitur latine.* Multa de tropho, seu tropo ad significationem hanc coarctato docet *Lexicon Mediæ, & Infimæ Latinitt* a Ducangio elaboratum, & ab Optimis Monachis S. Mauri auctum: in quo quidem multi, iique præclari Scriptores allegantur, quos consulat, si vult, Lector.

(*b*) De hoc Argumento vide, quæ docet Durandus lib. VII. cap. 43.

(*c*) Festis *de præcepto* (uti appellant) nondum videtur fuisse adscripta ea, de qua agimus, festivitas. De diversitate harum Missarum consule Mabillon. *Liturg. Gallic.* lib. I. cap. 6.

De Festo Sancti Thomæ Archiepiscopi, & Martyris. LV.

IN Festivitate S. Thomæ Archiepiscopi, & Martyris, ad Vesperum dicto Capitulo, Hymno, ℣. Antiph., & Oratione de Nativitate, dicetur ℟. *Domine prævenisti*. ℣. *Gloria, & honore*. Oratio. *Deus pro cujus Ecclesia*. Postea Collecta *de Innocentibus* per hanc Antiphonam *Clamant, clamant*. ℣. & Orat. & de aliis Sanctis per Antiph. ℣., & Orationem ipsorum. Ad Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Deus tuorum*, in tono quo dicitur *A solis ortus*. Antiph. ℟. ℣. de uno Martyre. Novem Lectiones de vita ejus facimus. Nonum ℟. *Verbum caro*. In Laudibus Antiph. *Qui me confessus*. Ad *Benedictus* Antiph. *Hic est vere*. Postea fit collecta *de Nativitate*, & aliis Sanctis, per Antiph. ℣., & Orationem ipsorum. Ad Primam, & alias horas diei Antiph. de Laudibus. Ad Missam, Officium *Statuit*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Qui vult post me venire*, & in Missa collecta *de Nativitate*, & *de Sanctis*. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam Antiph., Capitulum, & ℟., & ℣. de uno Martyre. Ad Vesperum Antiph. super Psalmos. *Tecum Principium*. Capitulum, Hymnus, ℣. Antiph. ad *Magnificat*, Oratio *de Nativitate*. Deinde fit commemoratio de S. Thoma, & de aliis Sanctis, & si hoc festum, vel sequens feria, fuerit in die Dominico, in Sabbato ad Vesperum non fiet aliqua commemoratio de ipsa Dominica. Si autem Festum S. Thomæ in Dominica venerit, totum Officium fiet de festo ipsius Sancti, ut scriptum est supra, præter Homeliam de Dominica in duabus Lectionibus. Ad *Benedictus* dicta Antiph., & ℣, & Oratione de S. Thoma dicetur Antiph. *Dum medium*. ℣. *Notum fecit*, & Oratio de Dominica *Omnipotens sempiterne Deus dirige*. Postea fiet collecta *de Nativitate*, & *de Sanctis* per Antiph., ℣., & Orat. ipsorum. Item prima Missa fiet de Dominica, & dicetur Officium *Dum medium*, Oratio *Omnipotens sempiterne Deus dirige*; & in Missa fiet collecta *de Nativitate*, & *de Sanctis*. Epistola *Quanto tempore*. Evangelium *Erat Joseph*. Item ad Processionem, dum spargitur aqua, dicetur in Choro. Antiph. *Hodie intacta*, & altera. *Nesciens Mater*. In eundo cantatur ℟. *Domine prævenisti*, ante januas Ecclesiæ, ℣. *Gloria*, *& Honore*, & Oratio de Sancto Thoma. In introitu Ecclesiæ dicetur *Gloria Patri*. Vel Antiph. *Iste est, qui pro lege*. Item ad Tertiam Hymnus *Nunc sancte* in tono quo dicitur *A solis ortus*. Antiph. *Si quis mihi*. ℟. *Gloria, & honore*; & sic dicetur major Missa de Præsule Martyre sicut scriptum est superius. Ad Sextam, & Nonam. Antiph. *de Laudibus*, cum ℟., & ℣. de festo unius Martyris. Ad Vesperum Antiph. super Psalmos *Tecum Principium*. Capitulum *de Nativitate*. Hymnus *A solis ortus*. ℣. *Benedictus qui venit*. Ad *Magnificat*. Antiph. *Hodie Christus*. Postea fit collecta de Sancto Thoma. Deinde Antiph. *Puer Jesus*, & Oratio de Dominica, & collecta de aliis Sanctis per Antiph., & Orationem ipsorum.

De

De sequenti feria post Festum S. Thomæ, & quid fiat, si tunc est Dominica. LVI.

SEquenti feria post Festum S. Thomæ ad Matutinum, Invitatorium *Christus natus est*. Hymnus *A solis ortu*. Antiph. ℟. ℣. de historia Nativitatis *Dies sanctificatus*, & cætera per ordinem, sicut sunt in Antiphonario, & sex Lectiones de Sermonibus Nativitatis. Tres ultimæ de aliqua Homelia Nativitatis Domini dicentur. In Laudibus Antiph. *Quem vidistis*. Capitulum *Apparuit gratia*. Hymnus *Enixa est*. ℣. *Notum fecit*. Ad *Benedictus* Antiph. *Gloria in Excelsis*, & Oratio *de Nativitate*, & postea fit collecta *de Sanctis* per Antiph. ℣., & Orationem ipsorum. Ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam dicuntur Hymni feriales in tono, quo dicitur *A solis ortu*, & omni die usque Octavam Epiphaniæ præterquam in die Epiphaniæ, & Antiphonæ de Laudibus. Item Missa *de Nativitate*. Officium *Puer natus*. Epistola *Apparuit Benignitas*. Evangelium *In Principio erat Verbum*.

De Dominica, & ejus Processione. LVII.

SI autem in hac sequenti feria post Festum Sancti Thomæ Martyris Dominicus dies venerit, totum Officium fiet *de Nativitate Domini*, ut dictum est, præterquod tres ultimæ Lectiones leguntur de Homelia Dominicali, *Erat Joseph*, & cæt. Et ad *Benedictus* dicta Antiph. ℣., & Oratione *de Nativitate Domini*, dicitur Antiph. *Dum medium*. ℣. *Ipse invocabit*, & Oratio de Dominica *Omnipotens sempiterne Deus dirige*. Item prima Missa de Dominica. Officium *Dum medium*. Epistola *Quanto tempore*. Evangelium *Erat Joseph*. Major autem *de Nativitate*, ut supra est prænotata. Et in illa Dominica post Nativitatem facimus Processionem hoc modo. Dum Septimanarius incipit aquam fundere, statim Cantor incipit cantare hanc Antiphonam in Choro, *Hodie intacta Virgo*, & post illam, aliam Antiph. *Nesciens Mater*, & in eundo cantamus ℟. *Verbum caro*, & ante januas ℣. & Orationem *Concede* de Nativitate. In introitu Ecclesiæ *Gloria in Excelsis Deo*. Si tamen in ea Dominica fiat majoritas Officii de aliquo festo, tunc ad Processionem dicetur ℟., ℣. Oratio, & Antiph., & Major Missa tantum de ipso Festo, sicut supra scripsimus in Festo S. Thomæ Martyris. Sed sciendum, quod in festo Natalis Domini, per quatuor dies nullam consuevimus facere Processionem, etiamsi in dictis diebus Dominica interveniat. Item ad Tertiam, Sextam, & Nonam Antiph. *de Laudibus* cum ℟. ℣. *de Nativitate*. Ad Vesperum majores Campanæ pulsantur propter festum S. Sylvestri, cujus Altaris vocabu-

cabulum habemus in nostra Ecclesia. Antiph. super Psalmos *Tecum principium*. Capitulum, Hymnus, ℣., Antiph. ad *Magnificat*, & Oratio *de Nativitate*. Postea statim dicetur Antiph. *Puer Jesus*, & Oratio de Dominica tantum in Choro. Deinde Cantor incipit ℟. *Juravit Dominus*, & cum eo imus ante Altare B. Sylvestri, & ibi finito ℟., & ℣, & Oratione de Sancto Sylvestro dicta, fiet collecta de Sancto Stephano, & de aliis Sanctis, & festive cantatur *Benedicamus Domino*.

De Festo S. Sylvestri. LVIII.

IN Festivitate S. Sylvestri sero vigiliam consuevimus celebrare (a). Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem*. Hymnus (b) *Summe Confessor*. Antiphonæ, ℣., & ℟. de Confessoribus. Novem Lectiones de vita ipsius leguntur. Ultimum ℟. *Verbum caro factum*, & cum eo imus in Confessione ante Altare S. Sylvestri, & ibi Matutinas Laudes dicimus. Capitulum *Ecce Sacerdos*. Hymnus *Tu procul casus*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad *Benedictus*. Antiph. *Clementissime*. Post Orationem de festo, fit collecta *de Nativitate*, & *de Sanctis*. Ad Primam, & per omnes horas diei Antiph. de Laudibus, cum ℟., & ℣. de Confessoribus. Ad Missam Officium, *Sacerdotes tui* Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Vigilate*. Si autem festum S. Sylvestri venerit in die Dominico, totum Officium fiet de festo præter Homeliam Dominicalem, scilicet *Erat Joseph*, in duabus Lectionibus. Ad *Benedictus*, post Antiph, ℣. & Orationem de festo, dicetur Antiph. *Dum medium silentium*. ℣. *Verbum caro*, & Oratio de Dominica. *Omnipotens sempiterne Deus dirige*. Deinde fiet collecta *de Nativitate*, & *de Sanctis*, Item prima Missa dicetur de festo ad Altare S. Sylvestri, in qua fiet collecta *de Nativitate Domini*, & *de Sanctis*. Secunda fiet de Dominica. Postea hora congrua, Processio fiet, sicut supra scripsimus in Festo S. Thomæ Martyris, si tunc Dominica interveniret, & major Missa honorifice de Sancto Sylvestro celebrabitur ad suum Altare.

De prima Dominica post Nativitatem, hoc Officio. Dum medium. LVIX.

ORdo deposcit, ut in prima Dominica post diem Nativitatis Domini hoc Officium *Dum medium*, cantetur; sed si Dominica in dies S. Stephani, Sancti Joannis, vel Sanctorum Innocentum venerit, Officium prædictum, idest *Dum medium silentium*, dicetur in Octavis eorum, & tunc fiet totum Officium de Festo ipsius Octavæ, præter Homeliam de Dominica. In septima, & octava Lectione, duo ℟. de Octava Domini: & ad *Benedictus* dicta Antiphona, ℣., & Oratione de Octava ipsius Sancti,

(a) Recole quæ diximus ad Cap. LI. Annot. K.

(b) Hymnum hunc, & sequentem *Tu procul*, habes pag. 401, & 402 Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii.

cti, dicitur Antiphona *Dum medium*. ℣. *Notum fecit*. Oratio de Dominica. *Omnipotens sempiterne*, & postea fit collecta de aliis per Antiph. ℣., & Orationem. Item prima Missa fiet de Dominica, & dicetur Officium *Dum medium*; & in prima Missa fiet collecta de Octava Sanctorum. Epistola *Quanto tempore*. Evangelium *Erat Joseph*. Item ad Processionem dum spargitur aqua, dicitur in Choro Antiph. *Intacta*, & cæt. In eundo, ℟. cantatur de Octava ipsius Sancti, & ante Januas Ecclesiæ ℣., Oratio, & postea major Missa cantabitur de eadem octava. Per omnes horas diei dicentur Antiphonæ, ℟. ℣., & Oratio de Laudibus octavæ ipsius Sancti, & in Vesperis post Orationem de octava, dicetur de Dominica Antiph. *Puer Jesus*, & Oratio *Omnipotens;* & postea fiet de aliis, si qua est facienda. Super hoc autem quod dicitur in Officio Dominicali: scilicet *Dum medium silentium*, est notandum quod tria sunt silentia. Primum silentium est ignorantia languoris: Secundum desperatio curationis: (a) Tertium adeptio sanitatis. Primum silentium fuit ante legem. Secundum inter legem, & gratiam. Tertium erit post hanc vitam. Ante legem siquidem homines languorem suum non cognoscentes silebant, quia ad Medicum non clamabant. Cum autem lex data esset, quæ languores animæ, idest peccata ostendebat, ruptum est silentium, & cœperunt omnes quærere Medicum. Videntes autem se per legem salvari nullo modo posse, de curatione desperantes siluerunt, & dum hoc silentium esset, venit Filius Dei, Sermo Patris, loquens pacem, proponens indulgentiam, promittens misericordiam, & tunc omnes ad eum, tamquam ad medicum currentes, misericordiam clamare cœperunt. *Cum nox (b) in suo cursu medium iter haberet &c.* Cum nox plures significationes habeat, in hoc loco pro præsenti vita accipitur: hæc autem nox Vesperum habet, & Auroram. Sicut enim in tempore isto fit, quod prius est dies, deinde Vespera, postmodum Nox, post noctem Aurora, postea sequitur iterum dies, sic & in hac vita, dies fuit, antequam Adam peccaret. Vespera post peccatum, & fuit in Paradiso. Nox vero postquam de Paradiso ejectus fuit. Hæc nox duravit usque ad Adventum Christi. Ab Adventu Christi usque ad finem Mundi, Aurora. In futura vero vita erit dies. Vidimus quid sit nox. Nunc quo currat, videamus. De Nativitate currit in mortalitatem, de mortalitate in Mortem, de Morte in damnationem. Sequitur *medium iter haberet*. Tria sunt itinera, superius ad Cœlum, inferius ad Infernum, medium vero, stadium hujus vitæ, quod nascendo intramus, vivendo percurrimus, moriendo eximus. Dum itaque, sicut diximus, *nox in suo cursu medium iter haberet*, *Omnipotens Sermo Dei venit*, & unde? *A Regalibus sedibus*, de sinu Patris, ad patibulum Crucis, de Cœlis ad Inferos.

De

[a] Vide quæ tradit Durandus VI. 14. n. 1. *est enim triplex silentium &c.* Consule etiam quæ docet Micrologus *de Eccles. Offic.* cap. 37, & 38.
[b] Sap. XVIII. 14.

De Octava Domini. LX.

IN Octava Domini ad Vesperum pulsantur majores Campanæ. Antiphona super Psalmos *Tecum principium*, & cæteræ. Capitulum *Apparuit gratia Dei*. Hymnus *A solis Ortus (a)*. ℣. *Benedictus qui venit*. Ad *Magnificat* Antiph. *Qui de terra est*. Oratio *Deus qui nobis*. Postea *Benedicamus Domino* solemniter cantetur cum Organo; non enim facimus hoc sero commemorationem de aliquo Sancto. Ad Matutinum Invitatorium. *Christus natus est nobis*. Hymnus *A solis Ortus*. In primo Nocturno Antiph. *Dominus dixit*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *In Sole posuit*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Elevamini*. Psalm. *Domini est*. ℣. *Tamquam Sponsus*. In secundo Nocturno Antiph. *Speciosus*. Psalm. *Eructavit*. Antiph. *Homo natus*. Psalm. *Fundamenta*. Antiph. *Exultabunt*. Psalm. *Cantate I.* ℣. *Speciosus forma*. In tertio Nocturno Antiph. *In principio*. Psal. *Dominus regnavit exult.* Antiph. *Natus est nobis*. Psalm. *Cantate II.* Antiph. *Nato Domino*. Psalm. *Dominus regnavit, irascantur*. ℣. *Notum fecit*. Sex Lectiones leguntur de Sermonibus ad ipsum diem pertinentibus. Tres ultimæ de Homelia Augustini, quæ sic incipit, *Quid est autem quod octava die*. ℟. *Descendit de Cœlis*, & alia quæ sequuntur. Nonum ℟. *O Regem Cœli*. In Laudibus Antiph. *O admirabile*, & cæteræ. Capitulum. *Apparuit gratia*. Hymnus *Enixa est Puerpera*. ℣. *Verbum caro*. Ad *Benedictus* Antiph. *Mirabile Mysterium*. Oratio, *Deus qui nobis*, postea *Benedicamus Domino* solemne. Ad Primam Hymnus *Jam lucis* in tono, quo canitur *A Solis*. Antiph. *Quando Natus*. Ad Missam Officium *Puer Natus*. Oratio *Deus*, *qui nobis Nati*: *(b)* & dicitur tantum una Oratio Epistola *Apparuit*. Graduale *Viderunt omnes*. Alleluja. *Dominus dixit*. Evangelium *Postquam consummati sunt*. Offertorium *Tui sunt*. Postcommunio *Viderunt*. Hac die Missam mortuorum non dimittimus, nisi esset dies Dominicus. Postea hora congrua major Missa solemniter canitur cum Tropho *Hodie Salvator*, & Sequentia *Eja recolamus (c)*. Ad Tertiam, Sex-

tam,

(a) Sedulii Hymnus, qui ad hunc modum incipit:

A solis ortus cardine
Ad usque terræ limitem &c.

(b) Hic arbitror indicari eam precem, quæ in I. *Sacramentor.* lib: a Venerabil. Card. Thomasio edito, & Gelasio tributo legitur ad hunc modum: *Deus qui bonis* [*nobis* legendum est, ut legit noster Ordo, neque enim boni tantummodo, sed Fideles cuncti h. m. festivitatem celebrabant] *nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum: fac quæsumus nos ejus perpetua divinitate muniri, cujus sumus carnali commercio reparati.* Eadem Oratio ad hunc modum emendata occurrit in Missali Brixiano Seculi XI. quod nostra possidet Bibliotheca (pag. 119.) Vide etiam obsecro, quæ ad allegatam precem docet Eruditiss. Vezzosius pag. 8., & 9. Tomi VI. Oper. Venerab. Card. Thomasii.

(c) Missal. Olmuc. Vide Cl. Dom. Geor. *Liturg.* Rom. Pontif. Tom. II. [pag. ccxix.]

tam, Nonam Hymni feriales in tono supradicto. Antiph. *de Laudibus*. ℟., & ℣. *de Nativitate*. Ad Vesperum Antiph. *Tecum principium*. Capitulum *Apparuit gratia Dei*. Hymnus *A Solis*. ℣. *Benedictus qui venit*. Ad *Magnificat*. Antiph. *Magnum hæredit. Mysterium*. Oratio *Deus, qui nobis*. Postea fit collecta tantum de Sancto Stephano per hanc Antiph. *Beatus is:* & ejus Orationem.

De Octava Domini, si in Dominica venerit, & quare Octavæ celebrentur.
LXI.

SI autem Octava Domini fuerit in die Dominico, tunc fiet totum Officium in Matutinis, & Missis de Octava Nativitatis Domini, & Processio fiet, ut supra scriptum est in die S. Thomæ Martyris, & tunc illud Officium *Dum medium*, & Homelia de Dominica *Erat Joseph*, & Antiph., & Oratio de Dominica, scilicet *Omnipotens sempiterne*, & alia Antiph. ad *Magnificat* de Dominica in Vesperis, dicetur in illa die, quæ est inter festum S. Thomæ Martyris, & festum S. Sylvestri, quia cum ordo deposcat, quod dictum Officium intra Octavam Nativitatis Domini cantetur, ut supradictum est, non potuit alibi convenientius dici, nam solemnitas Circumcisionis Domini nullo alio Officio erat oneranda. Et nota, quod in die Nativitatis Domini duo festa concurrebant, parientis scilicet, & partus, idest Matris, & Filii, sed quia propter celebritatem Filii nequivimus de Matre plene solemnizare, ipsius solemnitatem reservavimus ad Octavam, per hoc significantes quod si Christo in hac vita devote servierimus, de Ecclesiæ glorificatione, quam Maria figurat, gaudebimus in Octava, idest in futura vita, ideoque Nocturnum Officium ex magna parte ad Virginem pertinet. Unde in quibusdam Ecclesiis duæ Missæ celebrantur, & prima de Matre, ad quam canitur Officium *Vultum tuum*. Oratio *Deus qui salutis*, & *Alleluja post Partum*. (a) In hac vero die triplex solemnitas intimatur. Scilicet Octavæ, Circumcisionis, & Nominis impositionis, ut ex ipso Evangelio patet. *Postquam consummati sunt* & cæt. Octavum diem celebrandum Leviticus liber insinuat dicens (b): *Dies octavus erit celeberrimus atque sanctissimus*. Celebratur autem octava Nativitatis Christi, quia in die Nativitatis colimus Christi Adventum ad nos, in Octava ejus Adventum hominum ad Christum; dedit enim Christus nobis suam Divinitatem, quod colitur in sua Nativitate, & accepit nostram humanitatem, quod colitur in ejus Octava, & hoc est illud commercium, de quo dicitur in illa Antiphona *O admirabile commercium*. Octavæ

(a) Duæ Missæ ad eum modum, quo hic traditur, in vetustis codicibus non pancis occurrunt, veluti in eo Brixiano sęculi XI. quem paulo ante allegavi, aliisque etiam. (b) Levit. XXIII. 36.

væ enim Sanctorum celebrantur propter Resurrectionem Corporum gloriosam, vel propter octo Beatitudines, quæ per operum Sancti Spiritus consummationem in solemni Octava percipientur. Vel quia omnis Octava redit ad caput, observatur celebritas Octavarum, ut revertamur ad primum Innocentiæ statum. In novo etiam anno Christus est circumcisus, invitans nos ad spiritualem Circumcisionem, ut mente, & Spiritu innovemur.

De Octava S. Stephani. LXII.

IN Octava S. Stephani ad Matutinum dicantur Invitatorium, Hymni, Capitulum, ℟., ℣. ut in Nativitate ejus, sed in Nocturno mutantur Antiphonæ. In primo Nocturno Antiph. *Esterna die*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Lapidabant*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Omnes inten:* Psalm. *Domine quid*. In secundo Nocturno Antiph. *Positis autem*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Sepelierunt*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Saule*. Psalm. *Domine in virtute*. Sex Lectiones de Sermonibus. Tres ultimæ de Homelia festivitatis ipsius leguntur. Omnia ℟. de propria historia. Ultimum ℟. *Lapides torrentis*. In Laudibus Antiph. *Lapidabant*. Ad *Benedictus* Antiph. *Stephanus*. Oratio *Da quæsumus Domine:* postea fit collecta de Sancto Joanne, & de Innocentibus, per Antiphonas, & Orationes ipsorum; & nota, quod ab isto die usque ad Purificationem Sanctæ Mariæ facimus commemorationem de ipsa, in Laudibus Matutinis per hanc Antiphonam *Rubum quem viderat*. ℣. *Benedicta tu*, & ad Missam, & ad Vesperum per hanc Antiphona *Ecce Maria*. ℣. *Post partum Virgo*. Oratio *Deus qui salutis*, omni die, excepto die Epiphaniæ, in quo nulla fit Commemoratio Sanctorum. Item ad Primam *Lapides torrentis*. Capitulum, & Oratio *de Nativitate Domini* usque ad Epiphaniam. Per omnes horas Antiph. de Laudibus, ℟., & ℣. de uno Martyre. Ad Vesperum Antiph. *Tecum principium*. Capitulum *Qui timet Deum*. Hymnus *Exultet*. Antiph. *Iste est Discipulus*. Oratio de S. Joanne. Postea fit commemoratio de Innocentibus, & de Sancta Maria, per Antiph. ℣., & Orationem ipsorum. In hac autem Octava S. Stephani ad Vesperum non facimus commemorationem de ipso, nec in die Octavæ S. Joannis, vel Sanctorum Innocentum.

De Octavis, quæ non habent Vesperas. LXIII.

NOtandum, quod sunt quædam Ecclesiæ, quæ in nullius Sancti Octava de ipso ad Vesperum faciunt Commemorationem, hanc assignantes rationem, quia vita æterna in qua jam sunt Sancti, qui ex hac vita migraverunt, quæ designatur per Octavas Sanctorum, non est habitura finem, quem finem Vespertina hora diei, quæ finis est ipsius diei, designat; & propterea cum per totum diem Octavum in omnibus horis agamus

mus de ipsa Octava, in Vesperis Octavæ diei nihil de ipsa Octava dicimus propter supradictam rationem. Quod & Moyses designavit in operibus sex dierum, quia cum in operibus sex dierum scripserit, & primo, & secundo, & tertio, & quarto, & sexto, & septimo die, *& factum est vespere, & mane dies secundus*, & sic de cæteris usque ad sextum diem, in septima die de vespere nullam mentionem fecit, non quod illa dies vesperam non habuit, habuit enim vesperas; sed ideo tacuit, quoniam illa vita, in qua Sancti erunt, usque ad diem Judicii non habebit finem, qui per Vesperam diei significatur, sicut ille dies festivus, qui pro Mortuis celebratur, cum per totum illum diem celebriter pro Fidelibus Defunctis Ecclesia agat Officium, in hora vespertina non facit vesperas præcedentis diei pro Fidelibus Defunctis; hoc ideo, quia ipsi jam in vita æterna sunt, sicut creditur, quæ non est habitura finem. In qua Sancti requiescunt in anima usque ad generalem resurrectionem, in qua duplicem Stolam sunt accepturi, idest duplicem gloriam, quæ ideo dicitur duplex propter consocietatem Animæ & Corporis; consociabitur enim, & restituetur tunc Corpus animæ, quod erit immortale, & incorruptibile, ex qua societate ita præclara Animæ Sanctorum plurimum gloriabuntur, suam Stolam, idest suam Beatitudinem, Animæ Sanctæ statim recipiunt, postquam purgatum est in eis, quod per ignem purgandum erat. Et ideo etiam dicitur duplex, quia aliqui tunc erunt qui simul utrumque recipient & Animæ scilicet Beatitudinem, & Corporis immortalitatem, & incorruptionem (a).

De Octava S. Joannis. LXIV.

DE Octava S. Joannis novem Lectiones facimus, & omnia eo ordine, ut in Nativitate ejus, *præter quod* alias Antiph. habemus in Nocturnis. In primo Nocturno Antiph. *Valde honorandus est*. Antiph. *Qui vicerit*. Antiph. *Iste est Joannes*. In secundo Nocturno Antiph. *Cibavit eum*. Antiph. *Spiritu Sapientiæ*. Antiph. *Dabit ei*. In tertio Nocturno Antiph. *Tu es Discipulus*. Antiph. *Ponam te signaculum*. Antiph. *Dixit Dominus*. Psalmi, ℣., & Lectiones, & ℟. non mutantur. Sed ℟. *in medio Ecclesiæ*, cantatur ultimo loco. Item ℣. *Valde honorandus*. In Laudibus post Orationem S. Joannis fit Collecta de *Innocentibus*, & de *S. Maria* per Antiphonas, & Orationes ipsorum. Hac die majorem Missam non canimus, nisi esset dies Dominicus. Per horas diei nihil mutatur. Sero ad Vesperam Antiph. *Tecum Principium*. Capitulum *Vidi supra*. Hymnus *Caterva Matrum*. ℣. *Sancti tui*. Ad *Magnificat* Antiph. *Innocentes*. Postea fit commemoratio tantum de *Sancta Maria* per Antiphonam, & Orationem.

De

(a) Consule quæ de Octavis tradit Amalarius *de Eccles. Officiis* lib. IV. cap. 29, & 36, & Rodulphus Tungrensis propos. 19. = I. Cor. XV. 42. 53.

De Octava Innocentum. LXV.

IN Octava Sanctorum Innocentum, Invitatorium, Hymnus, Antiph. ℣. ℟. de proprietatibus ipsorum. Sex Lectiones de Sermonibus, tres ultimæ de Homelia ipsius festivitatis leguntur. Nonum ℟. *Laverunt* cum Organo cantatur. Per horas diei Antiph. de Laudibus, & totum aliud sicut in festivitate ipsorum. Ad Vesperam Antiph. *Tecum principium*. Capitulum *Apparuit*. Hymnus *A Solis*. ℣. *Benedictus qui venit*. Ad *Magnificat* Antiph. *Propter nimiam carit*. Oratio de Dominica *Omnipotens sempiterne Deus dirige*, & de *S. Maria*. Antiph. *Ecce Maria*. Oratio *Deus qui salutis*.

De Vigilia Epiphaniæ. LXVI.

IN Vigilia Epiphaniæ Invitatorium *Christus natus*. Hymnus *A Solis*. Antiphonæ, Psalmi, ℣., & ℟. sicut supra diximus in Octava Domini. Sex Lectiones de Sermonibus Nativitatis Domini, tres ultimæ de Homelia *Defuncto Herode*. In Laudibus Antiph. *O admirabile*, & ceteræ. Capitulum *Apparuit;* non enim dicitur Capitulum de Dominica in Vesperis, aut Matutinis aliqua die a Nativitate Domini usque Octavam Epiphaniæ. Hymnus *Enixa est*. ℣. *Notum fecit*. Ad *Benedictus* Antiph. *Mirabile*. Oratio *Da quæsumus Omnipotens Deus, ut qui nova*. Postea de *S. Maria*. Antiph. *Nesciens Mater*. ℣. *Post Partum*. Oratio *Deus, qui salutis*. Ad Primam, & alias horas Antiph. *de Laudibus*, cum ℟., & ℣. *de Nativitate*. Ad Missam Officium *Dominus dixit ad me*. Postea *Gloria in Excelsis* dicimus, quia ea die novem Lectiones facimus, & non jejunamus. Epistola *Apparuit benignitas*. Graduale, *Benedictus qui venit*, & *Alleluja*, *Dominus dixit*. Evangelium *Defuncto Herode*. Offertorium *Lætentur Cœli*. In hac Missa dicitur *Credo in unum*, & Præfatio: *Quia cum Unigenitus*. Postcommunio *Tolle Puerum*. Si autem Vigilia Epiphaniæ in Dominica venerit, totum Nocturnale Officium fiat, ut dictum est, & prior Missa cantabitur de Dominica, si tunc ab Octava Epiphaniæ usque Dominicam Septuagesimæ duæ, vel una tantum Hebdomada fuerit. Si autem plures fuerint Hebdomadæ, & prior, & major Missa cantabitur de Vigilia. Ad Processionem ℟. *Verbum caro*.

De Vespero, & Benedictione Mensæ, & Completorio. LXVII.

AD Vesperum Antiph. super Psalmos *Tecum Principium*. Capitulum *Surge illuminare*. ℟ *Stellam quam vidimus*. ℣. *Reges Tharsis*. Ad *Magnificat* Antiph. *Magi viderunt*. Oratio *Deus qui hodierna Die Unigenitum*, Postea solemniter cum Organo cantetur *Benedicamus Domino*. Vesperis

peris celebratis, cum Fratres ad Mensam *causa* cęnandi accesserint, hoc modo incipiunt benedicere Mensam. ℣. *Reges Tharsis &c. Gloria Patri. Kyrie eleison III. Pater noster*. Item cum surrexerint, dicitur. ℣. ***Omnes de Saba**. Gloria Patri. **Kyrie eleison III**. Pater noster*. Oratio *Gratias agimus*. Psalm. *Deus judicium tuum*, & cum eo imus in Ecclesiam, *Gloria Patri. Kyrie eleison. Pater noster*. ℣. *Reges Tharsis*. ℣. *Notum fecit*. ℣. *Adorate Dominum*. Oratio de Epiphania. *Benedicamus Domino*. ℣. *Benedicat nos qui creavit, & pavit &c.* Hunc ordinem in benedictione Mensæ conservat Ecclesia nostra usque ad Octavam. Ad Completorium Antiph. *Venit lumen tuum*. Psalm. *Cum invocarem*, & cæteri. Hymnus *Novum genus*. (*a*) Capitulum *Omnes de Saba*. ℟. *Stella nobis visa est. Alleluja, Alleluja, Rex Cælorum natus est. Alleluja, Alleluja. Gloria Patri*. ℣. *Vidimus, & venimus*. Antiph. *Magi videntes*. Psalm. *Nunc dimittis*. Oratio *Deus illuminator*, [*b*] & sic usque ad Octavam ad Completorium facimus.

Quare non cantatur Venite *ad Matutinum in Epiphania Festivitate?* LXVIII.

AD Matutinum post *Domine labia mea*, hac die non incipitur Officium a Psalmo *Venite exultemus*, nec statim canitur Invitatorium, sicut in aliis Festivitatibus, sed quasi ex abrupto, & improviso in quibusdam Ecclesiis incipitur Antiph. *Afferte Domino*, quod ideo fit, quia ea die Magi primitiæ Gentium Dominum natum in carne nullo prophetante vel prædicante edocti adorare venerunt, per gratiam inspirati, non per legem, aut per vocem alicujus hominis invitati. Sicut per Isaiam dicitur (*c*) *Quibus narratum non est de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt*. Voluit etiam institutor Officii invitationem bonam, qua invitantur, & excitantur Fideles, ad deprecandum Dominum ab invitatione Herodis distinguere, qui propterea congregavit Scribas, & Principes, ut sciret ubi Christus nasceretur, quem cogitabat interficere. Sed *Venite* in ordine Psalmorum postea dicitur ad hoc designandum, quia etsi primo non vocati ad Christum intraverunt, ad prædicationem tamen Apostolorum in auditu auris ad Christum conversi obedierunt. Quod Judæi non fecerunt, qui etiam multis visis miraculis credere noluerunt. Ideo autem *Venite* ad Sextam Antiph. reservatur propter Gentes, qui sexta Mundi ætate ad Fidem Christi venerunt: Vel ad significandum quod Christus, ad quem idem Psalmus invitat, venit (*d*) *in plenitudine temporum*; senarius enim perfectionem significat.

De

[*a*] Est portio Hymni Sedulii, *A solis ortus &c.* (*b*) Tom. II. Op. Ven. Card. Thomas. pag. 441. (*c*) (Est septima) Cap. LII. v. 15.
(*d*) Ad Galat. IV. v. 4.

De Nocturnali Officio in Epiphania.
LXIX.

NOcturnale igitur Officium ex consuetudine nostræ Ecclesiæ taliter inchoatur. *Domine labia mea aperies*, & *Deus in adjutorium meum intende*. Quibus dictis statim Cantor cum duobus Fratribus modulata voce incipit. *Levate manus in Sancta*, & cum Organo totum, postea Chorus æquali voce respondet *Levate manus &c.* Item post secundum Versum respondet Chorus, *quem prædixerunt &c.*, & sic per unumquemque versum, donec totum finiatur, & in eodem loco incipitur Antiph. *Afferte Domino Filii Dei*, & Chorus dicit *Adorate Dominum in Aula Sancta ejus*. Item Psalmus. Antiph. *Fluminis*. Psalm. *Deus noster*. Antiph. *Psallite*. Psalm. *Omnes Gentes*. ℣. *Reges Tharsis*. In secundo Nocturno Antiph. *Omnis Terra*. Psalm. *Jubilate*. Antiph. *Reges Tharsis*. Psalm *Deus judicium*. Antiph *Omnes Gentes*. Psalm. *Inclina Domine*. ℣. *Omnes de Saba*. In tertio Nocturno Antiph. *Venite*, quæ ad unumquemque versum Psalmi semper reiteratur usque ad finem, Psalm *Venite*. Antiph. *Adorate Dominum* Psalm *Cantate I.* & Antiph. *Adorate Dominum*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. ℣. *Adorate Dominum Alleluja*. Singulæ Antiphonæ ante Psalmos finiantur, & *inter Psalmos* ubi tangunt, & post Psalmos repetantur. Tres Lectiones leguntur de Isaia scilicet, *Omnes sitientes*. *Surge illuminare*. *Gaudens gaudebo*, in fine quarum non dicitur *Tu autem*, sed *dicit Dominus*, & cætera; & leguntur omnes Lectiones super majus Pulpitum, tres in medio, de Sermonibus ad ipsum diem pertinentibus, & tunc datur incensum Altaribus, & Clero, & Populo; tres ultimæ Lectiones de Homelia Beati Gregorii ex Evangelio *Cum natus esset Jesus*. ℟. de propria historia, *Hodie in Jordane*, & ad quodlibet ℟. dicitur *Gloria*. Nonum ℟. *Hodie Cæli aperti sunt*. Dum autem legitur nona Lectio, præparet se Diaconus ad cantandum Evangelium. Postea petit benedictionem a Domino Episcopo, & finito ultimo ℟. præcedentibus Custodibus Ecclesiæ cum cereis accensis, & Turibulo vadit super majus Pulpitum, & ibi legit Evangelium secundum Lucam *Factum est cum baptizaretur*.

Quare Generatio Christi in Nocte legitur?
LXX.

NOta, quod duo Evangelia de Generatione Christi leguntur in nocte; unum in Nativitate, alterum hodie, quia utraque generatio Christi fuit in nocte, idest obscura, nec peccatorum sensibus intellecta: una est Carnalis, altera Spiritualis. In Carnali descendimus computantes, & ponitur, *genuit*, ut Carnalis, & Temporalis exprimatur successio. In Spirituali ascendimus, & ponitur *quod fuit*, & subditur *Filius*, ut Spiritualis Generationis adoptio denotetur. Quare autem Matthæus descendat

dat

dat computando, & Lucas ascendat, supra in Nativitate fuit prætaxatum; vel ideo ascendendo computat Lucas, tamquam Sacerdotes assignans, quia proprium est Sacerdotum, ut ab infimis perducant ad superiora Plebem. Igitur quia per humilitatem fit iste ascensus, quasi a Plebis conditione incipiunt Antiphonæ præsentis Officii, & ascendunt per Reges, & Apostolos, ad Chorum Angelorum; nam prima periocha continet Sacerdotes, & pertinet ad humilitatem Orationis, in qua canitur Antiphona *Afferte*. Secunda *Reges*, in qua canitur Antiph. *Reges Tharsis*. Tertia conducit ad Angelos. Vel primum Nocturnum significat tempus Legis Naturalis, in quo Abraham arietem offerebat. Secundum tempus Legis Mosaicæ tangit, in quo Prophetæ Gentes venturas ad adorandum Dominum prævidebant. Tertium tempus gratiæ, in quo canitur Antiph. *Venite*, quia tempore gratiæ Gentes venerunt ad fidem. In quo tertio Nocturno frequentatur *Alleluja*, quia tertio tempore redempta lętatur Ecclesia. Lecto Evangelio, idem Diaconus in eodem loco incipit *Te Deum Laudamus*, quod subcinendo altisone resonamus de Christi generatione gaudentes.

De Laudibus Matutini, & Officio Missæ. LXXI.

IN Laudibus Antiph. *Ante Luciferum*, & ceteræ. Capitulum *Surge illuminare*. Hymnus *Nuntium Vobis*. (a) ℣. *Vidimus Stellam*. Ad *Benedictus* Antiph. *Hodie Cœlesti*. Oratio *Deus qui hodierna*. Ad Primam Hymnus *Novum genus* (b). Antiph. *Tria sunt*. Capitulum *Omnes de Saba*. ℟. *Chri-*

---

[a] Hymnum, qui hic indicatur, inveni tantummodo in ea *Hymnorum Ecclesiasticorum* collectione, quam Cassandro debemus. [pag. 207. Oper. Cassandri Paris. 1616.] En illum

Nuncium vobis fero de supernis,
Natus est Christus dominator orbis
In Bethleem Juda, sic enim Propheta
Dixerat antè.
Hunc canit lætus chorus Angelorum,
Stella declarat: veniunt Eoi
Principes, digne celebrare cultu
Mystica dona.
Thus Deo, myrrham trocletem humando,*
Bracteas regi Chryseas decenti
(Dum colunt unum) meminere trino
Tres dare terna.
Gloriam trinæ monadi canamus,
Cum Deo, divæ genitaque proli,
Flamini nec non ab utroque fuso
Corde fideli. Amen.

* [*Troglodytem*] Cassander emendat.

(b) Hæc ex Hymno Sedulii sæpe allegato desumpta sunt: hodieque ea canimus in Vesperis Officii Epiphaniæ.

℟. *Christe Fili Dei*. ℣. *Qui apparuisti hodie*. ℣. *Notum fecit*. Oratio *Deus illuminator* (a). Et sic omni die usque Octavam cantamus Primam. Postea cum eximus de Ecclesia, in solutione Capituli prænuntiata ætate Lunæ dicuntur tantum ℣. de Epiphania *Reges Tharsis*. *Omnes de Saba*, & cæt. *Benedicite*: *Dominus*. *Vias vitæ*, & cæt. Ad Missam Officium *Ecce advenit*. Oratio dicitur tantum una usque Octavam. Nisi sit aliquod Festum. Prophetia *Surge illuminare*. Graduale *Omnes de Saba*. *Alleluja*. *Vidimus*. Evangelium *Cum natus esset*: In Missa populari admonetur Populus, ut more solito veniat ad Missam majorem auditurus Prædicationem Episcopi, & Dominicæ Resurrectionis annunciationem. Deinde fit sola Confessio. Finita Missa populari, Defunctorum Missa gratia tantæ solemnitatis dimittitur. Postea congrua hora Dominus Episcopus præparat se ad Missam cantandam cum Diacono, & Subdiacono, & interim dum parantur, ab eis dicitur Tertia, & in Choro cantatur Hymnus *Novum genus*. Antiph. *Apertis Thes.* ℟. *Reges Tharsis*. ℣. *Omnes de Saba*. Oratio *Deus qui hodierna*. Ad Missam Trophus cùm Organo a Cantore cum duobus in Choro incipitur. Deinde Officium *Ecce advenit*, & post canitur *Kyrie eleison* cum Organo. Cantato Graduali Cantor cum tribus ascendens super pulpitum, ubi legendum est Evangelium, cantat ibi solemniter *Alleluja*. Deinde Antiph. *Hodie cœlesti*; & tunc Episcopus cum Sacerdote qui assistit ei, & Diacono cum libro Evangeliorum; & Subdiacono cum Turibulo, præcedentibus Custodibus cum cereis accensis, ascendunt pulpitum, & ibi lecto Evangelio, & prædicatione a Domino Episcopo, & Confessione a Diacono facta populo, idem Diaconus prænuntiet Paschalem diem venturum: dicens hoc modo.

Qualiter futurum Pascha Populo annuntietur in die Epiphania. LXXII.

P*lebs Sancta Deo deserviens hoc cupit audire, quod & videre desiderat: Ergo sicut gavisi estis de Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, ita & de Resurrectione ejus annuntiamus vobis universale gaudium. Quapropter, Fratres carissimi, annuntiamus vobis Sanctum, & Sacratissimum Pascha, quod erit . . . . . Alleluja. Sit Pax, & communicatio Domini Nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Et statim totus Clerus respondeat *Deo gratias*: (b) & omnia signa pulsentur in classico. Ideo autem necessa-

 rio

[a] Ecce porro ex I. *Sacrament*. R. E. libro, quem edidit Ven. Card. Thomasius (pag. 11. Tom. IV.) integram precem, quæ hic indicatur. *Deus inluminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus aspersisti* (alii *aspirasti*) Per.

[b] Ex Rituali Veneto Sęculi XI. exhibeo hoc ipsum monitum nonnihil diversum,

rio hac die futura Paschalis solemnitas prænuntiatur, ut sciatur per quod temporis spatium post Epiphaniam, illam historiam *Domine ne ira tuas* (*a*) cantare, & quando Septuagesimam nos oporteat inchoare. Postea Episcopo reverso ad Altare, & dicto *Credo in unum*, Cantor suo loco solemniter cantat *Sanctus*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*. Finita Missa canitur Sexta. Hymnus *Novum genus*. Antiph. *Maria*, *& Flumina*. Capitulum *Leva in circuitu oculos*. ℟. *omnes de Saba venient*. ℣. *Adorate Dominum Alleluja*. Cantata Sexta, soli Ministri Altaris cum Domino Episcopo ad prandium vadunt. Ad Nonam Hymnus *Novum genus*. Antiph. *Stella ista*. Capitulum *Omnes de Saba*. ℟. *Adorate Dominum Alleluja*. ℣. *Notum fecit*. Ad Vesperum Antiph. *Tecum principium*. Capitulum *Surge illuminare*, Sequentia, *Epiphaniam*. Hymnus *Nuntium vobis*. Interim incensantur Altaria, & detur Clero, & Populo. ℣. *Reges Tharsis*. Ad *Magnificat* Antiph. *Tribus miraculis*. Oratio *Deus qui hodierna*, & *Benedicamus Domino* solemne.

De Mysterio trium miraculorum in die Epiphaniæ. LXXIII.

HOdie tres Magi nova Stella Duce Christum adorare venerunt. Singuli tria munera deportantes. (*b*) Magi dicti sunt in Stellis periti,

---

sum, monita quoque Adventus, & nisi fallimur, jejunii quatuor temporum = ,, Plebs sancta Deo deserviens hoc cupit audire, quod & videre ,, desiderat. Ergo sicut gavisi estis de Nativitate Domini Nostri Jesu Christi; ita & de Resurrectione ejus annunciamus vobis universale gaudium. ,, Quapropter Fratres Charissimi annunciamus vobis diem sanctum, & sacratissimum Pascha, die ill. mensis ill. Caput vero Quadragesimæ, die ill. mensis ill. Ut sit pax, & gratia Domini Nostri Jesu Christi cum omnibus vobis.
,, Notum sit omnibus hominibus, ut quicumque Adventum Domini diligenter ,, celebrare voluerit, caveat, ut nec ante v. Kl. Dec. inchoet, nec post ,, III. non. transeat Dec. sed in his VII. diebus ubicumque dies Dominicus omni anno evenerit, ibi sine dubio celebrare valebit.
,, Anniversariam, Fratres Charissimi, jejunii puritatem celebrare, qua & corporis adquiritur & Animæ Sanctitas, Ecclesiastica traditio admonet. Illius ,, igitur mensis (ill.) instaurata devotio quarta, & sexta feria sollicito ,, convenientes cursu offeramus Deo speciale jejunium. Die vero. ,, Reliqua desunt: supple (nisi probabilis conjectura nos fallit) vel quod ex Leone M. in Sermonibus *de Jejunio* sæpe invenimus: *Sabbato vero* (seu *die vero Sabbati*) apud *B. Petrum Apostolum* Vigilias celebremus: vel aliud affine.

(*a*) Responsorium his verbis exordium ducens extat primo loco in primo Nocturno Dominicæ secundæ post Epiphaniam.

[*b*] De his omnibus, quæ hic attinguntur, consule quæ ego copiose tradidi in Vita Mariæ Sanctiis. Dissert. XXIII. tota.

ti, ab his tribus Christus voluit adorari, ut a tribus partibus Mundi Asia, Africa, & Europa, & ex tribus Filiis Noe Gentes innueret convertendas. Venerunt autem Stella Duce XII. die a Natali, ut significaretur, Gentes ad fidem Christi sermone cooperante per duodecim Apostolos adtrahendas, & ex hoc miraculo Stellæ hæc solemnitas dicitur Epiphania, ab *Epi.*, quod est *super*, & *phanos*, quod est *apparitio*. Hodie etiam, cum Christus esset incipiens (*a*) annorum triginta in Jordane baptizatus est a Joanne, tribus de causis; *ut omnem justitiam adimpleret*: (*b*) Ut Joannis opera comprobaret, & ut aquis vim regenerativam tribueret: (*c*) Trigesimo anno baptizatus postea prædicavit, quia hæc ætas convenit Prædicatori, qui prius debet esse fortis in se, & mundus, & post aliis prædicare. In Jordane baptizatur, in signum humilitatis, a Joanne in signum gratiæ Dei: Jordanis enim *descensus*: Joannes *Dei gratia* interpretatur, quia his, qui in Baptismo humiliantur, Dei gratia confertur. In hoc Baptismo Trinitas apparuit, Pater in voce, Filius in carne, Spiritus in columbæ specie. Ideoque secundum hoc miraculum hæc solemnitas vocatur *Theophania* a *Theos* quod est Deus; hodie quoque anno revoluto Dominus aquam vertit in vinum ad nuptias, & secundum hoc miraculum vocatur hæc solemnitas *Bethania* a *Beth* quod est *Domus*. De his tribus miraculis ajunt Græci, Baptisma cæteris præferendum, propter quod hac die numerosius, & solemnius celebratur Baptismi Sacramentum, quod in Canonibus a Papa Leone prohibetur (*d*), quia alterius rationis fuit ejus Baptismus, quàm noster, & (*e*) *quicumque, baptizati sumus in Christo, in morte ipsius* (non in baptismo ipsius) *baptizati sumus*. Eminet itaque potius illud, quod a Magis, utique Gentilibus, est hodie adoratus, quod cordibus Gentium magnam spiritualium parat materiam gaudiorum, quid enim magisterio cœlesti dignius quàm Auro Regem, Thure Deum, Mirrha confiteri mortalem? Ideoque, cum unumquodque istorum miraculorum suum proprium habeat Officium, de miraculo Stellæ, & Adventu Magorum hujus diei Officium, Nocturnum scilicet, & Diurnum compaginatur. Officium vero Baptismi plenius fit in Octava, & in sequenti Dominica mutationis aquæ in vinum Officium reservatur.

(*a*) Ibidem Differ. XVII. cap. 13. (*b*) Matth. III. 15.
(*c*) Vide Durand. Rat. VI. 16. (*d*) Vide Leonis M. Epist. olim 4. nunc XVII. *ad Univers. Episcopos per Siciliam constitutos* cap. I., & subseqq. & rursus Epist. 136. [olim 80.] *ad Univers. Episcop. per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos*. (*e*) Ad Rom. VI. 3.

De Diebus infra Octavam Epiphaniæ. LXXIV.

SEquenti die, & usque Octavam nisi fiat majoritas Officii de aliquo Festo, Invitatorium *Christus apparuit nobis*. Hymnus *Hostis Herodes*. Antiph. sicut in die Epiphaniæ præter Antiphonam *Venite adoremus*, pro qua dicitur Antiph. *Adorate Dominum*. ℟. quæ remanserunt de historia Epiphaniæ, & cotidie facimus novem Lectiones usque Octavam. Omnes Lectiones legantur in Homelia de Evangelio *Factum est*. In Laudibus Antiph. *Ante Luciferum*, & cæteræ. Capitulum *Surge*. Hymnus *Nuntium vobis*. ℣. *Vidimus*, ad *Benedictus*. Antiph. *Hodie Cælesti*, quæ usque Octavam cantatur cotidie cum Organo. Deinde fit collecta de *Sancta Maria* per Antiph. *Rubum quem*. ℣. *Benedicta tu*. Oratio *Deus, qui salutis*. Ad Primam Hymnus *Jam lucis*, & ad Tertiam, & Sextam, & Nonam, similiter dicuntur Hymni feriales in tono quo *A solis*; & semper dicitur *Gloria tibi Domine*. Ad Missam cotidie usque ad Octavam canitur Officium *Ecce advenit*, & cæt. sicut est in Antiphonario, & *Gloria in Excelsis*, & *Credo in unum*: & Præfatio de Epiphania. Si fiat de Festo, per omnes horas diei Antiph. *de Laudibus*. ℟., & ℣. *de Epiphania*, ad Vesperum Antiph. *Tecum principium*. Capitulum *Surge*. Hymnus *Nuntium*. ℣. *Reges Tharsis*. Ad *Magnificat*. Antiph. *Ab Oriente*. Oratio *Deus, qui hodierna*. Postea fit *de Sancta Maria*. Antiph. *Ecce Maria*, ℣. *Post Partum*, & Oratio *Deus qui salutis*, & cæter.

De Dominica, si venerit infra Octavam Epiphaniæ. LXXV.

DOminica si infra Octavam (a) *vel in Octava* venerit, Invitatorium, Hymnus, Antiphona, & Responsoria, Capitulum, & Oratio sicut in die Epiphaniæ. Sex Lectiones de Homelia *Factum est autem cum baptizaretur*. Tres aliæ de Epiphania de eadem Homelia. In Laudibus Antiph. *Ante Luciferum*, & cætera *de Epiphania*. Tantum Missa popularis, & major cantabitur *de Epiphania*. Et hoc tunc facimus quando ab Octava Epiphaniæ usque Septuagesimam sunt tres Hebdomadæ, vel plures -
duæ, vel una tantum, tunc intra Octavam Epiphaniẹ in Matutino - - - -
Dominica, & non mittimus novam historiam, & in Matut - - - - - - -
mus de Epiphania, præter Homeliam Domenicalem, & in Laudibus - - - -
fit collecta de Dominica per hanc Antiph. *Cum factus esset* - - - - - - - -
In Vesperis post Oration. de Epiphan. fit de Dominica per hanc Antiph. - - -

tum

(a) Hæc in Codice addita deinceps sunt.

tum se. Prior Missa dicetur de Dominica, in qua Officium in - - - - - -
Excelso throno. Oratio *Vota quæsumus*. Epistola *Obsecro*. - - - - - -
dicitur, & Alleluja, *Jubilate*. Evangelium cum fa - - - - - - - -
Sacerdos incipit aquam spargere - - - - - - - - - - - - - - -
tacta, & semper repetatur donec Sacerdo - - - - - - - - - - -
undo. ℟. *Stella quam viderant*, ante jan. - - - - - - - - - - -
Dicitur Oratio *Deus, qui hodierna*. - - - - - - - - - - - -
vel *Gloria Patri*. Postea major Missa - - - - - - - - - - - -
sit notum, quod si ab Octava Epiphaniæ usque ad - - - - - - - - -
tres Hebdomadæ vel plures semper Officium - - - - - - - - - -
post Octavam Epiphaniæ cum Historia. *Domine* - - - - - - - - - -
tantum Hebdomada fuerit, prædictum Officium - - - - - - - - - -
infra Octavam Epiphaniæ sine jam dicta Historia - - - - - - - -
si non potest fieri in die Dominico commode - - - - - - - - - -
tavam Epiphaniæ immittimus novam Historiam, nisi quan- - - - - -
ima Dominica usque ad Septuagesimam, & nisi novam Historiam - - - - -
nunquam intra Octavam Epiphania in Sabbato ad Vesperum facimus aliquid de Dominica.

De Octava Epiphania. LXXVI.

IN Octava Epiphaniæ ad Vesperum Capitulum *Surge illuminare*. ℟. *In Columbæ*. Hymnus *Nuntium vobis*. ℣. *Reges Tharsis*. Ad *Magnificat* Antiph. *Ordines Angelorum*. Oratio *Deus cujus Unigenitus*. Postea fit collecta *de Sancto Hilario*, & *de Sancta Maria*, per Antiph. ℣. & Oratione ipsorum, & *Benedicamus Domino*, cum Organo. Ad Matutinum, Invitatorium *Christus apparuit*. Hymnus *Hostis Herodes*. In primo Nocturno Antiph. *Veterem hominem*. Psalm. *Domine Dominus noster*. Antiph. . . . Psalm. *Cæli enarrant*. Antiph. *Caput Draco*: Psalm. *Domini est terra*. ℣. *Reges Tharsis*. In secundo Nocturno Antiph. *Baptista contre*: Psalm. *Afferte*. Antiph. *Magnum Mysterium*. Psalm. *Quemadmodum*. Antiph. *Aquam*. Psalm. *Deus noster*. ℣. *Omnes de Saba* - - - - - - - - - -
- - - - Antiph. *Pater de Cœlis*. Psalm. *Deus judicium*. Antiph. *Peccati aculeus*
- - - - - - - *baptizat Christus*. Psalm. *Cantate II*. Sex Lectiones de Sermon.
- - - - - - - - - - de Homelia Evangelii. *Vidit Joannes Jesum venientem*
- - - - - - - - - - - ℟. de Historia Epiphaniæ. Ultimum ℟. *Testimonium*
- - - - - - - - - - - - - - In Laudibus Antiph. *Baptizat miles Regem &c.*
- - - - - - - - - - - - - - - - - Hymnus. *Nuntium vobis*. ℣. *Vidimus Stel.*
- - - - - - - - - - - - - - - - Oratio *Deus, cujus Unigen.* *Benedicamus Domino*
- - - - - - - -, - - - - - - - - alias horas Antiph. *de Laudibus* ℟., & ℣.
- - - - - - - - - - - - - - - - - Officium *Ecce advenit*. Epistola *Domine D.*
- - - - - - - - - - - - - - - - - - - Evangel. *Vidit Joannes Jesum ven.*
- Hymnus *Nuntium*. ℣. *Reges Tharsis*
- - - - - - - - - - - - - - - - - - - Sic omnia per ordinem finiantur usque
- - - - - - - - - - - - - - .

- - - -

De qualitate Officii, quod fit in Octava Epiphaniæ. LXXVII.

- - - - - - - - Baptiſmo ſolemnizat Eccleſia in Octava - - - - -
- - - - - - - - - - - - quam in alia die celebratur feſtivi - - -
- - - - - - - - - - - - - factæ, & futuræ. Sub lege enim fi - - -
- - - - - - - - - - - - - - - quæ præſignabat ſpiritualem - - -
- -
- -

In Octava autem Epiphaniæ celebramus rem, per quam Chriſtus baptizatus eſt, ideſt noſtrum lavacrum. Ad memoriam etiam reducimus, qua de cauſa Chriſtus baptizatus eſt, ſcilicet, ut nos baptizaremur; quod aperte innuitur per illas Antiphonas *veterem hominem*, & cæteras, quæ ſequuntur, & ſunt octo Antiphonæ, quæ omnes ſunt de ſeptima differentia, octo pro Myſterio, ideſt ſignificatione veræ Octavæ, ideſt pro beatitudine æterna, quæ ſignificatur per Octavam. Quod omnes ſunt de ſeptima differentia deſignant ſeptiformem Spiritum, qui datur in Baptiſmo: ſcilicet ſeptem Dona Spiritus Sancti, ideſt quæ in Baptiſmo ab ipſo conferuntur.

De Diebus ſequentibus poſt Octavam Epiphaniæ. LXXVIII.

SEquenti die poſt Octavam Epiphaniæ ad Matutinum more ſolito repetimus Pſalmos Graduales, & Officia Sanctæ Mariæ in Matutino, & in omnibus horis diei ſicut extra Adventum ſoliti ſumus facere per totum annum. Per omnes autem dies, quæ ſuperſunt ab hac Octava uſque ad ſequentem Dominicam, ad Matutinum Invitatorium, & Hymnum canimus de Feſto, quod eſt ipſa die, & quando eſt Feſtum trium Lectionum Antiph., & Pſalmi dicuntur de feria in Nocturno, & totum aliud de Feſto per horas diei uſque ad Nonam. Si eſt Feſtum novem Lectionum per totum diem facimus tantum de Feſto: & eſt notandum quod omni die uſque ad Purificationem S. Mariæ in Laudibus dicimus Antiph. *Rubum, quem*. ℣. *Benedicta*, & in Veſperis ſcilicet de die Antiph. *Ecce Maria*. Oratio *Deus qui ſalutis*, & cotidie poſt Laudes Matutinas dicimus tres Lectiones pro Defunctis, & poſt Nonam Veſperas pro eiſdem, exceptis diebus Dominicis, & Feſtis novem Lectionum. Quando autem non eſt feſtum novem Lectionum, in Veſperis dicuntur Pſalmi de feria. Ad Completorium vero ſemper dicuntur Pſalmi feriales.

De

De Dominicis vel Officiis Dominicalibus, post Octavam Epiphaniæ. LXXIX.

IS autem, cui cura commissa est, semper prævideat, ut a prima Dominica post Epiphaniam usque ad Septuagesimam numeratis Hebdomadibus cum Officiis Dominicalibus, si spatium Hebdomadarum numerus Officiorum superabundaverit, & Festivitas aliqua infra hoc spatium Dominica die venerit, Officium Dominicale pro nulla Festivitate prætermittatur. Quando vero Hebdomadæ Officiis superabundaverint, secundum numerum superabundantium Hebdomadarum repetantur præterita Officia, quæ fiunt necessaria. Idem ordo servetur ab Octava Pentecostes, usque ad Adventum Domini. Quod si Officia numerum Hebdomadarum excesserint, infra Hebdomadam diebus ferialibus ipsa superabundantia Officia dicantur. Hoc ipsum de Orationibus, Epistolis, & Evangeliis Dominicalibus dicimus. Notandum, autem quod si Septuagesimalis terminus prolongabitur, *in Excelso Throno* in prima Dominica cantatur post Octavam cum Epistola, & Evangelio, videlicet, *cum factum esset Jesus annorum*. Ad Matutinum leguntur sex Lectiones de Epistolis Beati Pauli Apostoli, & tres ultimæ de Homilia ejusdem Evangelii. Sed si terminus Septuagesimæ in tantum prolongabitur, ut ultra non possit, ea Dominica, quæ est inter Epiphaniam, & Octavam non cantatur, & non legatur nisi de Epiphania, & in sequenti Dominica, ut dictum est superius, cantetur *in Excelso Throno*. Item si terminus Septuagesimæ adeo brevis fuerit, quod non habeatur nisi una Dominica a Festo Theophaniæ usque ad Septuagesimam, in prima Dominica cantamus historiam *Domine in ira tua*, & Officium *Omnis Terra*, cum Evangelio *Nuptiæ factæ*, sed Officium *in Excelso Throno* fit tunc plenarie infra Octavam Epiphaniæ. Notandum etiam, quod si Octava Epiphaniæ in Dominica venerit, nisi terminus ita brevis fuerit, ut dictum est, Matutinale Officium ex integro de Octava Epiphaniæ erit; sed si breve fuerit, totum fiet de Octava Epiphaniæ præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali, & post Orationem de Epiphania fiet commemoratio de Dominica per Antiph. ℣. & Orationem de Dominica, & ad Vesperas similiter. Matutinalis Missa de Dominica, & major de Epiphania fiet. Item si Octava Epiphaniæ in Dominica fuerit, & in sequenti Dominica erit Septuagesimus dies, in die Sabbati facimus Octavam, & per totum diem usque ad Nonam, vel usque ad Capitulum in Vesperis. Item si Septuagesimus dies in Dominica venerit in Festivitate Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebastiani, sic celebretur, ut in suo loco dicetur, si in Sanctæ Agnetis, vel Sancti Vincentii, secunda feria celebretur: & hæc ideo dicimus, quia Septuagesimus dies intantum celebris est, quod nullo alio Officio debet onerari; & sic de cæteris Festivitatibus agatur, quæ in Dominicis diebus fiunt, & unde novem Lectiones facimus a Septuagesima usque ad Sanctum Pascha. Item si prædictus dies fuerit in Festivitate trium Lectionum, in ea Dominica

in

Quare duodecim Psalmi in primo Nocturno Dominicæ, & sex in aliis dicantur? LXXXI.

IN primo Nocturno Dominicæ cantamus duodecim Psalmos sub tribus Antiphonis per trinas dimensiones quatuor Psalmorum dispositis. Secundum Hieronymum, & Damasum Papam singulis Psalmis *Gloria Patri* adjungimus. Isti duodecim Psalmi recolunt primum visitationem unicæ ante Legem, quando multi Sancti quamvis essent sub Lege naturali, maximè tamen duodecim Patriarchæ, viguerunt in tantum, ut ab eis exortæ duodecim tribus in veteri Testamento Populus Deo peculiaris existeret. Hos duodecim Psalmos per quaternarium numerum sub tribus Antiphonis dividimus, quia quatuor sunt virtutes, quibus Sanctos Patriarchas, Sanctam Trinitatem coluisse credimus: scilicet Prudentia, Fortitudo, Justitia, Temperantia. Sequentes tres Psalmos in secundo Nocturno sub tribus Antiphonis canimus, qui secundum annum recolunt, in quo Dominus per legem, vineam suam visitavit, ut consortes simus trium ordinum electorum, qui sub lege fuerunt: scilicet Legislatorum, Psalmistarum, & Prophetarum. Similiter in tertio Nocturno, tres novissimos Psalmos sub tribus Antiphonis dicimus, quia quicumque tempore gratiæ nunc viventes, quondam sub Noe, Daniel, & Job figurati sumus, in hujus Sanctæ Trinitatis laude finem terminamus. Quem annum nostrum, quia ipse Dominus per Corporalem præsentiam suam dignatus est illustrare, merito in hoc Nocturno Ecclesia Lectionem Evangelii Christi solet pronuntiare.

De Laudibus, & Officio Missæ. LXXXII.

IN Laudibus, & ℣. *Excelsus super omnes gentes Dominus*. Antiph. *Regnavit Dominus*. Psalm. *Dominus, regnavit decorem*. Antiph. *Sciamus omnes*. Psalm. *Jubilate*, & sic de cæteris. Capitulum de Dominicali Epistola. Hymnus *Æterne rerum*. ℣. *Dominus, regnavit decorem*. Ad *Benedictus* Antiph. *Cum factus esset Jesus annorum duodecim*, vel Antiph. *Nuptiæ factæ sunt*: hoc autem ideo dicimus, quia illa tria Officia Dominicalia, quæ sunt ab Octava Epiphaniæ, usque ad Septuagesimam, vario modo cantantur, sicut superius est prænotatum. Ad Primam Hymnus *Jam lucis*. Antiph. *Sciamus omnes*. Psalm. *Deus in nomine*, & cæt. *Beati immaculati*, & *Quicumque vult*, quod omni Dominica dicitur, nisi fiat Festum novem Lectionum, exceptis diebus Paschalibus. Capitulum *Omnis enim*. ℟. *Christe Fili Dei vivi*. *Qui sedes ad dexteram Dei Patris*. *Gloria Patri*, & cæt. ℣. *Exurge Christe*. Oratio *In hac hora*, & *Veritas tua*: postea exeunt in

 Capi-

unum, quod in nulla Dominica dimittitur; postea communis Præfatio, quæ ab Octava Epiphaniæ usque quartam Feriam in initio Quadragesimæ dicitur. Post Missam majorem statim cantatur Sexta. Hymnus *Rector potens*. Antiph. *Omnes Creaturæ*. Capitulum de Epistola Dominicali. ℞. *In æternum Domine*. ℣. *In sæculum sæculi*. *Gloria Patri*. ℣. *Dominus regit*. Ad Nonam Hymnus *Rerum Deus*. Antiph. *Spiritus omnis*. Capitulum de Dominica. ℞. *Clamavi in toto*. ℣. *Justificationes tuas requiram*. *Gloria Patri*. ℣. *Ab occultis meis*. Ad Vesperam Antiph. super Psalmos *Dixit Dominus:* ipse cum aliis Antiphonis, & Psalmis. Capitulum, Hymnus *Lucis Creator*. Qui Hymnus per omnes dies Dominicos ad Vesperum semper cantatur cum Organo, nisi fiat Officium de aliquo Festo. ℣. *Dirigatur Domine*. Oratio. Ad *Magnificat* Antiphona illa quæ remansit in mane de Evangelio, & Oratio de Dominica, quæ in omnibus horis Dominicæ semper dicitur. Hunc ordinem nostra Ecclesia observare consuevit in Officiis celebrandis ab Octava Epiphaniæ usque Dominicam Septuagesimæ.

De Diebus Ferialibus per singulas Hebdomadas usque in Septuagesimam. LXXXIV.

IN omnibus ferialibus diebus per singulas Hebdomadas usque Septuagesimam, habentur propria Invitatoria, Hymni, Antiphonę, Psalmi, ℣., & ℞., & per omnes horas diei, & omnes Lectiones leguntur de Epistolis Pauli, nisi fiat Officium de aliquo festo. Feria secunda Invitatorium *Venite*. Hymnus *Somno refectis*. Antiph. *Dominus defensor*. Psalm. *Dominus illuminatio*. Antiph. *Adorate*. Psalm. *Afferte*. Antiph. *In tua justitia*. Psalm. *In te Domine*. Antiph. *Rectos decet*. Psalm. *Exultate justi*. Antiph. *Expugna*. Psalm. *Judica*. Antiph. *Revela*. Psalm. *Noli æmulari*. ℣. *Domine in Cœlo misericordia*. Tres Lectiones de Epistolis Pauli. ℞. *Quam magnum*. ℣. *Et perfecisti*. ℞. *Adjutorium*. ℣. *Neque de*. ℞. *Benedicam*. ℣. *in Domino*. Et nota quod duodecim Psalmos cantamus in ferialibus Nocturnis propter duodecim horas noctis, quibus jungimus sex Antiphonas, quæ denotant sex ætates Sæculi, & quia sex ætates Mundi concluduntur tribus temporibus, Legis naturalis, Legis litteræ, Legis gratiæ, leguntur tres Lectiones, & tria ℞. cantantur. In Laudibus ℣. *Fiat Domine Misericordia*. Antiph. *Miserere*. Psalm. ipse. Antiph. *Intellige*. Psalm. *Verba*. Antiph. *Domine*, *Deus meus*. Psalm. ipse. Antiph. *Conversus est*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Laudate*. Psalm. ipse. Capitulum *Deus autem spei*. Hymnus *Splendor Paternæ*. ℣. *Repleti sumus*. Ad Benedictus Antiph. *Benedictus*. Ad Primam Hymnus *Jam lucis*. Antiph. *Beati qui ambulant*. Capitulum, ℞. ℣. ut supra in Dominica. Oratio *Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei:* Et *Veritas tua*. Ad Tertiam Hymnus *Nunc Sancte*. Antiph. *Deduc me Domine*. Psalm. *Legem pone*, & cæteri. Capi-

 tulum

tulum *Sana me Domine*. ℟. *Sana animam meam Deus*. ℣. *Adjutor meus*. Ad Sextam Hymnus *Rector potens*. Antiph. *Adjuva me*. Psalm. *Defecit*, & cæt. Capitulum *Alter alterius*. ℟. *Benedicam Dominum*. ℣. *Dominus regit me*. Ad Nonam Hymnus *Rerum Deus*. Antiph. *Aspice in me*. Psalm. *Mirabilia*, & cæt. Capitulum *Empti enim estis*. ℟. *Redime me*. ℣. *Pes enim meus stetit*, & cæt. *Gloria Patri*. ℣. *Ab occultis*. Ad Vesperum Antiph. *Inclinavit*. Psalm. *Dilexi*, *quoniam*. Antiph. *Credidi*. Psalm. ipse. Antiph. *Laudate*. Psalm. ipse. Antiph. *Clamavi*. Psalm. *Ad Dominum*. Antiph. *Auxilium*. Psalm. *Levavi*. Capitulum *Dominus autem dirigat*. Hymnus *Immense*. ℣. *Dirigatur*. Ad *Magnificat* Antiph. Oratio de Dominica, quæ specialiter in Laudibus, & Vesperis est cotidie dicenda. In aliis horis consueverunt feriales Orationes dici. Completorium non mutatur, nisi sicut superius est denotatum: & est sciendum quod ad Primam, & per omnes horas diei Capitulum, Hymnus, Antiph. ℟. Psalm. ℣. nulla die mutantur per singulas Hebdomadas in diebus ferialibus usque Epiphaniam, & quando est festum, ad Primam mutatur tantum Antiph., & nihil aliud. Ad alias horas mutantur Antiphona, Capitulum, ℟. ℣., & Oratio. In Laudibus, & Vesperis omnia mutantur.

De Officio tertiæ Feriæ. LXXXV.

FEria tertia Invitatorium *Jubilemus*. Hymnus *Consors paterni*. In Nocturno Antiph. *Ut non delinquam*. Psalm. *Dixi custodiam*. Antiph. *Sana Domine*. Psalm. *Beatus qui intelligit*. Antiph. *Eructavit*. Psalm *Deus auribus nostris*. Antiph. *Adjutor*. Psalm. *Deus noster*. Antiph. *Auribus percipe*. Psalm. *Magnus Dominus*. Antiph. *Deus Deorum*. Psalm. ipse. ℣. *Immola Deo sa:* ℟. *Auribus percipe*. ℣. *Dixi*. ℟. *Statuit Dominus*. ℣. *Expectans*. ℟. *Ego dixi*. ℣. *Domine*. In Laudibus ℣. *Fiat misericordia*. Antiph. *Dele Domine*. Psalm. *Miserere*. Antiph. *Salutare*. Psalm. *Judica me*. Antiph. *Ad te de luce*. Psalm. *Deus*, *Deus*. Antiph. *Cunctis diebus*. Psalm. *Ego dixi*. Antiph. *In Excelsis*. Psalm. *Laudate*. Hymnus *Ales Diei*. ℣. *Repleti*. Ad Benedictus Antiph. *Erexit*. Ad Vesperum Antiph. *In Domum Domini*. Psalm. *Lætatus sum*. Antiph. *Qui habitat*. Psalm. *Ad te levavi*. Antiph. *Adjutorium*. Psalm. *Nisi quia*. Antiph. *Benefac*. Psalm. *Qui confidunt*. Antiph. *Facti sumus*. Psalm. *In Convertendo*. Hymnus *Telluris*. ℣. *Dirigatur*. Ad Magnificat Antiph. *Exultet spiritus*.

De Officio quartæ Feriæ. LXXXVI.

FEria quarta Invitatorium *In manu tua Domine*. Hymnus *Rerum Creator*. In Nocturno Antiph. *Avertit Dominus*. Psalm. *Dixit insipiens*. Antiph. *Quoniam in te*. Psalm. *Miserere*. Antiph. *Juste*. Psalm. *Si vere*. Antiph. *Da nobis*. Psalm. *Deus repu*. Antiph. *A timore*. Psalm. *Nonne*. Antiph. *Benedicite*. Psalm. *Jubilate*. ℣. *Deus vitam meam*. ℟. *Ne perdideris*. ℣. *Miserere*. ℟. *Paratum*. ℣. *Exurge*. ℟. *Adjutor*. ℣. *Eripe*. In

Lau-

Laudibus ℣. *Fiat misericordia*. Antiph. *Amplius*. Psalm. *Miserere*. Antiph. *Te decet*. Psalm. ipse. Antiph. *Labia mea*. Psalm. *Deus Deus*. Antiph. *Exultavit*. Psalm. ipse. Antiph. *Cœli Cœlorum*. Psalm. *Laudate*. Capitulum *Deus autem spei*. Hymnus *Nox, & tenebræ*. ℣. *Repleti*. Ad Benedictus Antiph. *De manu*. Ad Vesperum Antiph. *Non confundentur*. Psalm. *Nisi Dominus*. Antiph. *Beati omnes*. Psalm. ipse. Antiph. *Benediximus*. Psalm. *Sæpe*. Antiph. *De profundis*. Psalm. ipse. Antiph. *Speret*. Psalm. *Domine non est*. Capitulum *Dominus autem*. Hymnus *Cœli Deus*. ℣. *Dirigatur*. Ad Magnificat Antiph. *Fac Deus*.

De Officio quintæ Feriæ. LXXXVII.

FEria quinta Invitatorium *Adoremus*. Hymnus *Nox atra*. In Nocturno Antiph. *Domine Deus*. Psalm. *Salvum me*. Antiph. *Esto mihi*. Psalm. *In te Domine*. Antiph. *Liberasti*. Psalm. *Quam bonus*. Antiph. *Et invocabimus*. Psalm. *Confitebimur*. Antiph. *Tu es Deus*. Psalm. *Voce mea*. Antiph. *Propitius*. Psalm. *Deus venerunt*. ℣. *Gaudebunt*. ℟. *Deus in te speravi*. ℣. *Esto mihi*. ℟. *Repleatur*. ℟. *Gaudebunt*. ℣. *Sed & lingua*. In Laudibus ℣. *Fiat misericordia*. Antiph. *Tibi soli*. Psalm. *Miserere*. Antiph. *Domine refugium*. Psalm. ipse. Antiph. *In Matutinis*. Psalm. *Deus Deus*. Antiph. *In æternum*. Psalm. *Cantemus*. Antiph. *In Sanctis ejus*. Psalm. *Laudate*. Capitulum *Deus autem*. Hymnus *Lux ecce*. ℣. *Repleti*. Ad Benedictus Antiph. *Visita Domine*. Ad Vesperum Antiph. *Et omnis*. Psalm. *Memento*. Antiph. *Habitare*. Psalm. *Ecce quam*. Antiph. *Omnia*. Psalm. *Laudate*. Antiph. *Quoniam*. Psalm. *Confitemini*. Antiph. *Hymnum cantate*. Psalm. *Super flumina*. Capitulum *Dominus autem*. Hymnus *Magne Deus*. ℣. *Dirigatur*. Ad Magnificat Antiph. *Deposuit potentes*.

De sexta Feria. LXXXVIII.

FEria sexta Invitatorium *Dominum, qui fecit nos*. Hymnus *Tu Trinitatis*. In Nocturno Antiph. *Exultate*. Psalm ipse. Antiph. *Tu solus*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Benedixisti*. Psalm. ipse. Antiph. *Fundamenta*. Psalm. ipse. Antiph *Benedictus*. Psalm. *Misericordias*. Antiph. *Cantate*. Psalm. ipse. ℣. *Intret in conspectu*. ℟. *Confitebor*. ℣. *Et eripuit*. ℟. *Misericordia*. ℣. *Deus iniqui*. ℟. *Factus est*. ℣. *Deus ultionum*. In Laudibus ℣. *Fiat*. Antiph. *Spiritu principali*. Psalm. *Miserere*. Antiph. *In veritate*. Psalm. *Deus exaudi*. Antiph. *Illumina*. Psalm. *Deus, Deus*. Antiph. *Auditum*. Psalm. *Domine audivi*. Antiph. *In timpano*. Psalm. *Laudate*. Capitulum *Deus autem*. Hymnus *Æterna Cęli*. ℣. *Repleti*. Ad Benedictus Antiph. *Per viscera*. Ad Vesperum Antiph. *In conspectu*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Domine probasti*. Psalm. ipse. Antiph. *A viro*. Psalm. *Eripe*. Antiph. *Domine clamavi*. Psalm. ipse. Antiph. *Portio*. Psalm. *Voce*. Capitulum

tulum *Dominus autem*. Hymnus *Plasmator*. (a) ℣. *Dirigatur*. Ad Magnificat Antiph. *Ad Patres*.

De Sabbato Feriali. LXXXIX.

SAbbato Invitatorium. *Dominum Deum*. Hymnus *Summe Deus*. (b) In Nocturno Antiph. *Quia mirabilia*. Psalm. *Cantate*. Antiph. *Jubilate*. Psalm ipse. Antiph. *Clamor*. Psalm. *Domine exaudi*. Antiph. *Benedic*. Psalm. ipse. Antiph. *Visita nos*. Psalm. *Confitemini*. Antiph. *Confitebor*. Psalm. *Paratum*. ℣. *Domine exaudi*. ℟. *Misericordiam*. ℣. *Perambulabam*. ℟. *Domine exaudi*. ℣. *De profundis*. ℟. *Velociter*. ℣. *Dies mei*. In Laudibus ℣. *Fiat*. Antiph. *Benigne*. Psalm. *Miserere*. Antiph. *Bonum*. Psalm. ipse. Antiph. *Metuant*. Psalm. *Deus Deus*. Antiph. *Et in servis*. Psalm. *Audite*. Antiph. *In cymbalis*. Psalm. *Laudate*. Capitulum *Deus autem*. ℣. *Repleti*. Ad Benedictus Antiph. *In viam pacis*. Ad Vesperum Antiph. *Benedictus*. Psalm. ipse. Antiph. *Per singulos*. Psalm. *Exaltabo te*. Antiph. *Laudabo*. Psalm. *Lauda*. Antiph. *Deo nostro*. Psalm. *Laudate*. Antiph. *Benedixit*. Psalm. *Lauda Hierusalem*. Capitulum de Epistola Dominicali. Hymnus. *O Lux*. (c) ℣. *Vespertina*. Ad Magnificat Antiph. *Peccata*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia*.

De secunda, & tertia Dominica post Octavam Epiphaniæ. XC.

DOminica secunda post Octavam Epiphaniæ ad Matutinum Invitatorium *Praeoccupemus*. Hymnus *Primo dierum omnium*. Antiph. ℟. ℣. sicut in superiori Dominica. Sex Lectiones de Epistolis Pauli. Tres de Homelia Evangelii. *Nuptiæ factæ sunt*. Ad Benedictus Antiph. *Nuptiæ*. Cętera non mutantur. Ad Missam Officium. *Omnis Terra*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus qui cę*. Epistola *Habentes donationes*. Graduale *Misit*., *Alleluja*. *Laudate Dominum* cum Organo. Evangelium *Nuptiæ*. In horis diei, & in Vesperis, ut supra. Ad Magnificat Antiph. *Deficiente vino*. Dominica tertia Invitatorium. *Quoniam Dominus*. Ad Benedictus Antiph. *Cum descendisset*. Alia non mutantur præter Capitulum, quod in omnibus horis dicitur de Epistola Dominicali, & Homeliam, quæ legitur de Evangelio ipsius Dominicæ. Ad Missam Officium *Adorate*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem nostram*. Epistola *Nolite esse prudentes*. Graduale *Timebunt*. *Alleluja*. *Dominus regnavit*. Evangelium *Cum descendisset*. Ad Magnificat Antiph. *Domine pu*. (fortasse *potes*.) Quarta Dominica repetitur Officium *Adorate*. Oratio *Deus, qui nos in tantis*. Epistola *Nemini quidquam*. Evangelium *Ascendente Jesu*. Ad Benedictus Antiph. *Ascedcn-*

(a) Consule Vetust. Breviar. (b) Ibidem. (c) Ibidem.

ſcendente. Ad Magnificat Antiph. *Domine, ſalva*. In quinta Dominica, ad Benedictus Antiph. *Domine, nonne bonum*. Ad Miſſam Officium *Adorate*. Oratio *Familiam*. Epiſtola *Induite*. Evangelium *Simile eſt Regnum Cœlorum homini qui ſeminat*: Ad Magnificat Antiph. *Colligite primum*. Sed hæc raro, niſi infra Hebdomadam, dicuntur.

Unde dicatur Dominica de Septuageſima. XCI. *(a)*

HÆc Dominica dicitur *Septuageſima* propter ſeptuaginta dies, qui hodie incipiunt, & terminantur in Sabbato Paſchalis Hebdomadæ. Quæ Septuageſima rememorat Septuageſimam annorum, quibus Populus Iſrael fuit ſub captivitate Babiloniorum. Legitur enim quod Nabuchdonoſor Rex Babilonis deſtruxit Hieruſalem, & populum ſeptuaginta annis, duris operibus afficiens captivavit. Nabuchdonoſor enim ſignificat *Diabolum*, Babilonia Mundum, Hieruſalem Paradiſum, a quo in confuſionem, & exilium hujus Mundi ſeducti ſumus, ubi ſeptuaginta annis affligimur, quia præſens vita ſeptem dierum curriculo volvitur. Sicut igitur Filii Iſrael in illa captivitate depoſuerunt Organa dicentes (*b*) *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Sic & nos in vita præſenti non gaudere, ſed lugere debemus: quod quidem repræſentamus in hoc tempore, cum cantica lætitiæ ſubticemus, unde in Toletano Concilio: *Statuimus, ne in Septuageſima Alleluja cantetur: Nec* Gloria in Excelſis Deo, *quia tempus eſt non gaudii, ſed mœroris, hoc enim univerſalis Eccleſiæ conſenſus roborat. Si quis igitur Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum fuerit repertus, qui arbitrium ſuum huic conſtitutioni æſtimet præferendum, Communione Paſchæ privetur*. Et nota quod Septuageſima incipit die Dominico, & terminatur in Sabbato, eo quod a manſione Paradiſi noſtra captivitas inchoatur, & uſque ad futuram requiem perdurabit. Moraliter enim quilibet in Paradiſo per aquam Baptiſmatis generatus, poſt Baptiſma per peccata in Babilonia captivatur, ubi cum dierum ſeptenario converſetur, agat ſeptenarium in luctu pœnitentiæ, ut in die Reſurrectionis ad Cœleſtem Hieruſalem cum gaudio revertatur. Item per X. Hebdomadas Septuageſima extenditur, quia per obſervantiam Decalogi ad lætitiam pervenitur. Quamvis autem captivitatis noſtræ ſemper memores eſſe debeamus, ſpecialiter tamen in illis diebus oportet, quibus legimus, & cantamus de abjectione Patris noſtri Adam

---

(*a*) Eadem fere traduntur a Durando, quem conſule lib. VI. cap. 24. Conſule etiam *Ordinem Antiq. Romanum de Septuag.* Albinum Flaccum Alcuin. *de Divinis Offic. de Septuageſ.* Amalar. *de Ord. Antiph.* cap. 30. Microl. *Eccl. Obſerv.* cap. 47. Martene *de Antiq. Eccl. Ritib.* lib. IV. cap. XVI. Adiice, quæ Doctiſs. Card. Antonelli in hanc Dominicam docet [*Vet. Miſſal. Roman.* pag. 32.] (*b*) Pſal. CXXXVI. 4.

Adam de Paradiso; & de periculo Noe in Diluvio; & de Abraham qui exiit de Terra sua, & de hujusmodi eorum laboribus. Sicut enim Adam in exordio Mundi factus est, sic & in principio anni, & Ecclesiastici Officii, de illo cantare, & legere proponimus.

Qualiter fiat Officium in Dominica de Septuagesima. XCII.


SAbbato igitur ante Dominicam de Septuagesima ad Vesperum hanc consuetudinem Ecclesia nostra tenere consuevit, quod in loco Antiphonarum, quæ habentur super Psalmos cantamus *Alleluja* in eodem tono, quo & Antiphonas feriales. Scilicet *Benedictus*, & cæter. per unumquemque Psalmum cantantur, & si ea die fuerit Festum novem Lectionum, non mutatur hæc consuetudo, sed post Orationem de Dominica fiat Collecta de festo per Antiphonam, & Orationem ipsius, præterquam *in Purificatione Beatæ Mariæ*. Capitulum *Nescitis, quod hi qui*. ℟. *Formavit*. Hymnus *O lux beata*. ℣. *Vespertina orat.* Ad Magnificat Antiph. *Dixit Dominus Adam*. Oratio *Preces Populi tui*. Postea *Benedicamus Domino Alleluja* solemniter cantatur cum Organo. Et nota quod sic *Alleluja* licentiantes frequentamus, sicut recessuris amicis salutationes, & gratias multiplices consuevimus geminare (a). Dimittitur autem *Alleluja* usque in Sabbatum Sanctum Paschæ, in cujus loco dicitur in principiis Officiorum *Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ*. In Missa post *Alleluja* cantatur tractus. In Antiph., & ℟. quidam dicunt, *in æternum*, post *Alleluja*. Ad Matutinum Invitatorium *Venite adoremus*. Hymnus *Primo dierum*. Antiphonæ *Servite Domino*, & cæteræ cum ℣. ut supra, non mutantur super Nocturno usque ad primam Dominicam Quadragesimæ. ℟. cantantur de Historia *In principio*, ut habentur in Antiphonario. Sex Lectiones leguntur *de Genesi*, scilicet *in principio;* vel tantum tres de Genesi, & tres in medio de Sermonibus, si habeantur. Tres ultimæ de Homelia Evangelii. *Simile est Regnum Cœlorum homini patri familias*. Nonum ℟. *Ecce Adam*. *Te Deum laudamus* non dicitur usque ad Pascha. In Laudibus. ℣. *Excelsus super*. Antiph. *Miserere mei*. Psalm. ipse. Antiph. *Confitebor*. Psalm. *Con-*

(a) Amal. lib. IV. Offic. cap. 7. *de Vespertin.* Synaxi *Quia nos inchoamus hæc Officia a Septuagesima, non possumus hic referre aliquid de versu, quem solemus dicere in Vespertinali Officio, antequam dicamus aliquid de* Alleluja, *quod cantatur in Septuagesima. In eodem Vespere, & in Nocte sequenti* Alleluja *per omnia Officia Cantoris currit. Ita agimus de* Alleluja *quando illud recondimus in thesauris suis, id est in cordibus electorum, & Angelorum vocibus, sicut solet dilectus circa dilectum agere, qui perrecturus est iter longiquum, osculatur os ejus, collum, os, frontem &c. Dictum sit strictim de* Alleluja *quod propterea toties frequentamus, quia diligimus illud, & in propinquo recondendum sit*.

Confitemini, & cæt.; & est sciendum quia per Dominicas noctes a Septuagesima usque in Dominicam Palmarum in Matutinis Laudibus omittitur Psalm. *Dominus regnavit*, quia est Psalmus *Lætitiæ*, & perfectos informat, & dicimus *Miserere*, & *Confitemini*. *Miserere* resultat vocem Pœnitentis: post cordis contritionem, & indignationem reatus, præbet caritas fiduciam accedendi ad Deum, & laudandi eum, nam per pœnitentiam venitur ad Laudis confessionem, unde & sequitur Psalm. *Confitemini*. Capitulum *Nescitis*. Hymnus *Æterne*. ℣. *Domine refugium*. Ad Benedictus Antiph. *Simile est Regnum*. Oratio *Preces*. Ad Primam Hymnus *Jam lucis*; & est notandum quod a Septuagesima usque in quartam feriam majoris Hebdomadæ omni die, præterquam in Dominica Palmarum, & in Festis novem Lectionum hic Hymnus cantatur more Francigenarum sic





Jam lu cis or to si de re Deum



pre cemur sup pli ces ut in diur-



nis a cti bus nos ser vet a no-



cen ti bus.

Antiph. *Conventione autem*. ℟. *Christe Fili Dei vivi*. Similiter *Jam lucis orto sydere Deum precemur* a Septuagesima usque quintam feriam majoris Hebdomadæ omni die, nisi festum occurrat, semper cantatur. Ad Primam autem semper in Dominicis diebus usque ad Dominicam Palmarum dicuntur Psalm. *Deus Deus meus respice* cum sequentibus usque *Dominus illuminatio*, & *Deus in nomine*, & *Beati immaculati*, cum reliquis, & *Quicumque* vult, ne aliquid de Psalterio prætermittatur quin totum legatur in septimana, nisi aliquod festum novem Lectionum in Dominica celebraretur. Ad Missam Officium *Circumdederunt*, cum Versu, Epistola *Nescitis*. Gradual. *Adjutor*. Tractus *De profundis*, & semper in

Dominicis diebus ultimus Versus Tractus cantatur cum Organo. Et dicitur Tractus, quia pro gravitate sui Cantus tractim cantatur, & significat fletum, & tristitiam Sanctorum in præsenti vita activa, seu contemplativa degentium, quia Sancti suspirantes gemitum ab imo pectoris trahunt. Item Evangelium *Simile est Regnum Cælorum homini Patri Familias*, & *Credo in unum*.

De Processione, & majori Missa. XCIII.

AD Processionem eundo cantatur ℟. *Ecce Adam*. ℣. *Ejecitque*. In introitu Ecclesiæ, dicta Oratione de Dominica cantatur *Gloria* eodem tono ut ℣., & ℟. Ad Tertiam Hymnus *Nunc sancte*; & est sciendum quod a Septuagesima usque in quartam feriam majoris Hebdomadæ, tam in Dominicis, quàm in ferialibus diebus ad Tertiam, Sextam, & Nonam tantum æquali voce cantamus Hymnos *Nunc sancte nobis spiritus*. *Rector potens*. *Rerum Deus, tenax vigor*, nisi sit festum novem Lectionem de aliquo Sancto. Antiph. *Quid hic statis*. Capitulum de Dominicali Epistola ℟. *Educ de carcere*. ℣. *Periit fuga*. ℣. *Ego dixi*, & non cantatur ℣. cum Organo. Nam a Septuagesima usque Dominicam Psalmarum, nec ad Tertiam canitur aliquid cum Organo nec ad Missam, nisi ultimus Versus de Tractu, si festum novem Lectionum non celebretur; interim autem dum Tertia cantatur, Presbyter cum Diacono, & Subdiacono præparant se ad majorem Missam cantandam. Et nota, quod a Septuagesima usque Dominicam de Palmis Diaconus, & Subdiaconus Dominicis tantum diebus ad majorem Missam induuntur Casulis, vel Planetis, ut supra diximus in Dominicis de Adventu. Ad Missam, Officium *Circumdederunt*, quod æquali voce cantatur cum Versu. *Gloria in Excelsis Deo* usque ad Pascha dimittitur, nisi festum novem Lectionum occurrat, & excepto *Die Cænæ Domini* quando Sanctum Chrisma conficitur, propter reverentiam ipsius, si Episcopus Missam celebraverit, & Sabbato Sancto; quibus diebus, & *Gloria in Excelsis* ad Missam canitur, & Diaconi cum Dalmaticis, & Subdiaconi cum Tunicis ministrant. Finita majori Missa cantatur Sexta. Antiph. *Ite & vos*. ℟. *Spes mea*. ℣. *In te confirma*: ℣. *Dominus regit*. Ad Nonam Antiph. *Voca operarios*. Capitulum de Dominica. ℟. *Esto nobis Domine*, ℣. *A facie*. ℣. *Ab occultis*, & sic in Dominicis diebus usque ad primam Dominicam Quadragesimæ ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam semper dicimus. Antiphona de Evangelio, & ℟, & ℣. non mutantur. Ad Vesperum Antiph. *Sede a dextris*. Psalm. *Dixit Dominus*. Antiph. *Fidelia*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *In Mandatis*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Sit nomen Domini*. Psalm. *Laudate*. Antiph. *Nos qui vivimus*. Psalm. *In exitu*. Capitulum de Dominica. Hymnus *Lucis*, cum Organo. ℣. *Dirigatur*. Ad Magnificat Antiph. *Hi Novissimi*. Oratio *Preces Populi*. Hunc ordinem servamus in Antiphonis super Psalmos ad Vesperum

rum in hac Dominica, & in cæteris sequentibus per totam Quadragesimam.

De diebus Ferialibus usque ad initium Quadragesimæ. XCIV.

IN Ferialibus diebus usque quartam feriam, quæ est in capite sequentis Quadragesimæ, ad Matutinum, Invitatorium, Nocturnum cum Antiphonis, & Psalmis ferialibus, & ℣. ut supra posuimus post Octavam Epiphaniæ. Omnes Lectiones leguntur *de Eptatico*, idest septem libris Bibliothecæ, idest Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, & Deuteronomio, qui vocantur *Pentateucum*, scilicet quinque libri Moysi. Adduntur his quinque duo alii, scilicet liber Josue, & liber Judicum, qui simul dicuntur *Eptaticum*. His jungitur liber *Ruth*, qui omnes finiendi sunt in Ecclesia, vel mane, & sero legantur ad Mensam, si aliter non possunt expleri usque in Caput Jejunii Quadragesimalis. ℟. cantantur de Historia præcedentis Dominicæ. In Laudibus, & per omnes horas diei usque in quartam feriam incipientis Quadragesimæ dicuntur Capitula Ferialia, quæ supposita sunt post Octavam Epiphaniæ. Sed non pulsatur ad Sextam, nec horæ per intervalla dicuntur usque feriam quartam initii Quadragesimæ, & ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* cotidie dicuntur Antiph. de Evangelio Dominicalis diei. Item a Septuagesima per singulas Hebdomadas, & in Laudibus, & ad Primam, & per omnes horas a Septuagesima usque ad Pascha in ferialibus diebus dicimus *Kyrie eleison III. Pater noster*, & Capitulum *Ego dixi Domine*, & cæter. cum Psalmo *Miserere*, nisi fiat Officium de aliquo festo. Ad Primam, & alias horas dicuntur tantum Antiphonæ feriales. Ad Tertiam ℟. *Adjutor meus esto*. ℣. *Neque despicias*. ℣. *Dominus regit*. Ad Sextam, & Nonam, ℟., & ℣. ut supra in Dominica Septuagesimæ, & hæc ℟. cum ℣. dicimus usque ad primam Dominicam Quadragesimæ.

De Dominica in Sexagesima. XCLV.

(a) SExagesima dicitur inde quia habet sexaginta dies, quæ hodie incipit, & terminatur in quarta feria Paschalis Hebdomadæ, in qua cantatur *Venite Benedicti*. Hæc Sexagesima significat tempus viduitatis Ecclesiæ; scilicet quod viduata fuit per mortem, idest lapsum Protoplasti, vel per absentiam Sponsi, qui peccatoribus abest per gratiam. Dicitur autem Sexagesima a sex decem, nam ad remedium, & consolationem Ecclesiæ data sunt in præsenti sex opera misericordiæ, & decem præcepta Decalogi, ut se in eis exerceat, & per eorum observationem audire merebitur:

L 2

(a) Consule Durand. VI. 26. aliosque vetustos Ecclesiasticorum rituum interpretes.

tur: (a) *Venite benedicti*, quod canitur ultimo die Sexagesimæ. Et nota quia sæpe secundum stationes ordinantur Officia; nam quia hodie statio est ad Sanctum Paulum, in hodierna Oratione, & Epistola agit de laboribus Pauli. Sabbato igitur antecedente Dominicam de Sexagesima ad Vesperum, Capitulum *Libenter suffertis*. ℟. *Noe vir justus*. Hymnus *O lux*. ℣. *Vespertina*. Antiph. ad Magnificat. *Obtulit holocaustum*. Oratio *Deus qui conspicis*. Ad Matutinum Invitatorium *Præoccupemus*. Hymnus *Primo dierum*. In Nocturno Antiph. *Servite*, & cæteræ. Sex Lectiones leguntur de Genesi ab eo loco ubi dicitur: *Noe cum quingentorum*. Tres ultimæ de Homelia Evangelii *Cum Turba*. Omnia ℟. cantantur de historia Noe. *Dixit Dominus ad Noe*, & cætera sicut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *In articulo diei*. In Laudibus Antiph. *Secundum magnam*, & reliquæ. Capitulum *Libenter*. Hymnus *Æterne*. ℣. *Domine refugium*. Ad Benedictus Antiph. *Cum Turba plurima*. Oratio *Deus qui conspicis*. Ad Primam, & alias horas diei dicuntur Antiphonæ de Evangelio Dominicæ. ℟., & ℣. non mutantur. Ad Missam Officium. *Exurge, quare*. Oratio *Deus, qui con.* Epistola *Libenter*. Graduale *Sciant Gentes*. Tractus *Commovisti*. Evangelium *Cum Turba*. Ad Processionem cantatur ℟. *Ecce Adam*; & major Missa ut superius diximus, celebratur. Ad Vesperum, Antiph. super Psalmos *Sede a dextris*, & cæteræ. Ad Magnificat Antiph. *Qui Verbum Dei* per totam Hebdomadam. Invitatorium, Antiph. super Nocturno. Psalm. Capitulum, Hymni, & ℣. de feria, Dicuntur ℟. de historia Dominicali, & semper ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* tantum cantantur Antiphonæ de Evangelio Dominicæ.

De Dominica in Quinquagesima. XCVI.

[b] HÆc Dominica *Quinquagesima* nominatur eo quod Quinquagena dierum, quos continet, hodie incipit, & in die Paschæ terminatur. Hæc Quinquagena significat tempus remissionis, qui dicitur esse Jubilæus, unde hoc tempore maxime utimur Psalmo quinquagesimo *Miserere mei Deus*, qui est Psalmus remissionis, & pœnitentiæ. Dicitur autem Quinquagena a quinquies decem; & septem in se perfectas continet septimanas, ut si per administrationem quinque operum humani sensus cum septiformi gratia Spiritus Sancti decem præcepta Decalogi compleverimus, a Domino consequemur, & perveniemus ad gloriosam resurrectionem. Sabbato præcedente Dominicam Quinquagesimæ ad Vesperum Capitulum *Si linguis hominum*. ℟. *Tentavit Deus*. Hymnus *O Lux*. ℣. *Vespertina*. Ad Magnificat Antiph. *Pater Fidei nostræ*. Oratio *Preces nostras*. Ad Matutinum, Invitatorium *Quoniam Deus*. Hymnus *Primo dierum*. Antiph. super Nocturnum *Servite Domino*, & cæter. Psalm., & ℣. ut in

(a) Matth. XXV. 34. [b] Duran. VI. 27.

ut in superiori Dominica. Sex Lectiones de Genesi, ab eo loco ubi legitur, *Tentavit Deus Abraham. Locutus est Dominus*. Ultimum ℟., *Cæcus sedebat*. ℣. *Et qui præibant*. In Laudibus Antiphonę *Secundum multitudinem*, & reliquæ. Hymnus *Æterne rerum*. ℣. *Domine refugium*. Ad Benedictus Antiph. *Ecce ascendimus*. Oratio *Preces nostras*. Ad Primam Antiph. *Transeunte Domino*. Ad Missam Officium, *Esto mihi*. Oratio *Preces*. Epistola, *Si linguis*. Graduale *Tu es Deus*. Tractus *Jubilate*. Evangelium *Assumpsit Jesus*. Et nota, quod in his tribus Dominicalibus Officiis innuitur expeditio Israelitici Populi revertentis, in qua utebantur planctu, fuga, & Orationibus; sic & nos per pęnitentiam revertentes in Septuagesima plangentes diximus *Circumdederunt*. In Sexagesima, quasi fugiendo cantavimus *Exurge*. In Quinquagesima quasi orantes dicimus *Esto mihi in Deum*. Item ad Processionem ℟. *Cęcus sedebat*. Ad Tertiam Antiph. *Cęcus sedebat*: ad Sextam Antiph. *Cęcus magis*, ad Nonam Antiph. *Omnis Plebs*. Ad Vesperum Antiph. *Sede*, & cæter. Ad Magnificat Antiph. *Stans autem*. In Ferialibus diebus, Invitatorium, Hymnus, Antiphona, Psalmi, & ℣. de feria, & ℟. de historia Dominicali, & semper ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* Antiph. de Evangelio Dominicæ, & totum aliud, ut dictum est superius, usque in diem Cineris peragatur. Notandum autem quod Telesphorus Papa constituit Jejunium apud Romanos a Quinquagesima per septem Hebdomadas ante Pascha, utque septem septimanis post Pascha relaxari a jejunio volumus, ita præcedentes VII. in pęnitudine peccatorum exigimus (*a*).

De

[*a*] In Vetusta Decretali Telesphoro tributa hæc extant. *Cognoscite a nobis, & a cunctis Episcopis in hanc Sanctam, & Apostolicam sedem congregatis statutum esse, ut septem Hebdomadas plenas ante Sanctum Pascha omnes Clerici in sorte Domini vocati a carne jejunent, quia sicut discreta esse debet Vita Clericorum a Laicorum conversatione, ita & in jejunio debet fieri discretio, ... Et sicut hi amplius sunt applicati Divinis cultibus, & familiares Domini dicuntur Salvatoris, ita moribus, & conversatione, atque sanctitate debent esse distincti; Hae ergo septem Hebdomadas omnes Clerici a carne, & deliciis jejunent, & Hymnis, & Vigiliis, atque Orationibus Domino inhærere diu, noctuque studeant.*

De hoc Decreto, adeoque de integra Epistola Telesphoro tributa hæc tradi Doctiss. Petrus Couttant (*Epist. Roman. Pontif.* Tom. I. pag. 57. 58. §. unico) ,, *Una tantum circumfertur Telesphori Epistola, & ea quidem* ,, *ab Isidoro Mercatore conficta, ideoque ipsi suo loco restituenda.*

,, *In Pontificali autem libro tria eidem Pontifici attribuuntur decreta. Primum*, ,, ut septem Hebdomadas ante Pascha jejunium solveretur. *Alterum*, ut ,, in Natali Domini Nostri Jesu Christi noctu Missa celebraretur, cum om- ,, ni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas ce- ,, lebrare. *Postremum*, ut ante sacrificium Hymnus diceretur angelicus, ,, hoc est, Gloria in Excelsis.

,, *Primum quidem pariter in supposititio Ambrosii Sermone de Septuagesima ac* ,, *nonnullis Eusebiani Chronici editionibus Telesphoro adscribitur. Verùm*

,, *ejus*

De quarta Feria in capite Quadragesimæ. XCVII.

(a) QUarta feria, quæ *caput jejunii* nuncupatur, jejunium Quadragesimale inchoatur, exceptis enim sex Dominicis diebus, triginta sex in jejunio remanebant. Unde Sanctus Gregorius (b) triginta sex dies abstinentiæ dumtaxat nobis insinuat: forte nondum erant hi quatuor additi, quos oportuit addi ad supplementum Quadragesimalis jejunii. Et recte incipientes a quarta feria, Quadraginta sex dies continuamus in abstinentia; legimus enim quod Salomon in quarta ætate ædificavit Domino Templum (c). Ideoque nostra jejunia a quarta feria incipiunt, ut in Pascha, Domini Templum esse possimus; vel ideo a feria quarta jejunare incipimus, quia Christum ea die suum jejunium inchoasse didicimus, cum in quarta feria Baptizatus fuerit, & in eadem Baptismatis die jejunium inchoaverit. Et sicut legitur (d) quadraginta sex annis Templum ædificatum, sic præsens jejunium quadraginta sex diebus in abstinentia continuatur: vel quia Puerperium quadraginta sex diebus in ute-

---

„ *ejus falsitatem evincit liber Sacramentorum Gregorii Magni, ex quo totum Quadragesima tempus, etiam ipsius avo, sex tantùm Hebdomadis conclusum fuisse liquet. Ad hac, anno 511. Aurelianense I. Concilium can.* „ 24. *constituit*, ut ante Paschæ solemnitatem non Quinquagesima, sed „ Quadragesima teneatur. *Quod praceptum anno 541. confirmans Aurelianense IV. Concilium can. 2. addit*; Neque Quinquagesimam aut Sexagesimam „ ante Pascha quilibet Sacerdos præsumat indicere. *An Septuagesimam siluisset hac Synodus, si ejus usum in Ecclesias aliquas jam tum inductum nosset? Isidorus Mercator hoc de septem Hebdomadarum jejunio praceptum non quasi fidelibus omnibus, sed velut solis Clericis a Telesphoro injunctum refert in hunc modum*: Ut septem Hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati, a carne jejunent. „ *Verum ille hac mutatione, aliisque similibus effrenem in confingendis quibuslibet licentiam suam ac temeritatem prodit.* „

Non desunt tamen, qui moneant revera Clericis, non omnibus Fidelibus indictum esse a Telesphoro septem Hebdomadarum jejunium. Porro tam liber Sacramentorum Gregorii, quàm Concilium Aurelianense Quadragesimam Fidelibus omnibus indictam, non peculiariter Clericis tantum, indicant.

[a] Consule Durand. VI. 28.

(b) En locum ipsum S. Gregorii n. 5. Homil. XVI. in Evang. *A præsenti die* (Dominica I. Quadragesimæ) *usque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex Hebdomada veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus, dum sex dies Dominici abstinentia subtrahuntur, non plus in abstinentia, quàm sex, & triginta dies remanent. . . . . Quasi anni nostri decimas Deo damus &c.* Sed hoc de argumento diligenter, & copiose Egregius Thomasinus, *de jejuniis* differens Par. I. cap. VII., & Par. II. cap. IV.

[c] III Reg. V., & subseq. [d] Jo. II. 20. *Quadraginta, & sex annis ædificatum est Templum hoc.*

utero jacet informe, ideo tot diebus jejuniis, & Orationibus vacamus; ut informe nostrum Domino reformemus. Propterea Samaritanus ille, qui dolorem agnovit dicens *Circumdederunt me*, & Orationes ingeminavit. *Exurge: & Esto*, videns se non posse curari sine cataplasmate pœnitentiæ, hodie pro medicina salutis induit Cinerem humilitatis, & Cilicium asperitatis, quia Cinis, & Cilicium sunt arma Pœnitentium. Hodie etiam capitibus nostris Cineres imponimus ad memoriam reducentes, quod dictum est a Deo (a) *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Hodie etiam Cilicia vestimus protoplasti perizoma recolentes, (b) Ninivitarum pœnitentiam ad memoriam revocantes, (c) & Joannis Baptistæ habitum redolentes (d). Hodie diem expulsionis nostræ de Paradiso recolimus de Ecclesia peccatores ejicientes: ejectis septennem pœnitentiam, aut aliam pro criminum quantitate injungimus, quia genus humanum in Adam lapsum judicio Dei in hoc exilio VII. millibus damnatur annorum: Maria quoque leprosa VII. diebus extitit extra castra (e). Exilium etiam indicimus quia Chain in manifestam Dei vindictam factus est vagus, & profugus super terram (f). Carcer autem pœnitentiæ a Joseph habuit initium (g). Tam in Carcere quam in exilio comam, & barbam nutriunt, cujus incultus a Joseph (h), vel David (i) Ecclesia cœpit exemplum. Singulis vero peccatoribus pœnitentia imponatur secundum Canones Pœnitentiales, qui in libro Pœnitentiali plene reperiuntur.

De forma mittendi Pœnitentes in Carcerem. XCVIII.

FOrma mittendi in Carcerem Pœnitentes, in Ecclesia nostra talis esse consuevit. Feria quarta in capite Quadragesimæ Pœnitentes, qui pro homicidio sponte commisso Carcerem subire tenentur, debent prius a Patrinis suis pœnitentiam recipere de omnibus aliis peccatis, & postea cum ipsis Patrinis venire ad Episcopalem Ecclesiam ante Archipresbyterum, vel Pœnitentiarium Canonicum, & tunc ipse quæret ab eo, si de aliis peccatis quæ commisit, fecerit Confessionem, & utrum pro illo homicidio Carcerem velit intrare, & ipso recte respondente; de homicidio imponet sibi pœnitentiam, in hunc modum videlicet: quod per totam Quadragesimam omni die, præterquam in die Dominico, jejunet in pane & aqua, & centum genuflexiones faciat, & centum *Pater noster* dicat in die, & centum in nocte, & nulli loquetur in die, usque ad horam Tertiam, nec sero post Completorium, nec manus sibi abluat, nec manutergio abster-

(a) Gen. III. 19. (b) Gen. III. 21. (c) Jonæ III. 5.
(d) Matth. III. 4. (e) Num. XII. 10. 11. &c.
(f) Gen. IV. 14. 15. 16. (g) Gen. XXXIX. 20. (h) Gen. XLI. 14.
(i) II. Reg. XV. 30.

ſtergat, nullum pannum lineum induat, ex indulgentia tamen in tertia, & quinta feria, & die Dominico vinum bibat, & manus abluat, ſed manutergio non abſtergat, & tantum Sacerdos det ei comedere omni die, & de uno tantum pulmento, nullos tamen piſces, vel anguillas comedat. Indutus jaceat, & ſuper paleam de Carcere non exeat, niſi ad neceſſaria naturæ. Poſtea loco Carceris ordinato, ipſe Pœnitentiarius Canonicus, vel Patrinus ipſius vadit cum eo ad Carcerem, & cum ventum fuerit ante Carcerem, Pœnitens deponit veſtes conſuetas, & exuens ſibi omnes pannos lineos induit ſe aſperam tunicam, & cappam, ſi opus fuerit, & caligas ſine pedulibus, & ſcoffones, ſi friguerit, habeat in pedibus, ut ipſo habitu ſe reum eſſe proteſtetur, & tunc Pœnitentiarius primo interrogat eum, utrum vere pœniteat de omnibus peccatis ſuis, & ſi recte reſponderit, bene eſt. Sin autem, injungat ei, prout viderit expedire, & ſtatim præcipiat ei, ut ante Carcerem ſe in terra extenſum proiiciat, & dicat: *Mea Culpa. Peccavi Domine, miſerere mei*, & hoc faciat tribus vicibus. Poſt tertiam vicem jaceat proſtratus in terra, & Sacerdos incipiens *Deus in adjutorium meum intende*, dicat ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & Litanias, & Orationem, *Deus qui juſtificas impios. Deus cui proprium eſt miſereri. Exaudi Deus ſupplicum preces*. His dictis Sacerdos aſpergit Carcerem aqua benedicta, & cum incenſo benedicto totum locum ex omni parte turificat. Poſtea veniens ad Pœnitentem qui jacet in terra, facit ei Confeſſionem, & dat ſibi aquam benedictam, & incenſi fumum, & ſuſcipiens eum per manus introducit illum in Carcerem dicendo hanc Orationem. *Commendamus tibi Domine Famulum tuum in vita præſenti, ut ab omni malo eum eripias, & intercedente B. Maria ſemper Virgine cum omnibus Sanctis, ipſum ad vitam perducas æternam. Per &c.* Poſtea ſtudioſe admoneat eum, quod injunctam ſibi pœnitentiam fideliter exſequatur, & ſemper de pane ſibi appoſito faciat tres elemoſinas, & ſit unus ſolus panis tantæ quantitatis, quod de reſiduo ſe valeat ſuſtentare.

De Officio quartæ Feriæ in Capite Quadrageſimæ, & ejus conſuetudine. XCIX.

FEria quarta capite Jejunii ad Matutinum, prima vice pulſatur Campana, quæ ad Tertiam conſuevit pulſari, per tam magnam moram, quod omnes Canonici veniant in Eccleſiam, & quiſque ſuam tacitam poſſit facere Orationem. Poſt illam pulſationem ſtatim incipiuntur Pſalmi *Graduales*, quibus dictis pulſatur ſquilla, & dicitur Matutinum *S. Mariæ* totum cum ſua Prima, & finitur Tertia pulſatio, cum dicuntur Lectiones in hoc Matutino, & ſic pulſatur per totam Quadrageſimam, niſi ſit dies Dominicus, vel Feſtum novem Lectionem, quia tunc pulſatur more conſueto. Deinde incipitur Officium de Feria, & dicitur Invitatorium *In manu tua Domine*, Hymnus *Rerum Creator*. In Nocturno Antiph. *Avertit Dominus*. Pſalm. *Dixit inſipiens*, & cæteri Pſalmi, Antiph., & ℣. de Feria.

feria. Omnes Lectiones legantur de Evangelio *Cum jejunatis*. ℟. de præcedenti Dominica: post tertium ℟. *Rogamus*, quod canitur cum Organo. In omnibus ferialibus diebus a capite jejunii usque ad Dominicam Passionis Domini, cotidie legitur tantum Homelia de Expositione Evangelii ipsius diei, & si desunt Homeliæ, legitur de Sermonibus factis in Quadragesima. In Laudibus Antiph. *Amplius lava me*, & cæteræ, cum suis Psalmis. Capitulum *Convertimini ad me*. Hymnus *Nox & tenebræ*. ℣. *Repleti sumus*. Ad *Benedictus* Antiph. *Cum jejunatis*. *Kyrie eleison III. Pater noster*. ℣. *Ego dixi Domine*, & cæter. Psalm. *Miserere*. Oratio *Concede nobis Domine*; & nota quod in omnibus ferialibus diebus per totam Quadragesimam in Laudibus, & per omnes horas diei dicitur *Kyrie eleison III. Pater noster*, cum Capitulo, & Psalmis *Miserere mei*, nisi fiat majoritas Officii de aliquo festo. Per istos quatuor dies ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam dicuntur Antiphonę feriales. Ad Tertiam, Capitulum *Clama, ne cesses*. Ad Sextam, Capitulum *In quacumque die conversus fuerit impius*, & ad Nonam, Capitulum *Frange esurienti*. Hac die post Primam de Feria cantatam dicimus Matutinum *pro Defunctis* in novem Lectiones, & in mane hora consueta non cantamus Missam Popularem, sed eam differimus usque ad horam Nonam. Hoc facto, Fratres omnes exeunt in Capitulum, in quo post dictas Orationes residentibus Fratribus fit sermo a Præposito, vel Archipresbytero *de vera Pœnitentia*. Vel dicuntur alia, si qua in tali tempore videantur esse dicenda. Postea vocantur Custodes Ecclesiæ, & omnes familiares Domus, qui sunt præsentes, & singuli admonentur, ut quisque absque negligentia suum taliter peragat Officium, quod Deo, & hominibus pro bono servitio gratum existat. Hora tertia omnes Fratres de hujus plebis massa in majori conveniunt Ecclesia, & ibi a Domino Episcopo communiter fit eis sermo qualiter Sacerdotes se debeant custodire, & populum sibi commissum regere, & Officium per totum annum exercere, & maxime in hoc tempore illud digne peragere, & qualiter debeant peccatoribus pœnitentias dare, & pro quibus criminibus eos ad majorem Ecclesiam ducere. His omnibus finitis Fratres omnes prosternunt se in terram canentes *Miserere mei Deus*, & *De profundis*. Deinde fit Confessio a Domino Episcopo, & finito Capitulo quisque recedit ad propria.

De Benedictione Cineris, & Officio Missæ.
C.

HOra autem Nona Sacerdos indutus Alba, & Stola, & Pluviali loco Planetæ ad Altare Cineres secundum ordinem *Sacramentarii* benedicit, & primo cantetur Antiph. *Exaudi nos Deus* cum Versu, & Gloria. Deinde dicatur Oratio. Postea Benedictione finita, Sacerdos spargit aquam benedictam super Cineres, & incensat eos, & tunc cantantur Antiphona in Choro *Immutemur*, & alia *juxta Vestibulum*. Dum hæc canuntur, Sacerdos imponat Cinerem Clero, & Populo dicens per singulos.

Memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Quod ut facilius fiat, adjungitur ei alius Sacerdos Canonicus, qui eum adjuvet ad Cineres imponendos, & similiter sit indutus Pluviali. Cantatis Antiphonis sedentes expectent donec Cineres imponi Capitibus compleantur: quo facto Sacerdos ablutus manibus, & indutus Planeta ingreditur ad Missam cum Diacono, & Subdiacono indutis Camisis albis. Sequitur Officium. *Misereris omnium*. Dicto *Kyrie eleison*, Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*. *Oremus*, & Diaconus *Flectamus genua*. *Levate*, & Sacerdos Orationem *Concede nobis*. Lectio *Convertimini*. Graduale *Miserere*. Tractus *Domine, non secundum peccata*; & nota quod usque ad Dominicam de Passione per totam Quadragesimam in Missis de jejunio, utimur hoc tractu secunda, quarta, & sexta feria, ut in diebus artiori jejunio deputatis, inceptæ pœnitentiæ memores Orationem jejunio combinemus. Item Evangelium *Cum jejunatis*. Ab hac die usque Dominicam de Passione in omnibus Missis de jejunio, tam in Dominicis diebus, quàm in earum feriis dicitur Præfatio *Qui Corporali*. A Dominica tamen *de Passione*, eo quod Passiones ibi legere incipimus, usque *in Cœna Domini*, dicimus Præfationem *de Cruce*, quę tunc convenientissime dicitur, cum de Passione Domini tam specialiter tractatur. Item ad Orationem, quæ ultima dicitur super Populum, postquam Sacerdos dixerit *Oremus*, Diaconus dicit *Humiliate capita vestra Deo*, & tunc Sacerdos finit Orationem cum *Dominus vobiscum*. Statimque Diaconus stans versus ad Altare finit Missam cum *Benedicamus Domino*.

Quare in Oratione Missæ dicitur Flectamus genua? CI.

UT nos sub potenti manu Domini humiliemus, hac die, & in omnibus sequentibus ferialibus usque in Cœnam Domini semper ad primam Orationem in principio Missæ de jejunio dicitur *Flectamus genua*, ad memoriam reducentes quod cum in Paradiso quasi Angelici creati fuerimus, propter lapsum inter bruta animalia jacemus, ut ipso actu confiteamur nos peccatores esse, & terrenis desideriis inhærere; aut dum Corpus terræ affligimus, cordis contritionem significamus, & erubescentiam, quod oculos ad Deum levare non audemus, ostendimus, & quare ceciderimus, adtendentes. Vel ut innuamus quod Christo *flectitur omne genu (a)*: hìc autem ritus ab Abrahàm exordium sumpsit, qui cadens in terra Deum adoravit (*b*), quem Apostolus imitatus dicit (*c*): *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*, & cæter. Unde innuitur nullum debere orare uno solo genu terræ impresso, sicut Judæi irridentes Dominum in passione ejus fecisse leguntur (*d*), sed utraque genua quis-

(*a*) Philip. II. 10. [*b*] Gen. XVIII. 2. (*c*) Eph. III. 14.
[*d*] Matth. XXVII. 29.

quisque in terra ponat. In Dominicis autem diebus, vel cæteris festis, a Vespera usque in Vesperam Fideles non flectant genua, sed stantes incurvati orent. In privatis etiam orationibus quandoque ad terram prosternimur propter prædictas causas, quandoque flexis genibus elevata facie oramus, quasi dicentes ad Dominum (a): *Trahe me post te*, quandoque stantes oramus, quasi (b) *lætantes quod in Domum Domini ibimus*. In primo exprimimus conditionem nostram, in secundo desiderium, in tertio spem; & nota quod in prima Oratione Missæ genua flectimus in postulatione justitiæ, quæ necessaria est in præsenti vita. In ultima humiliamur in gratiarum actione pro diurno denario futuræ vitæ. Nam qui se humiliaverit, exaltabitur. Tandem post finem Missæ Presbyter super Populum protectionem benedictionis infundit, quia quisquis hic bonis actibus benedicetur, æternę benedictioni postmodum ascribetur.

Qualiter hora Nona in Quadragesima Missa celebretur, & pulsetur ad Vesperum. CII.

Notandum, quod in hac quarta feria, & in omnibus diebus ferialibus per totam Quadragesimam quando Missa canitur de jejunio, in nostra Ecclesia hora nona, semper cum Diacono, & Subdiacono consuevit celebrari. In Dominicis diebus, sicut aliis temporibus, majorem Missam hora tertia celebramus, & Diaconi, & Subdiaconi induuntur Planetis. In diebus ferialibus tantum Camicis albis, & Diaconus habet Stolam super sinistrum humerum, & Manipulum in manu sinistra, Subdiaconus vero habet tantum Manipulum in læva. Quando autem in Quadragesima facimus aliqua die majoritatem Officii de aliquo festo, semper in hora Tertia cum Diacono, & Subdiacono indutis Dalmatica, & Tunica major Missa celebratur. In hac vero quarta feria, & in omnibus diebus ferialibus per totam Quadragesimam quandocumque canitur Missa, in hora Nona, semper dicto *Sanctus*, *Sanctus*, Sacrista sonat primum signum ad Vesperas. Dicto *Agnus Dei*, secundum: finita Missa, pulsatur tertium. Post expletam Missam de hora Nona, statim Sacerdos septimanarius incipit Vesperum *Deus in adjutorium*. Antiph. *Non confundetur*. Psalm. *Nisi Dominus*, & cæteri. Capitulum *Derelinquat impius*. Hoc Capitulum, & alia quæ supradicta sunt, dicuntur in ferialibus diebus usque ad Dominicam de Passione. Hymnus *Cœli Deus*. Ad *Magnificat* Antiph. *Thesaurizate*. Deinde *Kyrie eleison III*. *Pater noster*, cum ℣., & Psalm. *Miserere mei*. Oratio quæ in Missa dicitur super populum; & nota quod semper in Quadragesima ad Matutinum, & per horas diei dicitur prima Oratio de die: ad Vesperum autem dicitur Oratio, quæ dicta est in mane ad Mis-

M 2 sam

[a] Cant. I. 3. [b] Ps. CXXI. 1.

ſam ſuper Populum, excepto die Sabbati, & Dominica; tunc enim ſemper dicitur Oratio de Dominica. Poſtmodum Sole jam tendente ad occaſum, pulſatur ad Completorium, & cantatur ſolemniter Completorium ad Populum. Antiph. ſuper Pſalmos *Miſerere*. Pſalm. *Cum invocarem*, & cæteri. Hymnus *Te lucis*. Capitulum *Tu autem in nobis es Domine*. ℞. *In manus tuas Domine*. ℣. *Cuſtodi nos Domine*. Antiph. *Salva nos*. Pſalm. *Nunc dimittis*, & omnia, pro ut conſuevimus per totum annum, non mutamus uſque ad ſecundam feriam Quadrageſimæ.

Qualiter fiat quando Feſtum trium vel novem Lectionum venit in hac quarta feria.
CIII.

SI Feſtum trium Lectionum in hac quarta feria intrantis Quadrageſimæ, vel aliquo die per totam Quadrageſimam venerit, de ipſo faciemus tantum collectam per Antiphonam, & Orationem. In Veſpero, & Matutino, & Miſſa ſimiliter. Oratio de feſto dicetur poſt Orationem de feria. Si autem in hac quarta feria feſtum novem Lectionum occurrerit, in ſequentem feriam differetur. Si tamen feſtum S. Agathæ in hac quarta feria venerit, quia in ſequentem feriam differri non poteſt, propter feſtum Tranſlationis Beati Anſani, quod in Eccleſia noſtra ſolemniter celebratur, tunc eadem quarta feria totum Officium fiet de Feſto, præter ſeptimam, & octavam Lectionem, quæ erit de Homelia ipſius feriæ. In Laudibus poſt Orationem de feſto dicetur Antiphona, & Oratio de feria. Poſtea in mane aliquantum ante horam tertiam dicetur Miſſa cum Diacono, & Subdiacono de Feſto. Deinde in hora Nona, prout conſuevimus, benedicetur Cinis, & cantabitur Miſſa *de jejunio*. Item ſi Feſtum novem Lectionum in toto Quadrageſimali tempore in die Dominico occurrerit, totum Officium Feſti ſecunda feria celebratur, præterquam *in Annuntiatione Sanctæ Mariæ*. Si in ferialibus diebus venerit feſtum novem Lectionum, non mutetur, nec differatur in aliam feriam, ſed hoc modo fiet. Ad Veſperum Capitulum de Feſto. Hymnus, quem Feſtivitas requirit, & Oratio. Ad Matutinum Invitatorium, & totum Officium de Feſto præter Homeliam ferialem, quam in ſeptima, & in octava Lectione legimus, & nonam Lectionem de Feſto, & ℞. cum Organo, de feſtivitate cantamus. Poſtea dicimus *Te Deum laudamus*. Ad Matutinum, Laudes, Antiphonæ, Capitulum, ℣., & Oratio de Feſto: ſecundo loco fit commemoratio de feria per Antiphonam, & Orationem. Prima Miſſa de feria. Secunda cum Diacono induto Dalmatica, & Subdiacono induto Tunica, in hora tertia de Feſto, cum *Gloria in Excelſis Deo* dicetur; & ſciendum eſt, quod ſemper eo die, quo cantatur *Gloria in Excelſis*, in fine Miſſæ debet dici *Ite Miſſa eſt*. Item per totam Quadrageſimam cotidie ſive ſit feſtum, ſive non, pulſatur ad Tertiam, & Sextam, & Nonam, per ſingulas Eccleſias, & horæ diei per intervalla cantantur.

De

De quinta, & sexta Feria, & Sabbato in initio Quadragesima. CIV.

QUinta feria in initio Quadragesimæ ad Matutinum post primam pulsationem dicuntur Psalmi Graduales, deinde Matutinum Sanctę Mariæ tantum usque ad suam Primam. Quo dicto incipitur Matutinum de feria. Invitatorium *Adoremus Dominum*. Hymnus *Nox atra*. Antiph. *Domine Deus*. Psalm *Salvum me fac*, & cæteri. ℣. *Gaudebunt labia mea*. Lectiones de Homelia Evangelii *Cum introisset Jesus*. ℟. de historia Dominicali. In Laudibus ℣. *Fiat Domine Misericordia tua super nos*. Antiph. *Tibi soli*, & cæter. Hymnus *Lux ecce*. ℣. *Repleti sumus*. Ad *Benedictus* Antiph. *Domine, puer meus*. *Kyrie eleison III. Pater noster*. ℣. *Ego dixi Domine*, & cæteri. Psalm. *Miserere mei Deus*. Oratio *Deus, qui culpa*. Ad Primam Hymnus *Jam lucis*. Antiph. *Beati qui ambulant*. Capitulum *Omnis enim*. ℟. *Christe Fili Dei*. ℣. *Exurge Christe*. *Kyrie eleison III. Pater noster*. ℣. *Vivet anima mea*, & cæteri. *Credo in Deum*: (& tunc pulsatur ad Missam Popularem.) ℣. *Et ego ad te Domine*, & cæteri. Psalm. *Miserere*. Oratio *Domine Deus Omnipotens Pater*, & ita *Kyrie eleison*, & ℣. omnibus horis per totam Quadragesimam in diebus ferialibus, & Dominicis, nisi fiat Officium de aliquo festo. Post Primam cantatur Missa popularis. Officium *Dum clamarem*. Oratio *Deus, qui culpa*. Lectio *Ægrotavit Ezechias*. Evangelium *Cum introisset Jesus*. Finita Missa populari, statim dicitur Missa *pro Defunctis*; in qua Missa dicto Evangelio, incipiunt Vigiliæ mortuorum hoc modo. Antiph. *Dirige*. Psalm. *Verba mea*, & cæteri: & istæ Vigiliæ omni die, præterquam in diebus Dominicis, & Festis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ, sive alia die sit festum, sive non, semper in nostra Ecclesia usque ad quintam feriam majoris Hebdomadæ dicuntur in novem Lectionibus. Dictis Vigiliis Mortuorum altiori voce cantatur Prima Sanctæ Mariæ hoc modo: *Deus in adjutorium meum*. Hymnus *Memento salutis auctor*. Antiph. *Quando natus es*. Psalm. *Deus in nomine*, & cæteri = Item ad *Magnificat*. Antiph. *Domine non sum dignus*.

De sexta Feria. CV.

FEria sexta Invitatorium, Hymnus, Antiphona super Nocturno, Psalmi, & ℣. de feria. Lectiones de Homelia ipsius diei. ℟. de Dominicali historia Ad Benedictus Antiph. *Cum facis eleemosynam*. Ad Missam Officium *Audivit Dominus*. Oratio *Inchoata jejunia*. Lectio *Clama, ne cesses*. Evangelium *Audistis, quia dictum est antiquis*. Ad *Magnificat* Antiph. *Tu autem cum oraveris*. Sabbato ad *Benedictus* Antiph. *Tunc invocabis*. Ad Missam repetitur Officium de sexta feria, quoniam secundum quosdam, nondum erat Sabbatum solemni jejunio deputatum. Oratio *Omnipo-*

nipotens sempiterne Deus. Lectio *Si abstuleris de medio*. Evangelium *Cum sero esset factum*; & nota, quod ferialibus diebus cotidie dicimus Vesperas pro Defunctis post Nonam, præterquam in Sabbatis, & Vigiliis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ.

De prima Dominica in Quadragesima. CVI.

HÆc prima Dominica Quadragesimæ nominatur, quia Quadragesima dierum hodie incipit, & in Cœna Domini terminatur, per quos quadraginta dies Pœnitentiales, commemoramus quadraginta annos, quibus Populum Israel ab Ægypto ad patriam rediisse cognovimus. Nam qui sub Pharaone longo tempore servierant in Ægypto per Moysen liberati quadraginta annis eremum transierunt, pastum de Cœlo, potum de saxo durissimo percipientes, & sic pervenerunt ad terram lacte & melle manantem. Mystice nos pro longis temporibus sub Diabolo servimus in hoc Mundo, sed per Christum liberati, cujus corpore pascimur, & sanguine potamur, per observantiam decem mandatorum, & quatuor Evangeliorum, quæ multiplicata quadragenarium faciunt, ad Terram promissionis, idest ad Paradisum, redire debemus, & sicut illi per quadraginta duas mansiones terram post intraverunt, (*a*) & mox celebraverunt Pascha, sic nos post quadraginta duos dies Pascha Domini celebramus, in die quam fecit Dominus, exultantes. Vel hoc jejunium Quadragesima *nominatur*, ut in eo quidquid contra Legem, & Evangelium deliquimus, emendemus. Vel potius quadraginta diebus jejunamus, ut scientiam Legis, & Prophetarum, & maxime Domini Nostri Jesu Christi imitationem, & gratiam mereamur. Jejunavit enim Moyses quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut legem Domini mereretur accipere. Similiter & Helias. (*b*) Dominus noster statim post Baptismum quadraginta diebus jejunans in deserto idem suo firmavit exemplo. (*c*) Cum autem omnis Christi actio nostra sit instructio, quæritur, cur Ecclesia non statim post Epiphaniam sicut Christus suum jejunium inchoavit, sed ante Pascha jejunandum instituit. Respondemus: Quoniam Christi Passioni Resurrectio continuatur, jejunantes rogamus, ut cui per afflictionem Carnis compatimur, cum illo in gloriam resurgamus: & quoniam hoc tempore Filii Israel de Babilonia reversi mox Pascha celebraverunt.

De

(*a*) Quænam fuerint mansiones iste, præ ceteris docet Hieronymus in Opusculo inscripto *Liber exegeticus ad Fabiolam de XLII. Mansionibus Israelitarum in deserto*: in edit. Veron. Epist. LXXVIII. (olim 127.) in quo quidem Libro, seu Epistola habes mansiones has etiam *tropologice* expositas.

(*b*) III. Reg. XIX. 6. 8. Etiam consule quæ tradit Amalarius *de Eccles. Offic.* lib. I. cap. IV. *de Quadragesima*. (*c*) Luc. IV. 1. 2.

Gregorius *de prima Dominica Quadragesima* (a).

A Prima Dominica Quadragesimæ usque in Pascha Domini sex Hebdomadæ computantur, quę sunt dierum quadraginta duorum. Ex quibus, dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, remanent XXXVI, & ut sacer numerus dierum compleatur, quatuor dies antecedentis Hebdomadæ ad supplementum tollantur, ut & rite persolvamus anni decimam, peccata nostra confitendo, nos corrigendo, jejunando, vigilando, orando, eleemosynas dando, carnem nostram decimando, ut ad Sanctum Pascha completa Quadragesima securi pervenire possimus.

De Decima Anni. CVII.

HI autem triginta sex dies, qui remanent in jejunio, sunt decimæ dierum nostrorum, in Anno scilicet CCCLXV. numero decurrentium. Dignum enim fuerat, ut qui de aliis rebus decimas damus, de diebus etiam Deo decimam solveremus. Unde hoc tempus potius *Decimæ* nominari deberet, quam *Quadragesima*. Sed his quatuor dies præcedentes adduntur, ut quidquid ex lascivia quatuor elementorum in quatuor Temporibus Anni, & contra observantiam quatuor Evangeliorum commisimus, horum quatuor dierum jejunio emendemus.

De

(a) Scriptor iste summatim colligit Gregorii monita desumpta ex num. V. Homiliæ XVI. in Evangelia *habita .... Dominica prima in Quadragesima*: quæ monita sic se habent. ,, A præsenti etenim die usque ad Paschalis ,, solemnitatis gaudia sex Hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies qua- ,, draginta duo fiunt. Ex quibus, dum sex dies Dominici ab abstinentia ,, subtrahuntur, non plus in abstinentia quam triginta, & sex dies rema- ,, nent. Dum vero per trecentos, & sexaginta quinque dies Annus du- ,, citur, nos autem per triginta, & sex dies affligimur, quasi anni nostri ,, decimas Deo damus: ut qui nobismetipsis per acceptum annum vixi- ,, mus, auctori nostro nos in ejus decimis per abstinentiam mortificemus. ,, Unde, Fratres Carissimi, sicut offerre in lege jubemini decimas rerum, ,, ita ei offerre contendite & decimas dierum. Unusquisque, in quantum ,, virtus suppetit, carnem maceret, ejusque desideria affligat, concupi- ,, scentias turpes interficiat, ut juxta Pauli vocem hostia viva fiat. Hostia ,, quippe & immolatur, & viva est, quando & ab hac vita homo non de- ,, ficit, & tamen se a carnalibus desideriis occidit. Caro nos læta traxit ,, ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Auctor etenim mortis nostræ, ,, per fructum ligni vetiti, vitæ præcepta transgressus est. Qui ergo a ,, Paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum possumus, per ,, abstinentiam resurgamus. ,, Cur autem hic additur, *& ut Sacer numerus dierum compleatur, quatuor dies antecedentis Hebdomada ad supplementum tollantur*, quæ verba ex Gregorio certe non desumpsit, edoceris ab egregio Thomasino *de jejuniis* disserente [Par. II. cap. 2.]

De Crucibus cooperiendis, & Quadragesima Officiis addiscendis. CVIII.

AB hac die usque ad Parasceven cooperiuntur Cruces (*a*). Sed in nostra Ecclesia nocte præcedente quartam feriam caput jejunii, Cortina ponitur inter Clerum, & Populum. Quod siquidem velamentum a veteri lege creditur esse tractum, secundum quam Velum inter *Sancta*, & *Sancta Sanctorum* suspendebatur, per quod Arca Populo velabatur. Hoc est velum quod dividit inter Corporalia, & Spiritualia, hoc est romphęa, quæ fuit ante januam Paradisi, & in Passione Domini est sublata, vel potius legis litera carnaliter intellecta ab his qui præcesserunt adventum Domini. Unde his diebus vetus legitur Testamentum, in quo littera continetur obscura de Incarnatione, Passione, & Resurrectione Domini, propter cujus velamen (*b*) Judæi non *poterant intendere* in faciem Moysi gloriosam, idest in spiritualem intelligentiam Legis. Hoc velum in Passione Domini scissum est (*c*), & in ejus resurrectione sunt omnia reserata, & aperta. Tunc enim liber clausus septem signaculis (*d*) apertus est, & Christus suis discipulis sensum aperuit Scripturarum. Hac Dominica in Quadragesima, quæ ab antiquis (a tempore scilicet Apostolorum) solemnius cæteris præteritis tribus agebatur, & ea auctoritate usque nunc solemni cursu peragitur, memor fit Clerus jam in hac parte Dei munere eruditus, ut solemnes Hymnos studiose Deo recitet, & Responsoria convenientia tempori, sicut bene distincta, & firme notata sunt, & correcta cantet, ut quod per Spiritum Sanctum ministratum est, & Scripturis Sanctis insertum, in auribus Populi in conspectu Omnipotentis Dei perducat, & Sancti libri, qui secundum ordinem temporis leguntur, plane & distincte, ut a Populo Dei intelligi possint, a Lectoribus proferantur. Quia vero istud tempus Pœnitentiæ solet, & debet ascribi, propter Jejunium, Vigilias, Orationes, Eleemosynas corporales, & spirituales, & alia opera misericordiæ, ideo hac die, & in sequentibus de his, & similibus ad Pœnitentiam pertinentibus copiose legit, & cantat Ecclesia. Unde notandum, quod propter jejunii principium, hac Dominica ordo intercipitur Historiarum. Nam in Septuagesima cantatum fuit, & lectum de Adam. In Sexagesima de Noe, in Quinquagesima de Abraham, in hac prima Quadragesimæ Dominica de fructibus Pœnitentiæ, in secunda de Jacob. In tertia de Joseph, in quarta de Moyse cantabitur, & legetur.

De

(*a*) Ut reliquos Scriptores prætercam, Belethus cap. 85. explicationis Divin. Offic. hęc tradit: *Ornatus denique Altaris versatur in Velamentis, Crucibus, Capsis, Textibus, & Philacteriis . . . . Sed de his, & similibus dicimus omnia illa, quę ad ornatum pertinent, tempore Quadragesima debere abscondi, vel removeri, vel etiam contegi: Nec Crux quoque illo tempore, nisi cooperta in Ecclesia portari debet.* Atque hunc ritum hodieque Cartusienses servant.

[*b*] II. Corinth. III. 7. (*c*) Matth. XXVII. 51. (*d*) Apocal. V. 1. &c.

De Officio primæ Dominicæ in Quadragesima.
CIX.

AD Vesperum in die Sabbati. Capitulum *Hortamur vos*. ℟. *Emendemus in melius*. Hymnus *Aures ad nostras* (a), qui tam in Sabbatis, quàm in Dominicis diebus ad Vesperas usque ad Passionem Domini dicitur ℣. *Angelis suis Deus*. Ad *Magnificat* Antiph. *Jesus autem cum jejunasset*. Oratio *Deus qui Ecclesiam tuam*. Ad Matutinum Invitatorium *Non sit vobis vanum*. Hymnus *Mediæ noctis*, (b) usque ibi ubi dicitur *Occurrunt Sanctæ*, & ibi reincipimus in Matutinis Laudibus. Quem Hymnum usque ad Dominicam Passionis cantamus, in Dominicis diebus cum Organo. In primo Nocturno Antiph. *Advenerunt nobis*. Psalm. *Beatus vir*, & alii usque ad *Domine Deus meus*. Antiph. *Date Eleemosynam*. Psalm. *Deus Deus meus, in te speravi*, & alii usque *Salvum me*. Antiph. *Tempore accepto*. Psalm. *Salvum me*, usque Psalm. *Conserva me*, ℣. *Dicet Domino*. In secundo Nocturno Antiph. *Ecce nunc tempus*. Psalm. *Conserva*. Antiph. *Per arma justitiæ*. Psalm. *Exaudi Deus*. Antiph. *Commendamus*. Psalm. *Diligam te*. ℣. *Ipse liberavit*. In tertio Nocturno *Vivo ego*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Maneant in nobis*. Psalm. *Exaudiat te*. Antiph. *Convertimini*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Scapulis suis*. Hæ Antiph. super Nocturnum cantantur in Ecclesia nostra usque ad Dominicam Passionis. Sex Lectiones leguntur de Sermonibus ad hanc diem pertinentibus. Tres ultimæ de Homelia Beati Gregorii de Evangelio *Ductus est Jesus*. ℟. de historia propria *Ecce nunc tempus*. Ultimum ℟. *Ductus est Jesus*, & hoc idem ℟. ad Processionem cantamus, nam fere in omnibus Dominicis diebus illud ℟. ad Processionem canere consuevimus, quod ultimo loco succinimus ad Matutinum. In Laudibus Antiph. *Cor Mundum*. Psalm. *Miserere mei*, & cætera quæ sequuntur. Capitulum *Hortamur vos*. Hymnus *Occurrunt*. (c) ℣. *Scuto circumdabit*. Ad *Benedictus* Antiph. *Ductus est Jesus*. Oratio *Deus qui Ecclesiam*. Ad Primam Hy-

 mnus

(a) Hymnum hunc habes inter Hymnos a Cassandro collectos pag. 215. Rursus pag. 361. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii.

(b) Hymnum hunc qui Ambrosio tribuitur, habes pag. 404. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii.

(c) Hæc est portio Hymni, qui incipit *Mediæ noctis*, quemque modo allegavimus: nam Strophe VIII. hæc ipsa habentur *Occurunt Sanctæ Virgines*. Additur vero in Processionali Senensi postrema Strophe, quam cum integro Hymno exscripsit, & ad me misit Vir solertissimus, meique studiosissimus Abbas Joseph Ciaccheri; & hæc est

Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Una cum Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.

mnus *Jam lucis*, in tono supradicto. Antiph. *Vivo ego*. Psalm. *Deus Deus meus, respice*, & cæteri. Ad Missam Officium *Invocabis*. Oratio *Deus, qui Ecclesiam*. Epistola *Hortamur vos*. Graduale *Angelis suis*. Tractus *Qui habitat*. Evangelium *Ductus est Jesus*.

De Majori Missa. CX.

POst Processionem in ingressu Ecclesiæ canitur *Gloria*. Deinde ad majorem Missam Diaconus, & Subdiaconus induunt Planetas, & ad legendam Epistolam eam exuit Subdiaconus, & eâ lectâ ipsam reinduit, & tenet usque ad finem Missæ. Diaconus ad Evangelium plicat eam, ut supra diximus in Septuagesima, & in prima Dominica de Adventu. Ad Tertiam Hymnus *Nunc sancte*. Antiph. *Date Eleemosynam*. ℟. *Participem*. ℣. *Dicet Domino*. Ad Sextam Antiph. *Per arma*. ℟. *Ab omni via mala*. ℣. *Ipse liberavit*. Ad Nonam Antiph. *Commendamus*. ℟. *Septies in die*. ℣. *Scapulis*. Hæc ℟. omni die dicuntur ad horas tantum per quindecim dies. ℣. autem, & Antiph. non mutantur aliqua die in aliquibus horis usque ad Dominicam Passionis. Ad Vesperum Antiph. super Psalmos *Sede a dextris*, & cæteræ, ut supra posuimus in Dominica de Septuagesima. Capitulum *Hortamur*. Hymnus *Aures ad nostras*, qui usque ad Dominicam Passionis in Dominicis ad Vesperum cantatur cum Organo. ℣. *Angelis*. Ad *Magnificat* Antiph. *Non in solo pane*. Postmodum, cum Fratres a Cœna surrexerunt omnes dicendo Psalm. *Miserere*, vadunt in Ecclesiam intra Chorum ad sedes: & ibi finita Oratione Sacrista incipit sonare ad Completorium jam Sole tendente ad occasum, & statim Sacerdos incipit Completorium: quod solemniter, & distincte cantatur. Hymnus *Te lucis ante*. Ad *Nunc dimittis* Antiph. *Salva nos*. Sero competenti hora, pulsato signo in Capitulo Fratres conveniunt, & redeuntes in Ecclesiam dicunt *Pater noster*, & in Ecclesia facta confessione dicunt Completorium S. Mariæ, & sic unusquisque cum silentio vadit dormitum. Hanc consuetudinem in dicendis Completoriis per totam Quadragesimam in diebus Dominicis conservamus.

De Ferialibus diebus in Quadragesima usque Dominicam Passionis. CXI.

IN Ferialibus diebus usque ad Dominicam Passionis ad Matutinum cantatur Invitatorium de feria, ut in aliis temporibus. Hymnus *Ex more docti*. In Nocturno Antiphona, & Psalmus de feria, & Lectiones de Homelia diei, & ℟. de Dominicali historia. ℣. *Dicet Domino*. In Nocturno secundæ feriæ. ℣. *Dicet Domino*. Tertia Feria ℣. *Ipse liberavit*. Feria quarta ℣. *Scapulis*. In Laudibus Antiphona, & Psalmus de Feria. Hymnus *Dicamus omnes cernui*. (a) Capitula vero dicuntur per singulas ho-

(a) Est portio Hymni *Ex more docti &c.*

horas, ut supra posuimus in quarta feria. Ad *Benedictus* Antiph. de Evangelio ipsius diei, & Oratio similiter de die. Ad Primam Antiph *Vivo ego*. Post ℟. *Christe Fili* prosternentibus se Fratribus, & Populo secunda, quarta, & sexta Feria, nisi fuerit festum novem Lectionum, facimus Litanias Sanctorum, Populo dicente usque ad *Propitius*, & non plus. Finitis Litaniis statim pulsatur ad Missam, & finita Prima incipitur Officium ad Missam Matutinalem; & est notandum quod in Missa Populari tres, aut quinque, aut septem ad plus sufficiunt Orationes, & maxime in Quadragesima, ne, si plures fuerint, tædium generent audientibus; gaudet enim semper Populus brevitate, & dicantur hoc ordine. Prima Oratio de *Feria*. Secunda de *Sancto Spiritu*, scilicet *Deus cui omne cor patet*; vel *Deus qui charitatis Do:* vel *Ure igne*. Tertia de *Sancta Maria*. Quarta Pro *peccatis*: scilicet: *Deus qui justificas impium*: vel *Exaudi quæsumus Domine supplicum preces*, vel *Ineffabilem Misericordiam*. Quinta *Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine preces*: vel *Pietate tua quæsumus Domine omnium nostrorum solve vincula delictorum*, quæ Oratio in Quadragesima præcipue dici consuevit in Ecclesia nostra, peregrinæ autem Orationes, & extraneæ non sunt ad Populum dicendæ. Cum vero privatim Missa dicitur, potest Sacerdos dicere quot, & quales vult Orationes. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam dicuntur Antiphona ℟., & ℣. ut supra in Dominica posuimus. Ad Vesperum, Antiphona, & Psalmus de Feria. Hymnus *Audi Benigne*. Ad Magnificat Antiphona de Evangelio ipsius diei, & Oratio de die. Ad Completorium Antiph. *Miserere*. Psalm. *Cum invocarem*, & cæteri. Hymnus *Te lucis*. Ad *Nunc dimittis* Antiph. *Salva nos*, vel Antiph *Vigilemus*; sed secunda, & quarta feria, & sexta cantamus Hymnum *Christe qui lux es* (a) cum Organo, & ad *Nunc dimittis*. Antiph. *Exaudi nos Domine* similiter Organamus. A media vero Quadragesima usque ad Passionem hæc Antiph. *Media vita* illis tribus diebus in Hebdomada, ad *Nunc dimittis* cum Organo cantatur. Hanc consuetudinem in ferialibus diebus nostra tenet Ecclesia usque ad Dominicam Dominicæ Passionis, & cotidie usque in Cœnam Domini semper post Completorium hora congrua pulsato signo in Capitulo, & dicto *Jube Domine benedicere*, cum lecta fuerit lectio, & dicto Versiculo *Adjutorium nostrum in nomine Domini &c.* vadunt in Ecclesiam dicendo *Pater noster*, & postea facta confessione dicitur Completorium *Sancta Maria*.

(a) Cassander hunc Hymnum exhibet pag. 185. *Item ad Completorium potissimum per Quadragesimam*. Eum pariter tibi exhibet pagina 423. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii. Quem Hymnum, seu potius rythmum si qui ad *legem carminis*, a Jacobo Mejero redactum legere velit, modo allegatum Cassandrum consulat (Ibi). O *Christe qui lux es, & dies*.

De ſecunda, & tertia Feria in prima Hebdomada Quadrageſima. CXII.

FEria ſecunda primæ Hebdomadæ Quadrageſimæ ad Benedictus Antiph. *Venite benedicti*. Ad Miſſam Officium *Sicut oculi*. Oratio *Converte nos Deus*. Lectio *Ecce ego ipſe requiram*. Evangelium *Cum venerit Filius hominis in majeſtate*. Notandum autem quod hac die in Matutinali Miſſa, quæ Populo cantatur, Presbyter admonet Populum dicto *Agnus Dei*, ut poſt illam Miſſam remaneat in Eccleſia ad Pſalmos, & Litanias audiendas. Finita vero Miſſa ſtatim præcipiente Sacerdote, Populus proſternitur, & tunc Sacerdos incipiens dicit. *Deus in adjutorium meum intende*. Antiph. *Ne reminiſcaris*, & Fratres in Choro proſtrati dicunt ſeptem Pſalmos Pœnitentiales. Quibus finitis, ſeptimanarius altiori voce cantat Litanias, & poſt ipſas, idem dicit Orationes pœnitentibus convenientes: ſcilicet *Deus, cui proprium eſt miſereri. Domine Deus noſter qui offenſione. Deus, cujus Indulgentiam. Deus ſub cujus Oculis. Deus infinitæ Miſericordiæ. Deus qui omnium Confitentium. Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces*. His expletis, fit confeſſio Populo. Deinde dicitur Miſſa Mortuorum. Ad Magnificat Antiph. *Quod uni ex minimis*. Feria tertia ad Benedictus Antiph. *Domus mea*. Ad Miſſam Officium *Domine refugium*. Oratio *Reſpice Domine, quæſumus*. Lectio *Quærite Dominum*. Evangelium *Cum introiſſet Jeſus Jeroſolymam*. Ad Magnificat Antiph. *Scriptum eſt enim, quia Domus*.

Quod jejunia, & Ordinationes in prima Hebdomada Quadrageſima fiant. CXIII.

COnſtituimus, & præſenti auctoritate firmamus, ut jejunium, quod dicitur Martii, in prima Hebdomada Quadrageſimæ omni anno celebretur, ſicut & Sancti Patres illud inſtituiſſe leguntur. Nam S. Gregorius Papa primus, tam in Sacramentario quàm in Graduali libro, ſive Antiphonario, Officia ejuſdem jejunii primæ Hebdomadæ Quadrageſimali aſcripſit, Jejunio autem Quadrageſimalis initii bene ordinatio ſacri ordinis competit: ſiquidem poſt Baptiſmum Chriſtus Spiritu Sancto ductus ad jejunandum, poſtea Apoſtolos ſuos ad Sacrum Ordinem elegit, ſicut Apoſtoli Spiritu baptizati, poſt jejunium Diconos conſecrandos elegerunt. Moyſes quoque poſt deſcenſionem Spiritus in igne ſecum loquentis, quinquageſimo die egreſſionis, primo Pentecoſte, poſt jejunium, Aaron cum filiis conſecrandum elegit.

De quarta, sexta Feria, & Sabbato jejunii quatuor Temporum in Quadragesima (a). CXIV.

FEria quarta ad Benedictus Antiph. *Generatio hæc*. Ad Missam Officium *Reminiscere*. Oratio *Preces nostras*. Prima Oratio in Missa dicitur sine *Dominus vobiscum*, sed dicitur tantum *Oremus*. *Flectamus genua*. Post Orationem legitur Prophetia *Dixit Dominus ad Moysen*. Graduale *Tribulationes*. Postea dicitur *Dominus vobiscum* more solito, & non dicitur *Flectamus genua*. Oratio *Devotionem populi*. Lectio *Venit Helias*. Tractus *De necessitatibus*. Evangelium *Accesserunt ad Jesum*. Ad Vesperum, ad Magnificat Antiph. *Sicut fuit Jonas*. Feria quinta ad Benedictus Antiph. *Si vos manseritis*. Ad Missam Officium *Confessio, & pulchritudo*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus qui nobis*. Lectio (b) *Quid est quod inter vos*. Evangelium *Si vos manseritis*: & nota quod quintæ feriæ in Quadragesima olim propria non habebant Officia; sed a Dominicis æstivalibus inofficiabantur, non enim jejunabant homines quinta feria in Quadragesima, sed ut in Dominicis solemnizabant. (c) Postmodum a Gregorio Juniore fuerunt inofficiatæ, & adjunctæ Quadragesimali jejunio. Inde est quod varietas Epistolarum, & Evangeliorum in quintis feriis reperitur. Feria sexta ad Benedictus Antiph. *Angelus Domini*. Ad Missam Officium *De necessitatibus*. Oratio. *Esto Domine*. Lectio *Anima, quæ peccave-*

---

[a] De Jejunio quatuor temporum (quod alibi monui) agunt Thomas. (de jejun.) Par. I. cap. 21., & Par. II. cap. 18, & Murator. Tom. II. Anecdot. *de quatuor Temp. jejun.* pag. 246., & seqq. Eos consule.

[b] Missalia nostra nunc sic habent: *In diebus illis factus est sermo Domini ad me, dicens quid est quod inter vos*.

[c] De hoc argumento copiose, & erudite differit Thomasinus (*de jejun.* Par. I. cap. VII. n. 8., & copiosius Parte II. cap. IV. n. 4.) Eum consule. Nobilis sane est Anastasii Bibliothecarii de Gregorio II. agentis locus: hic nempe: *Hic Quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit*. De quo quidem Anastasii loco cum alii non pauci disputent, unum tibi indico quem consulas opto, Masejum scilicet ad sectionem 182. Anastasii pag. 179. Tomi IV. Anastasii editionis Romanæ Salvioni an. 1735. Micrologus sane hæc tradit cap. 50. *Melchiades Papa a B. Petro XXXIII. constituit, ut nullus in Dominica, nec in quinta feria jejunaret. Unde S. Gregorius in dispositione Officii quintam feriam infra Quadragesimam vacantem dimisit, ut quia festiva erat, sicut Dominica, etiam Officio Dominicali honoraretur. Sed quia eadem feria jejuniis postmodum applicata est, ut reliqua, Gregorius junior statuit esse solemnem, Officiis undecunque collectis*: Gregorium tamen primum jejunii expertes minime voluisse ferias quintas Quadragesimæ is assequetur qui antea allegata Gregorii Magni verba Homelia XVI. *in Evangelia* consulat.

caverit. Evangelium *Erat dies festus*. Ad Magnificat Antiph. *Qui me sanum fecit*.

De Officio Missæ in Sabbato de Jejunii quatuor Temporum. CXV.

Sabbato ad Benedictus Antiph. *Assumpsit Jesus*. Ad Missam Officium *Intret*. Prima Oratio *Populum*, & sequitur sexta Oratio, & in nulla Oratione ad Missam *Dominus vobiscum* dicitur, sed tantum *flectamus genua*, excepta Oratione *Deus qui tribus pueris*, ad quam dicitur *Dominus vobiscum*, & non *flectamus genua*. Finita quinta Prophetia. Cantor cum uno sive. - - - - - - -

HIC FOLIUM INTEGRUM IN NOSTRO CODICE DEEST, QUOD SUPPLERE OMNINO NON POSSUMUS.

Sequitur porro: - - - - - - - - - - - - pro *Scrutinio faciendo*. Clero autem proponatur his verbis: (a) *Scrutinii diem dilectissimi Fratres imminere cognoscite, quo electi nostri divinitus instruantur. Ideoque sollicita devotione sequenti secunda feria, & aliis certis diebus, donec septem Scrutinia compleantur, taliter convenire dignemini, ut cæleste Mysterium quo Diabolus cum sua pompa destruitur, & janua Regni Cælestis aperitur, inculpabili ministerio peragere valeamus*. Item ad Tertiam Antiph. *Date eleemosynam*. ℟. *Bonum mihi Domine*. ℣. *Manus tuæ*. ℣. *Dicet Domino*. Ad Sextam Antiph. *Per arma*. ℟. *Servus tuus*. ℣. *Ut discam*. ℣. *Ipse liberavit*. Ad Nonam Antiph. *Commendemus*. ℟. *Declara*. ℣. *Declaratio*. ℣. *Scapulis*: & nota quod hæc ℟. cum ℣. omni die dicuntur ad horas usque ad Dominicam Passionis. Ad Magnificat Antiph. *Extollens quædam*.

De

(a) De Scrutiniis baptizandorum electionem præcedentibus cum alii non pauci agant, veluti *Ordo Romanus*, aliique Veteres, agit in primis Joseph Vicomes *de Antiq. Baptismi ritibus* differens. Consule in primis quæ cap. XXI., & subsequentibus libri III. copiosissime, & erudite tradit: nec pœnitebit ea pervolvere quæ edocemur ab Optimo Martene (lib I. cap. I. art. XI. & XII.) ea quoque quæ a Venerab., & Egregio Card. Thomasio traduntur Tom. II. pag. 450. 452. 454. Tom. V. pag. 55. 332. seq. 334. 449. [B] Tom. VI. pag. 29. [1] 32. 34. 37. 176., & alibi etiam. Illud habet commodi Ordo noster, ut ex eo edoceamur, diutissime perstitisse eum, de quo agimus, ritum, cujus testificandi luculentum præbet idem Ordo argumentum.

De secunda Hebdomada Quadragesima. CXVI.

FEria secunda ad Benedictus Antiph. *Amen dico vobis*. Ad Missam Officium *In Deo laudabo*. Oratio *Cordibus nostris*. Lectio *Naaman princeps:* Evangelium *Dixerunt Pharisæi ad Jesum*, *quanta audivimus*. Ad Magnificat Antiph. *Jesus autem transiens*. Feria tertia ad Benedictus Antiph. *Ubi duo vel tres*. Ad Missam Officium *Ego clamavi*. Oratio *Exaudi nos*. Lectio *Mulier quædam*. Evangelium *Si peccaverit in te*. Ad Magnificat Antiph *Non dico tibi Petre*. Feria quarta ad Benedictus Antiph. *Audite*, *& intelligite*. Ad Missam Officium. *Ego autem in Domino*. Oratio *Præsta nobis quæsumus*. Lectio *Honora Patrem*. Evangelium *Accesserunt ad Jesum*. Ad Magnificat Antiph. *Non Lotis manibus*. Item ad Completorium, ad *Nunc dimittis* Antiph. *Media vita*. Feria quinta ad Benedictus Antiph. *Operamini*, *non cibum*. Ad Missam Officium *Salus Populi*. Oratio *Da quæsumus Domine Rex*. Alia Oratio ibidem posita, quæ ad stationem Romæ dicitur, in festo Sanctorum Cosmæ, & Damiani reservatur. Lectio *Sta in porta Domus (a)*. Evangelium *(b) Operamini*, *non cibum*. Ad Magnificat Antiph. *Non Moyses dedit vobis panem*. Feria sexta ad Matutinum ℟. III. *Fratres Joseph* cum Organo. Ad Benedictus Antiph. *Aquam*, *quam ego dedero*. Ad Missam Officium *Fac mecum*. Oratio *Jejunia nostra*. Lectio *Convenerunt Filii Israel*. Evangelium *Jesus fatigatus ex itinere*. Ad Magnificat Antiph. *Domine*, *ut video*. Sabbato ad Benedictus Antiph. *Inclinavit se Jesus*. Ad Missam Officium *Verba mea*. Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus*, *ut qui te*. Lectio *Erat vir in Babilone*. Evangelium *Perrexit Jesus in Montem Oliveti*.

De Scrutiniis. CXVII.

IN hac tertia Hebdomada Quadragesimæ Senensis Ecclesia incipit facere Scrutinia, licet in quibusdam aliis Ecclesiis tantum in quarta Hebdomada, & feria quarta, a qua Missæ Officium sumitur, inchoentur, & hæc secundum Concilium Bracarense, in quo dicitur. *Hoc omnibus modis præcipimus*, *& antiqui Canones jubent*, *ut ante Baptismum XX. dies ad Purgationem exorcismi Cathecumeni veniant*, *& in illis diebus juxta Canonum præcepta erudiantur*, *& scrutentur (c)*.

Quan-

(a) Jer. 1. 2. &c. cap VII. hodieque ead. lectione utimur. *Factum est: sta in porta*.
(b) Jo. VI. 27. Vide Durand VI. 50. 2.
(c) Bracarense III. an. 572. celebratum quod Vicecomes *secundum* appellat, cap. I. hæc tradit Tom. VI. Concil. Albrit. pag. 578. „ *Placuit omnibus Episcopis* „

Quando, & quoties fiant Scrutinia, & unde dicantur. CXVIII.

IN hac igitur tertia Hebdomada tria Scrutinia celebrantur, scilicet secunda, tertia Feria, & Sabbato. In quarta Hebdomada similiter tria, & in eisdem diebus in quinta Hebdomada fit unum tantum Scrutinium, quod *Symbolum* appellatur; ea enim die agitur Scrutinium, quod maximum est inter septem Scrutinia. Eadem die tanguntur aures, & nares Catechumenorum digitis Presbyterorum. Eadem die instituuntur de auctoritatibus, & initiis quatuor Evangeliorum. Eadem die percipiunt *Symbolum*, & *Orationem Dominicam* ad reddendum in Sabbato Sancto. Unde (a) Augustinus in Libro *de Fide*, & *Moribus* = *Baptizandis Symbolum tradimus*, & *reddendum deposcemus*. Et est notandum quod tantum septies Scrutinia celebrantur, ut dum septenario numero implentur catechumeni, detur illis septiformis gratia Spiritus Sancti. Dicuntur autem Scrutinia a scrutando, quia in catechumenis (idest noviter instructis) scrutanda est fides Christiana, & catechizandi sunt, idest instruendi ad Fidei regulam audiendam, ut in sacrosancta solemnitate nostræ Redemptionis, ex aqua & Spiritu renoventur.

De

„ *pis, atque convenit, ut per singulas Ecclesias Episcopi, & Diœceses ambulantes, primum discutiant Clericos, quomodo ordinem baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quacunque Officia in Ecclesia peragant, & si recte quidem invenerint, Deo gratias agant, sin autem minimè docere debent ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, sicut antiqui canones jubent, ut ante dies viginti baptismi, ad purgationem exorcismi concurrant catbecumeni.* Et cap. 9. *præcipiant Quadragesima servare jejunia, & mediante Quadragesima ex viginti diebus baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre*, nihil est enim aliud, *ad purgationem exorcismi concurrere*, vel *offerri*, quam, ut sponsionis baptismalis rationem reddant, Scrutiniis subjici.„ Tanto autem Canon iste in honore habitus est, ut is a Burcardo, ab Ivone, & Gratiano allegatus sit, in iis scilicet locis, quæ indicantur ad marginem hujusce Canonis in Conciliorum collectione modo citata.

[a] Librum *de Fide*, & *Moribus* inter Augustinianos non invenimus. An liber *de Fide*, & *Operibus*, in quo multa de Symbolo traduntur, hic indicatur? An *Sermo ad Catechumenos*? (pag. 547. tom. VI. editionis PP. S. Mauri) Utcumque sit, sane in ipso Sermonis, quem modo allegavimus, exordio his verbis Augustinus Cathechumenos alloquitur: *hoc enim est Symbolum, quod recensuri estis, & reddituri. Ista verba, quæ audistis per Divinas Scripturas sparsa sunt: sed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit.*

Quod duo ſunt tempora ſolemnis Baptiſmi. CXIX.

MOris fuit olim in Eccleſia non alio tempore regenerationis noſtræ celebrari Sacramentum, niſi mortis periculum immineret. Unde Leo Papa: *duo tempora, ideſt Paſcha, & Pentecoſten ad Baptizandum a Romano Pontifice legitima ſunt præfixa* (a) & cæter. Et infra. (b) *Illud eſt* [Paſchæ] *tempus electum, in quo per ſimilitudinem, formamque Myſterii ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipſo ſunt capite geſta* (c), *videntur congruere, dum in Baptiſmatis regula, & mors intervenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur* (d) *triduana demerſio, & ab aquis elevatio reſurgentis inſtar eſt de Sepulchro. In* (e) *Pentecoſten quia tunc temporis Beatus Petrus omnem credentium numerum, quos Sancti Spiritus replevit Adventus, ſua prædicatione converſos lavacro Baptiſmatis conſecravit.* Quamvis autem ad (f) Baptiſmum ſolemniter faciendum hæc duo tempora fuiſſent ſpecialiter inſtituta, quia tamen periculoſum erat omnem Eccleſiæ multitudinem, quæ per anni circulum generabatur, tantum differri, propter occaſiones mortis, præſertim propter Infantes, quorum tenera vita levi occaſione ſucciditur, viſum eſt expedire cuncta prævenire pericula omnibus indulta licentia Baptizandi, ſolemnitate tantum in ſupradictis temporibus propter dictam ſimilitudinem reſervata (g).

O De

(a) Recole quæ ex Epiſtolis Leonis *ad Univerſos Epiſcopos per Siciliam* inſtitutos, & univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos cap. LXXIII. [annot. *d*] allegavimus.

[b] Cap. III. Epiſ. *ad Univerſ. Epiſcopos in Sicilia* conſtitutos olim IV. nunc XVI.

(c) Edit. Queinel. *Congruerent.* (d) Trina.

[e] Verba Leonis in editione Queſnellii ſunt ſubſequentia: [cap. IV.] *Hoc autem nos, non ex noſtra perſuaſione defendere, ſed ex Apoſtolica autoritate ſervare, ſatis idoneo probamus exemplo, ſequentes Beatum Apoſtolum Petrum, qui in ipſo die, quo omnem credentium numerum promiſſus Spiritus Sancti replevit adventus, trium millium populum ſua prædicatione converſum, lavacro Baptiſmatis conſecravit. Quod Sancta Scriptura, quæ Apoſtolorum actus continet, fideli hiſtoria docet dicens:* [Actor. II. 27.] his auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt &c.

(f) Subſequentia ſunt in ſumma ea quæ deinceps docet S. Leo cap. V. allegatæ Epiſtolæ.

(g) Quod ad tempus attinet, quo ſolemniter baptiſma adminiſtratum eſt in Eccleſiis, præter ea quæ docet Leo M. & ii, qui probabiles, doctaſque adnotationes illius monitis appoſuere, etiam conſulat Lector, volo, ea quæ egregius Joſeph Vicecomes tradit cap. 19. 20. 21. 22. 23. libri I. *de Antiquis Baptiſmi ritibus*, nec pœnitebit ea legiſſe quæ eximius Mabillon *de Gallicana Liturgia* diſſerens tradit lib. II. pag. 142. §. incipiente ad hunc modum: *poſtea in prædicto Miſſali .... Baptiſmi ſolemne tempus erat in Vigiliis Paſchæ, & Pentecoſtes.* Celebre eſt ſane Decretum

Qualiter in Senensi Ecclesia Scrutinia fiant. CXX.

HOc autem ordine Scrutinia celebrantur. In secunda Feria tertiæ Hebdomadæ in Quadragesima post sextam horam pulsatur major Campana per magnam moram, & tunc omnes Infantes de Massa nostræ Plebis adportantur ad Episcopalem Ecclesiam, & cum pulsatum fuerit ad Nonam, omnes Clerici de tota Civitate conveniunt pro scrutinio faciendo: & tunc Canonici postquam Nonam, & Vesperas cantaverint, vadunt cænatum. Plebanus autem cum Clericis ante januas Ecclesiæ facit scribi nomina Infantum paganorum, separatim masculorum, & fœminarum. Postea immittuntur in Ecclesiam, & dicitur eis ab Acholito, ut recedant Cathecumini, & ipsi exeunt, & statim in Ecclesiam per nomina revocantur, & statuuntur Masculi ad dexteram, & Fœminæ ad sinistram, & tunc incipitur Officium ad Missam. *Dum sanctificatus*. Oratio *Da quæsumus, Deus electis*. Dicta Oratione, duo Sacerdotes ascendunt Pulpita, unus ad dexterum, & alius ad sinistrum, & unus dicit Orationem super Masculos, & alius super Fœminas, & uterque dicit illas tribus vicibus, & quotiens incipiunt eas, Diaconus dicit *Orate electi*. *Flectite genua*, & cætera, ut est in Sacramentario. Interim vero alii Sacerdotes exsufflant Paganos mares, & fœminas, & signant in frontibus, & hoc faciunt per singulos tribus vicibus. Dictis Orationibus, & factis exsufflationibus, & signis, ut continetur in Sacramentali, legitur Prophetia *Sanctificabo nomen*. Graduale *Venite Filii* Deinde de alia Prophetia *Lavamini, mundi*. Graduale *Beata Gens*. Evangelium *Confiteor tibi*. Expleta Missa, denuntiat Sacerdos quando redire debeant. Feria quarta eodem modo fiunt Scrutinia: Ad Missam idem Officium. Oratio *Omnipotens sempiterne*. Prophetia, & Graduale non mutantur. Evangelium *Oblati sunt parvuli*. Sabbato idem Officium. Ad Missam Oratio *Concede electis*, Prophetia, & Graduale, ut supra. Evangelium *Offerebant*. Cætera non mutantur. In Sabbato Symboli ad Missam, Officium, Oratio, & Scrutinia, Prophetiæ, & Graduale ut supra. Deinde veniunt ad Altare Beati Savini quatuor Diaconi, singuli cum libris Evangeliorum super caput, habentes candelas accensas in manibus, & singuli ordinate stant ad singula cornua Altaris, & tunc incipiunt cantare Officium *Sitientes venite*. Postea Sacerdos legit *Aperituri vobis*, & cætera Deinde Diaconus annuntians *State cum silentio*, & cætera Legit Evangelium *Liber generationis*. Et eo lecto, adhuc idem dicit *State cum silentio*, & Sacerdos legit quod sequitur. Deinde alius Diaconus eodem modo legit Evangelium secundum Marcum *Ecce mitto Angelum*: Postea Sacerdos

---

tum VII. Concilii Wintoniensis anno 1076. celebrati (col. 504. Tomi XII. Concil. Labbe edentibus Albritio, & Coleto): *de Baptismate quod in Pascha, & Pentecoste solummodo celebretur, nisi periculum mortis fuerit*. Vide etiam Opus inscrip. *Gemma Animæ* lib. III. cap. 116.

cerdos legit quod sequitur. Deinde alius Diaconus legit Evangelium secundum Lucam *Fuit in diebus Herodis*. Quartus Diaconus legit Evangelium secundum Joannem *In principio erat*. Eo lecto idem Diaconus *State cum silentio*, & Sacerdos legit quod sequitur. Postea Acholitus accipiens ex infantibus unum Masculum, tenet eum in sinistro brachio, & Sacerdos quærit, *Qua lingua* & cætera, & legit Symbolum Latinum. Postea suscipit fœminam similiter, & Sacerdos legit Grçcum, & quidquid sequitur. Lecto Simbolo, & *Pater noster*, & alia, sicut continetur in Sacramentali, legit Sacerdos Evangelium *Offerebant*, ut supra in aliis Sabbatis. Deinde finit Missam more consueto.

De Mysterio Scrutiniorum. CXXI.

Illud quod circa baptizandos in universo Mundo Sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius vitæ fontem adeant, quàm exorcismis, & exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abiiciatur, ut tunc vere appareat quomodo Princeps hujus Mundi mittitur foras. [a] Mystice autem intelligitur quidquid circa baptizandos agitur, nam ad Januam veniunt, per fidem petunt; fides enim est Janua Ecclesiæ. Eorum nomina scribuntur in Cœlis, & viriliter agentes in Judicio statuentur a dextris, effeminate vero viventes a sinistris. Dehinc Diabolus exsufflatur ab eis, cum in aperitionem aurium dicitur *Epheta*, ut Sancti Spiritus habitaculum efficiantur. Frontibus eorum signum Crucis imprimitur pro sigillo, ut Domus Dei contra Dçmones muniatur; seorsum mares ad Austrum, seorsum fœminæ ad Aquilonem exorcizantur, quia majora magis intelligentibus, & minora minus capientibus, & frigidis sunt propinanda. Ab ostiario introducuntur, & excluduntur, quia per Christum ostium a Spiritu Sancto in Cœli palatium introducentur. Leguntur autem ad Missam ipsorum duæ Lectiones, quatenus Catechumini ad operationem geminæ dilectionis, & ad doctrinam utriusque Testamenti, vel de Fide, & Moribus sunt instruendi. Unde in prima Lectione de Fide, in secunda de Moribus agitur. De quo & Beatus Augustinus ait: *Sancta quippe Ecclesia cotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam Sacerdotes eis, cum per exorcismi gratiam manum cathecuminis imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi quod Dçmonia eiiciunt?* In ultimo autem die leguntur Infantibus quatuor Evangeliorum initia, quia de quatuor Mundi partibus ad Fidei veniunt Sacramenta, ut percipiant Evangelicam Doctrinam. Quod unus de Masculis, & una de Fœminis in Sanctuarium deferuntur, significat quod de utroque sexu ad Fidem Evangelicam convertantur. Symbolum Apostolorum, & Oratio Dominica super eos dicuntur, & exponuntur Græca, & Latina lingua, ut om-

(a) Joan. XII. 31.

omnis lingua Domino confiteatur. Symbolum autem dicitur quod simul omnium bolus, idest comunis morsus (a), eo quod XII Articuli quasi fercula ab Apostolis conferantur. Post Evangelium Neophyti ejiciuntur de Ecclesia, quia cum non sint regenerati, nec eos convenit Christi Mysteriis, aut Sacrificiis interesse, tum quia Sacerdos tantum pro circumstantibus orat, quorum fides est cognita, tum quia quod conficitur, illis specialiter erogatur.

De quarta Dominica. CXXII.

(b) SIcut per septuaginta dies, ut supra diximus, memorat Ecclesia septuaginta annos Babylonicæ Captivitatis, sic etiam per septem Dominicas. Nam cum in prima Dominica, scilicet de Septuagesima, quæ est septima ab ista, Populus captivatus super Flumina Babylonis fleverit dicens *Circumdederunt*, in secunda oraverit dicens *Exurge Domine*, in tertia quoque oraverit dicens *Esto mihi*, in quarta consolationem acceperit dicente Domino *Invocabis me*, in quinta rursus Orationi instans dixerit *Reminiscere*, in sexta Dario licentiam tribuente, consolationem de reversione perceperit dicens *Oculi mei*, in hac septima tanquam in fine septuagesimæ Hierusalem ingrediens, gratulabundus exultat dicens *Lætare Hierusalem*. (c) Vel per istas septem Dominicas repræsentat Ecclesia septem ætates, quibus Mundus ipse distinguitur Prima ætas ab Adam usque Noe. Secunda a Noe usque Abraham, vel secundum quosdam usque Moysen. Tertia a Moyse usque David. Quarta a David usque transmigrationem Babylonis. Quinta a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Sexta usque ad finem sæculi. Septima similiter usque ad eundem finem. Simul enim hæc ætas cucurrit cum aliis ætatibus, & curret, sed illæ in vigilantibus, & laborantibus, ista in dormientibus, & quiescentibus, in qua requiescunt electorum animæ inter ubera lactantis Matris suæ supernæ Hierusalem. Hæc autem septima, & ultima Dominica Sabbata significat Mundi, in quo Sanctorum Animæ requiescent deposito carnis *onere*, velut post bella victrices depositis armis feriate lætantur. Illic Hierusalem (d) *quæ sursum est, quæ libera est, quæ est mater nostra*, lætatur, & diem festum gerens, pro numero filiorum de peregrinatione redeuntium repositas fundit epulas, & delitias exprimit maternæ consolationis. Unde quidquid hodie canitur de liberatione Populi de Ægypto, de liberatione animæ a corpore mortis hujus, totum est de lætitia, & satietate Hierusalem Cœlestis. Ipsa quoque Ecclesia, ad quam Statio hodierna Romæ præfigitur, quę dicitur *Hierusalem Sancta*, suo nomine *Hierusa-*

(a) Nostris temporibus pauci etymologiam hanc excipient, eum quisque noverit Symbolum idem esse ac *signum*, *indicium*, *notam*.

(b) Consule, obsecro, quæ tradit Durandus VI. 53. & eum iis compara, quæ hic leguntur, conspiciesque ab uno fonte utraque fuisse deducta.

(c) Hæc quoque docemur a Durando VI. 53. 5. (d) Gal. IV. 27.

rusalem Cœlestem designat, ut hic peregrinantibus illius supernæ Civitatis memoriam excitet, & eam peregrini quasi a longe salutent. Hac die Christianus Imperator coronatur, ut supernæ Hierusalem coronam meditetur: (*a*) hac die Romanus Pontifex auream Rosam propriis gestat manibus, non gratia temporalis delectationis, sed spiritualis significationis. (*b*) Flos enim iste illum significat florem, qui de se loquitur dicens: (*c*) *Ego flos campi, & lilium convallium*. Aureus est, quia Rex regum, & Dominus dominantium, cujus rubor apparuit in insignibus Passionis, & odor in gloria Resurrectionis.

De Officio quartæ Dominicæ in Quadragesima. CXXIII.

SAbbato præcedente quartam Dominicam Quadragesimæ, ad Vesperum, Capitulum *Scriptum est quoniam Abraham*. ℟. *Stetit Moyses*. Hymnus *Aures ad nostras*. ℣. *Angelis*. Ad Magnificat Antiph. *Nemo te condemnavit*. Ad Matutinum Invitatorium *Hodie si vocem*. Hymnus *Mediæ noctis*. Antiph. super Nocturnum *Advenerunt*, & cæter. ut supra. ℣. *Dicet Domino*. Sex Lectiones de Exodo, ab eo loco ubi dicitur. *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ingredere ad Pharaonem*. Tres ultimæ de Homelia Evangelii *Abiit Jesus trans Mare*. ℟. de historia *Locutus est Dominus*. Nonum ℟. *Vos qui transituri*. ℣. *Ipse liberavit*. In Laudibus Antiph. *Tunc acceptabis*, & cætere. Capitulum *Scriptum*. Hymnus *Occurrunt*. ℣. *Scuto circum:* Ad Benedictus Antiph. *Cum sublevasset*. Ad Missam Officium *Lætare Hierusalem*. Oratio *Concede quæsumus*. Epistola *Scriptum est*. Graduale *Lætatus sum*. Tractus *Qui confidunt*. Evangelium *Abiit Jesus*. Ad Processionem ℟. *Vos qui transituri*. Ad Vesperum Capitulum *Scriptum*. Hymnus *Aures*. ℣. *Angelis*. Ad Magnificat Antiph. *De quinque panibus*. Cætera per horas diei, ut in superiori prima Dominica de Quadragesima.

De Ferialibus diebus in quarta Hebdomada Quadragesimæ. CXXIV.

FEria secunda ad Benedictus Antiph. *Solvite Templum hoc*. Ad Missam Officium *Deus in nomine*. Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut observationes*. Lectio *Venerunt duæ mulieres*. Evangelium *Prope erat Pascha*. Ad Magnificat Antiph. *Auferte ista hinc*. Feria tertia ad Benedictus Antiph. *Nonne Moyses dedit vobis legem*. Ad Missam Officium *Exaudi Deus*. Oratio *Sacre nobis, quæsumus Domine Deus*. Lectio *Locutus est*

(*a*) Durand. VI. 53. n. 12. *Hac die etiam Christianus coronatur Imperator*.
(*b*) Ibid. n. 8. (*c*) Cant. II. 1.

est Dominus ad Moysen dicens, descende: Evangelium *Jam die festo mediante*. Ad Magnificat Antiph. *Et me scitis*. Feria quarta ad Benedictus Antiph. *Rabbi quis peccavit*. Ad Missam Officium *Dum sanctificatus*. Oratio *Deus qui & justis*. Lectio *Sanctificabo*. Graduale *Venite*. Post sequitur alia Lectio *Lavamini, mundi*. Graduale *Beata gens*. Evangelium *Præteriens Jesus vidit hominem cæcum*. Ad Magnificat Antiph. *Ille homo*. Feria quinta ad Benedictus Antiph. *Non potest filius a se*. Ad Missam Officium *Lætetur cor quærentium*. Oratio *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut quos votiva*. Lectio *Venit Mulier Sunamites*. Evangelium *Pater meus usque modo operatur*. Ad Magnificat Antiph. *Qui verbum meum audit*. Feria sexta ad Matutinum Lectiones de Homelia Evangelii *Erat quidam languens*. ℟. *Homo erat*. ℣. *Dixerunt*. ℟. *Dominus Jesus*. ℣. *Convenerunt*. Item ℟. *Occurrerunt*. ℣. *Videns Jesus*, & totum ℟. cum versu cantatur cum Organo. Ad Benedictus Antiph. *Lazarus amicus noster*. Ad Missam Officium *Meditatio*. Oratio *Deus qui ineffabilibus*. Lectio *Ægrotavit filius mulieris*. Evangelium *Erat quidam languens*. Ad Magnificat Antiph. *Domine, si hic fuisses*. Sabbato ad Matutinum ℟. *III. Audi Israel*, & totum cum Organo. Ad Benedictus Antiph. *Ego sum lux Mundi*. Ad Missam Officium *Sitientes*. Oratio *Fiat Domine quæsumus*. Lectio *In tempore placito*. Graduale *Tibi Domine*. Item alia Lectio *Omnes sitientes*. ℣. *Ut quid Domine*. Evangelium *Ego sum lux Mundi*. Notandum, quod duæ Lectiones in hoc Sabbato leguntur, quia in hac die scrutinia, & ordines celebrantur. Unde convenit, ut propter augmentum filiorum accrescant spiritualium augmenta ciborum. In Officio autem Missæ vocantur Cathecumini ad Batismum, & Ordinandi ad Sacramentum. In hoc etiam Sabbato, & in aliis, quibus ℟. mutantur ad horas, ipsa consuevimus altiori voce cantare, quasi solemniter illa licentiantes.

Dominica de Passione Domini (*a*).
CXXV.

POst septimam Dominicarum ordinatissimam dispositionem, ut dictum est, ipsius Dominicæ Passionis celebratio inchoatur, per quam ad Deum fit nostra reversio, & incipit celebritas hæc a fine Sabbati, idest a Vespera, quoniam Lazaro in præcedenti sexta feria suscitato Judæi audientes signum, (*b*) in hoc Sabbato collegerunt Concilium adversus Jesum, & ex illa die cogitaverunt, ut eum interficerent, & jam tum (*c*) *palam non ambulabat apud eos*; & quoniam per humilitatem veniendum est ad Passionem, conformat se Sancta Ecclesia suo capiti, tamquam suo Domino compatiens, & ex tunc lugenda citat (*d*) Vexilla Regis, Mysterium

(*a*) Consule Ruper. Tuitiensem *de Divin. Offic.* V. 1. & 2. Durand. VI. 60. (*b*) Joan. XI. 47. (*c*) Joan. XI. 54. (*d*) Hymnus *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis Mysterium &c.*

rium Crucis, acetum, fel, arundinem, clavos, & lanceam perforati corporis, & de his in Vesperis, & Nocturnis Officiis plangitur. Ideoque per istos undecim dies dimittimus *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* in Invitatorio Responsoriis, & ad Missam in Introitibus, præterquam in Festis novem Lectionum, & Officiis Beatæ Mariæ Virginis, (*a*) quia Versiculus ille ad laudem pertinet Trinitatis, & secunda Trinitatis Persona subjacuisse passioni memoratur, per quam tota Trinitas dehonestatur. Ideoque vocem laudis ejus, & gloriæ quodammodo supprimimus, & aliquantulum prætermittimus, non tamen usquequaque, quia non in fine Psalmorum: debet enim esse remissior luctus, quia non statim post factum Concilium est traditus in manus lanistarum. Dies vero Dominicæ Passionis computantur duabus Hebdomadibus ante Pascha, quia in duobus temporibus fuit Passio Domini significata, ante legem, cum Noe inebriatus vino denudatus jacuit, & ab uno filio fuit dehonestatus (*b*). Sub Lege, cum dictum est: (*c*) *Et erit Vita tua pendens ante te: timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ* Tum etiam propter duo Testamenta, quorum alterum Dominum passurum, alterum vero passum annuntiat. Tum quia pro duobus Populis Dominus sustinuit Passionem.

De Officio in Dominica de Passione Domini. CXXVI.

IN Sabbato præcedente Dominicam Passionis Domini, ad Vesperum. Capitulum *Christus assistens Pontif.* ℟. *Multiplicati post*. ℣. *Et repetendo* reincipitur ℟. A capite: & hunc ordinem servamus in Responsoriis usque ad Resurrectionem, quandocumque *Gloria Patri* debet in eis cantari. Hymnus *Vexilla Regis*, & non cum Organo. ℣. *Eripe me Domine ab homine malo*. Ad Magnificat Antiph. *Abraham Pater noster*. Ad Completorium *Ego sum Pastor bonus*. Psalm. *Cum invocarem*, & cæteri. (*d*) Hymnus *O Crux ave spes unica*: & *Te summa Deus*. Capitulum: *Tu autem in* no-

---

[*a*] *A Dominica passionis Domini usque in Pascha*, Gloria Patri *intermittitur, quia filius qui est tertia (secunda) persona, passionibus dehonestatur pro nobis commemoratur. In Pascha autem cantatur, cum Christus per resurrectionem glorificatur*. Gemma Animæ *de Antiq. ritu Miss.* lib. III. cap. 70. *Ideo* Gloria Patri *dimittitur, quia ille versus ad laudem pertinet Trinitatis, quæ fuit in Passione Domini, quam ab hac die, repræsentat, dehonestata: constat enim, quod Christus, qui est secunda in Trinitate persona, fuit dehonestatus*: Durand. VI. 60. 4. Sic porro accipias hæc, volo, uti celeberrimum Pauli monitum. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*. Philip. II. 8. & alia hujus generis.

(*b*) Gen. IX. 22. [*c*] Deuter. XXVIII. 66.

(*d*) Erant duæ postremæ Strophę celeberrimi Hymni *Vexilla Regis*, antequam Hymnus iste ab Urbano VIII. emendaretur.

nobis es Domine. ℟. *In pace in id ipsum*. ℣. *Si dedero* (a) *Dormiam*. Postea reincipitur altiori voce. *In pace*. ℣. *Custodi nos Domine*. Antiph. *Pastor bonus*. Psalm. *Nunc dimittis*. Oratio non mutatur. Hanc consuetudinem nostra tenet Ecclesia de Completoriis in his diebus. Ad Matutinum Invitatorium *Populus Domini*. Hymnus *Pange lingua*. In hac Dominica, & infra Hebdomadam secunda, quarta, & sexta feria cum Organo cantamus, *Pange lingua gloriosi prælium certaminis, & super Crucis trophæum*. In aliis diebus cantatur more consueto. In primo Nocturno Antiph. *Ego sum Pastor*. Psalm. *Beatus vir*, & cæteri. Antiph. *Pastor bonus*. Psalm. *Domine, Deus meus in te*, & cæter. Antiph. *Libera me Domine*. Psalm. *Salvum me fac Deus*, & cæter. ℣. *Erue a framea*. In secundo Nocturno Antiph. *Animæ impiorum*. Psalm. *Conserva*. Antiph. *Quid molesti?* Psalm. *Exaudi Deus*. Antiph *Mittens hæc Mulier*. Psalm. *Diligam te*. ℣. *De ore Leonis*. In tertio Nocturno Antiph. *Sicut exaltatus*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Rogabo Patrem*. Psalm. *Exaudiat te*. Antiph. *Si mihi non creditis*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Ne perdas cum impiis*. Hic ponitur Jeremias Propheta ad legendum, & legitur usque in Cœnam Domini. Sex autem Lectiones leguntur hodie de Propheta, in fine quarum pro *tu autem* dicitur, *hæc dicit Dominus convertimini ad me*. Vel tres tantum leguntur de Jeremia, & tres de Sermonibus Dominicæ Passionis, si habeantur. Tres ultimæ de Homelia Evangelii illius diei. ℟. de historia *Isti sunt dies*. Hanc autem consuetudinem in Responsoriis nostra Ecclesia conservare consuevit his diebus, quod tertium ℟. *Eripe*, & sextum ℟. *Quis dabit*, & nonum ℟. *Circumdederunt*, semper cum Organo cantatur. In Laudibus Antiph. *Vide Domine*, & cæter. Hymnus *Lustris sex*, & cantatur cum Organo, ut supra scriptum est. ℣. *Eripe me Domine*. Ad Benedictus Antiph *Ego Dæmonium*. Ad Primam Antiph. *Sicut exaltatus est*. Psalm. *Deus, Deus meus, respice in me*, & alii consueti. Ad Missam Officium *Judica me*. Oratio *Quæsumus Omnipotens Deus*. Epistola *Christus assistens*. Tractus *Sæpe expugnaverunt*. Evangelium *Quis ex vobis arguet me de*. Et nota quod ab hac die usque in Cœnam Domini ad Missam unam tantum Orationem cotidie, & Præfationem dicimus *de Cruce*. Item ad Processionem ℟. *Eripe me*. Ad tertiam Antiph. *Libera me*. ℟. *Erue a framea*. ℣. *De ore Leonis*. Ad sextam Antiph. *Quid molesti estis?* ℟. *De ore Leonis*. ℣. *Ne perdas*. Ad nonam Antiph. *Mittens hæc Mulier*. ℟. *Principes*. ℣. *Erue a framea*. Has Antiphonas, & Responsoria per horas diei usque in Cœnam Domini cantamus. Ad Vesperum Antiph. *Sede*. Capitulum *Christus*. Hymnus *Vexilla*. ℣. *Eripe me*. Ad Magnificat Antiph. *Tulerunt lapides Judæi*.

De

(a) An hic error aliquis in codicem irrepsit?

De secunda feria Dominicæ Passionis. CXXVII.

Feria secunda ad Matutinum Invitatorium *Præoccupemus*. Psalm. *Venite*. Duæ Lectiones de Jeremia. Tertia legitur de Homelia illius diei, & sic omni nocte infra Hebdomadam legimus usque in Cœnam Domini. ℟℟. cantantur de historia *Isti sunt dies*. III. ℟. *Eripe me*, cum Organo, & nota quod his diebus secunda feria, hoc ℟. *Eripe*, & in quarta feria *Quis dabit*, & in sexta feria *Circumdederunt* tertio loco infra Hebdomadam cantantur cum Organo, & in his tribus diebus ad Matutinum Hymnus *Pange lingua*, & in Laudibus Hymnus *Lustris sex*, in Ecclesia nostra semper usque in Cœnam Domini consuevimus cum Organo cantare. In Laudibus ℣. *Erue a framea*. Item Capitulum *Dominus Deus meus aperuit mihi aurem*. ℣. *Eripe me*. Ad Benedictus Antiph. *In novissimo*. Item Litanias Populo amodo denegamus. Ad Missam infra Hebdomadam *Flectamus genua*, & *humiliate capita vestra* non dimittitur. Officium *Miserere mei Deus*. Oratio *Sanctifica*. Lectio *Surge, vade in Ninive*. Evangelium *Miserunt Principes*. Ad Tertiam Capitulum *Faciem meam non averti*. Ad Sextam Capitulum *Domine, qui te derelinqunt*. Ad Nonam Capitulum *Confundantur, qui me persecuntur*. Ad Vesperum Capitulum *Tu autem Domine Sabaot*. Hæc autem Capitula, ut supra scripta sunt, ordinate his diebus infra Hebdomadam dicuntur. Ad Magnificat Antiph. *Si quis sitit*.

De tertia, quarta, quinta, & sexta feria. CXXVIII.

Feria tertia ad Matutinum Invitatorium *Ploremus*. Ad Benedictus Antiph. *Tempus meum*. Ad Missam Officium *Expecta Dominum*. Oratio *Nostra tibi quæsumus*. Lectio *Congregati sunt Babilonii*. Evangelium *Ambulabat Jesus in Galilæam*. Ad Magnificat Antiph. *Vos ascendite*. Feria quarta ad Matutinum Invitatorium *Nos autem omnes*. Ad Benedictus Antiph. *Oves meæ*. Ad Missam Officium *Liberator meus*. Oratio *Sanctificato jejunio*. Lectio *Ego Dominus Deus vester*. Evangelium *Facta sunt Encænia*. Ad Magnificat Antiph. *Multa bona*. Feria quinta ad Matutinum Invitatorium *Ubi tentaverunt*. Ad Benedictus Antiph. *Magister dicit*. Ad Missam Officium *Omnia quæ fecisti*. Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut dignitas conditionis*. Lectio *Oravit Daniel*. Evangelium *Cum audisset quidam de turba* (a). Ad Magnificat Antiph. *Desiderio desideravi*. Feria sexta ad Matutinum Invitatorium *Quadraginta annis*. Ad Benedictus Antiph. *Appropinquabat autem*. Ad Missam Officium *Miserere mihi*. Oratio *Cordibus nostris*. Lectio *Dominus* (b) *qui te*. Evangelium *Collegerunt Pontifices*. Ad Magnificat Antiph. *Principes Sacerdotum*. P De

(a) Nunc legimus ex Lucæ VII. 36. *Rogabat Jesum quidam Pharisæus*.
(b) Nunc legimus: *Domine*.

De Sabbato ante Palmas. CXXIX.

SAbbatum ante Palmas intitulatur in Antiphonario *Vacat* (*a*), quia ea die Dominus Episcopus dat eleemosynam in memoriam Magdalenæ Mariæ (*b*), quæ *accepit libram ungenti Nardi pistici preciosi, & unxit pedes Jesu*. In hoc Sabbato Dominus *Bethaniam venit, in domum Simonis: recubuit, Martha ministravit. Maria unguento Jesu pedes unxit, & Domus impleta est odore unguenti*. In quibus nobis tria commendantur, obedientia, eleemosyna, & fama. Si enim obedientes sumus, ad nos venit, & in nobis Dominus requiescit. Si pauperibus subvenimus, cum Marthâ ministramus: sed cum Maria ungimus, quando virtutum studiis indulgemus. Pedes Domini Pauperes sunt, & Infirmi; quia quamvis extrema sint, ejus tamen sunt membra per Fidei conjunctionem. Mulier pedes Domini ungit, & capillis, qui Corpori superfluunt, extergit, quotiens divites qui sunt in Ecclesia, pauperes Fideles blandimento misericordiæ fovent, & de his, quæ sibi abundant, illorum inopiam supplent. Ad Matutinum Invitatorium *Quibus juravi*. Ad Benedictus Antiph. *Clarifica me Pater*. Ad Missam Officium resumitur de præcedenti sexta feria *Miserere mihi*. Oratio *Perficiat quæsumus Domine*. Lectio *Venite cogitemus*. Evangelium *Amen, Amen, dico vobis*.

De Dominica in Ramis Palmarum. CXXX.

NOtabile est, & admiratione dignum quod qui eodem cursu Mundum creavit Dominus, & recreavit: sicut enim creaturus hominem, & cætera propter hominem, a Dominica die incepit, sexque diebus operatus, sexta feria hominem creavit, & in Sabbato requievit ab omni opere, sic hominem recreaturus a Dominica incœpit, Hierusalem ingrediens, singulisque diebus ingressus, feria sexta redemit in Cruce patiens, & in Sabbato requievit in Sepulcro. Sicut etiam decima die juxta præceptum legis inmolandus Agnus domum introducitur, (*c*) sic passurus Christus ingreditur Hierusalem; hic est enim verus Agnus, qui abstulit peccata Mundi (*d*), qui hac decima die Hierusalem ingrediens se obtulit Passioni (*e*). Ingressurus autem, ut in Evangelio legitur (*f*), præmisit duos Discipulos, ut adducerent asinam alligatam, & pullum cum ea, & adducentes imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt, & sic sedens super asellum venit Hierusalem. Plurima autem turba straverunt vesti-

---

[*a*] Recole quæ ad cap. XXXIV. diximus. Consule Duran. VI. 66.
(*b*) Matth. XXVI. 7. Joan. XII. 3. (*c*) Exod. XII. 3. [*d*] Joan. I. 29. 30.
(*e*) Matth. XXI. 2. [*f*] Lucæ XIX. 29.

vestimenta sua in via, alii ramos de arboribus cedebant, & qui præibant, & qui sequebantur cum ramis Palmarum clamabant *Osanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini*. Ideoque in repræsentationem hujus gloriosæ Dominicæ receptionis celebrat hodie cum ramis Palmarum, & floribus Ecclesia Processionem.

De Vespertino, & Matutinali Officio. CXXXI.

Sabbato præcedente Dominicam Palmarum ad Vesperum, Capitulum *Hoc enim sentite in vobis*. ℟. *Fratres mei*. Hymnus (a) *Magno salutis gaudio*, & totus cantetur cum Organo. ℣. *Eripe me Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Vulpes foveas*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui humani generis*. *Benedicamus Domino* cum Organo; debet enim hac die honorifice Vesperum celebrari, quia gloriosum, & celebre festum expectatur. Ad Matutinum pulsetur maturius; nox enim illa est affectuosissime suis Officiis excolenda. Psalmos Graduum, & Matutinum S. Mariæ hac die non dicimus. Invitatorium *Ipsi vero non cognoverunt*. Hymnus *Magno salutis*, & cum Organo. Antiph. super Nocturnum, sicut in præcedenti Dominica, & Versiculi similiter. Sex Lectiones leguntur de Jeremia, vel tantum tres de Jeremia, & tres de Sermonibus passionis Domini. Tres ultimæ de expositione Passionis super Matthæum Beati Hieronymi, ab eo loco, ubi dicitur *Erubescant qui putant Salvatorem*. ℟. de Historia *In die qua invocavi te*. Tertium ℟. *Eripe me*. Sextum ℟. *Quis dabit*. Nonum ℟. *Ingressus Pilatus*, & cantato ℣., & repetito, altiori voce reincipitur, & semper cum Organo. ℣. *Erue a framea*. In Laudibus Antiph. *Dominus Deus auxiliator*, & cæteræ. Psalm. *Miserere mei Deus*, *Confitemini*, & alii consueti in Dominicis diebus per Quadragesimam. Capitulum *Hoc enim sentite in vobis*. Hymnus *Ramos virentes* (b) cum Organo. ℣. *Ne perdas*. Ad Benedictus Antiph. *Turba multa*. Postea *Benedicamus cum Organo*. Ad Primam Hymnus *Jam lucis* festive canitur. Antiph. *Pueri Hebræorum tollentes Ramos*. Hac die dimittimus Psalm. *Deus, Deus respice*, et *Quicumque vult*. ℟. *Christe Fili* cantatur solemniter. Oratio *In hac hora*. Expleto Matutino quoddam pallium, vel doxale poni consuevit extra super majores januas Ecclesiæ gratiâ tantæ solemnitatis. Missa Matutinalis hac die in Ecclesia nostra non dimittitur, in qua cantatur Officium *Domine ne longe*. Epistola *Hoc sentite in vobis*. Graduale *Tenuisti manum*, & Tractus *Deus, Deus meus*: & bini, & bini cantent illum pro-

P 2 pter

(a) Matth. XXI. 8. Hymnum hunc habet Cassander, qui & adiicit illi adnotationes, & Lectiones varias. Vide pag. 224. habet quoque pag. 365. Tomus II. Ven. Card. Thomasii. Eos consule.

(b) Est portio Hymni *Magno salutis gaudio*, quem jam allegavi.

pter longitudinem. Passio secundum Matthæum. *Scitis, quia post biduum*: Et dicitur in principio *Dominus vobiscum*, & respondetur *Et cum spiritu tuo*, sed postea *Gloria tibi Domine* non respondetur. In hac Missa Populus admonetur de Processione solemniter ab omnibus facienda, & qualiter ire, & redire debeant ad Prædicationem audiendam.

De Ordine Processionis in Dominica in Ramis Palmarum. CXXXII.

CAntata Missa Matutinali, pulsantur majores Campanæ ad Processionem: consuetudo enim nostræ Ecclesiæ talis est, quod hac die Episcopus cum Clero, & Populo post Matutinalem Missam in majori Ecclesia Congregati faciunt generalem Processionem ad Ecclesiam Sancti Martini, & in eundo cantantur ℟. *In die, qua invocavi*, ℣. *Deus Deus meus*. ℟. *Fratres mei*. ℣. *Amici mei*. Ita Responsoria cantantur æqualiter, & tantum Versus cum Organo. Item ℟. *Eripe me*. ℟. *Circumdederunt*, & tota cum Organo. Cum autem ad dictam Ecclesiam venerint Episcopus, vel Archipresbyter majoris Ecclesiæ, & Diaconus, & Subdiaconus intrant Ecclesiam, & ibi cum aliis Clericis ante januas Ecclesiæ recipiuntur cum incenso, & aqua benedicta a Canonicis illius Ecclesiæ. Postea Episcopus, vel Archipresbyter induitur Pluviali, Diaconus Dalmatica, & Subdiaconus Tunica; & sic induti veniunt cum incenso, & aqua benedicta ante januam Ecclesiæ ad Palmas, & Olivas benedicendas. Sed interim dum ipsi parantur in Ecclesia, Canonici, & alii Clerici qui remanserunt ante fores Ecclesiæ incipiunt Tertiam hoc modo: *Deus in adjutorium meum*, & cæter. Hymnus *Nunc sancte*, & canitur festive cum Organo. Antiph. *Pueri Hebræorum*. Psalm. *Legem pone*, & cæteri. Capitulum *Hoc enim sentite*. ℟. *In Monte Oliveti*. ℣. *Veruntamen cum gloria*. ℣. *De ore Leonis*. Oratio *Deus qui pro nobis Filium tuum*. Dicta Oratione usque *per omnia sæcula sæculorum*, & responso *Amen*, non dicitur *Dominus vobiscum*, nec *Benedicamus Domino*, sed statim Subdiaconus versus ad orientem dicit Lectionem Libri Exodi. *In diebus illis venerunt filii Israel*, & facit versum finalem in modum Epistolæ. Lecta Lectione cantantur Antiph. *Collegerunt*. Antiph. *Quid faciemus*. Antiph. *Unus autem ex ipsis*. Quibus omnibus præcantatis Diaconus versus ad aquilonem legit Evangelium secundum Matthæum *Cum appropinquasset Jesus*. Finito Evangelio statim Episcopus, vel Archipresbyter benedicit Palmas, & Olivas secundum ordinem benedictionis, quæ continetur in libro. Expleta benedictione, spargit aquam benedictam super Palmas, & Olivas, & super universum Populum, & statim Cruce præcedente totus Clerus, & Populus ad plateam Episcopalis Ecclesiæ hoc ordine revertantur.

De

De Ordine Processionis in reversione. CXXXIII.

CUm autem redire incipiunt, has Antiphonas cantant *Cum appropinquaret*. Antiph. *Cum audisset*. Antiph. *Multa turba*, & Hymnum *Magno salutis*, & totum semper cum Organo. Postquam vero venerint ante Portam salariam, Clerus subsistens cum Cruce, & Populo facit chorum, & cantor cum duobus Clericis vadens usque sub limen Portæ, ibi cum illis cantat *Domine Miserere*, sicut continetur in Libello Processionali, & Chorus respondet *Kyrie*, & hoc tribus vicibus ibidem repetunt, qualibet vice altiori voce cantando, & semper Chorus respondendo, paulatim appropinquat cum Cruce. Hoc facto Cantor incipit ℟. *Ingrediente Domino*. ℣. *Cumque audisset: Gloria Patri*, & totum cum Organo. Cum isto ℟. ingreditur totus Clerus, & Populus Civitatem, & recta via sursum revertuntur usque in plateam majoris Ecclesiæ. Deinde cantatur in eundo aliud ℟. *Civitatem istam*, & ℟. *Beatam me dicent*, & totum cum *Gloria*, & cum Organo cantatur. Clero autem, & Populo reverso ante januas Episcopalis Ecclesiæ, Dominus Episcopus, vel Archipresbyter, aut Septimanarius, vel Præpositus, si fuerit præsens, facit honorabilem sermonem Clero, & Populo, Canonicis super scrannas sedentibus, quas dum fiebat Processio, fecit Camerarius præparari. Expleto Sermone, & facta Confessione communiter toti Populo, omnes tam Clerus, quam Populus veniunt ante januas Ecclesiæ, & ibi fit Chorus, & tunc Cantor cum duobus Clericis vadens, & stans super gradum in ipsis januis, ipse in medio, & alii cum eo hinc, & inde, incipit cantare æquali voce cum magna reverentia, *Gloria, laus, & honor: & Cui puerile decus*, & statim Chorus flectens genua respondendo cantat eosdem Versus, & eodem modo. Postea Cantor cum duobus modulate, & cum Organo cantat *Israel es tu*, & alium Versum *Nomine qui*, & Chorus repetit *Gloria laus*, ut supra, & iterum Cantor cum suis Sociis similiter cantat alios duos ℣., & Chorus semper post finem duorum Versuum cum genuflexione usque ad finem omnium repetit *Gloria, laus*, ut supra. Omnibus Versibus præcantatis, Episcopus, vel Archipresbyter incipit Antiph. *Occurrunt Turbæ*, & eam omnes æqualiter cantando Fratres, Canonici, & totus Clerus revertuntur in Chorum. Intrantibus autem omnibus Ecclesiam, pulsantur in classicum omnia signa.

De

De Missa majori, & aliis horis diei post Processionem. CXXXIV.

Postquam Fratres cum Clero fuerint in Chorum reversi, statim Septimanarius incipit Tertiam *Deus in adjutorium*, & cætera. Hymnus *Nunc sancte* æquali voce. Antiph. *Libera me Domine*. Capitulum *Hoc enim sentite*. R. *Erue a framea*. Interim dum cantatur Tertia, Episcopus, vel Archipresbyter deposito Pluviali cum Diacono, & Subdiacono deposita Dalmatica, & Tunica, more Quadragesimali induuntur Planetis, & cantata Tertia veniunt ad Altare Beatæ Mariæ Virginis, & ibi Missam devote celebrant. Ad Missam majorem Cantor in Choro incipit cum duobus Officium *Domine longe*. ℣. *Deus, Deus meus*, sine *Gloria*, & sine Organo. Epistola *Hoc enim sentite*. Tractum bini, & bini cantent, quia longum est. Postea legitur Passio, quoniam Dominus ingrediens Hierusalem, Calici passionis exponitur, vel quia extrema gaudii luctus occupet, ideo post gaudium Processionis subditur Lectio Passionis, vel quia Dominus illi exultationi lamentum inseruit eversionis: & nota, quod hodie quando Diaconus incipit legere Passionem, dicit *Dominus vobiscum*: & respondetur, *& cum spiritu tuo*. Item dicit: *Passio Domini Nostri Jesu Christi secundum Matthæum*, & non respondetur *Gloria tibi Domine*, nec Liber incensatur, nec Diaconus se, vel Librum signat, aut osculatur, sed cum venerit ad eum locum *Altera autem die*, ubi Diaconus mutat modum legendi, tunc datur incensum, Liber osculatur, & frontibus signum Crucis imprimitur. Postea dicitur *Credo*, & Præfatio de Cruce *Qui salutem humani generis*. Post Missam expletam statim cantatur Sexta, Antiph. *Quid molesti*. ℟. *De ore Leonis*. Ad Nonam Antiph. *Mittens hæc Mulier*. ℟. *Principes*. Capitulum de Epistola Dominicali, & Oratio illius diei per omnes horas. Post prandium Fratres vadunt in Ecclesiam cum *Miserere mei Deus*. Ad Vesperum Antiphona super Psalmos *Sede a dextris*, & reliquæ. Capitulum *Hoc enim sentite*. Hymnus *Magno salutis*, & totus cum Organo. Ad Magnificat Antiph. *Jesus factus in agonia*. Nota, quod hæc Hebdomada *major* appellatur, quia majus, & prolixius habet Officium. Dicitur etiam *pœnosa*, quia tunc peccata nostra punire debemus, & dicitur *Sancta*, quia in ea pœnitentes absolvuntur, & impii justificantur.

De secunda Feria post Palmas. CXXXV.

FEria secunda Invitatorium *Praeoccupemus*. Hymnus *Pange lingua* cum Organo. Duæ Lectiones de Jeremia. Tertia Lectio de Homelia Beati Augustini *Ante sex dies Pascha*. In his tribus diebus cantantur Responsoria, quæ superfuerunt Dominicali Historiæ. Sed Tertium ℟. cantatur *Eripe me* cum Organo. In Matutino, Laudibus, Antiph. *Faciem meam*, & cæteræ quæ sequuntur. Capitulum *Confundantur*. Hymnus *Lustris sex* cum Organo. In Evangelio Antiphona *Multa turba Judæorum*. In omnibus horis Antiph. ℟ ℣. usque ad quintam feriam, ut superius dictum est in Dominica de Passione. Ad Missam, Officium *Judica Domine nocentes me*. Oratio *Da quæsumus Omnipotens Deus, ut qui in tot*. Lectio Isaiæ *Dominus Deus aperuit mihi autem*. Graduale *Exurge Domine*. Postea Lectio Zachariæ *Si bonum est*. ℣. *Effunde frameam*. Evangelium *Ante sex dies*. Offertorium *Eripe me*. Communio *Erubescant*. Sciendum est quod in his duobus diebus sub una Oratione leguntur duæ Prophetiæ. In prima primus Versus de Graduali dicitur; in secunda secundus Versus. Ad Magnificat Antiph. *Non haberes in me potestatem*.

De tertia Feria. CXXXVI.

FEria tertia Invitatorium *Ploremus coram*. Duæ Lectiones de Jeremia. Tertia de Homelia *Amen, Amen dico vobis, non est servus* In Laudibus Antiph. *Vide Domine, & considera*, & cæteræ aliæ. Ad Benedictus Antiph. *Nemo tollet*. Ad Missam Officium *Nos autem gloriari*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis ita*. Lectio *Domine demonstrasti mihi*. Graduale *Ego autem*. Postea Lectio *Dixerunt impii Judæi*. ℣. *Judica Domine*. Evangelium *Amen, Amen dico vobis, non est servus major*. Ad Magnificat Antiph. *Potestatem habeo*.

De quarta Feria. CXXXVII.

FEria quarta formatus est Sol visibilis ad Mundi lucem, & venditus est Sol justitiæ ad nostram salutem, hac enim die (a) inierunt Judæi consilium, ut occiderent Dominum, & pacti sunt dare pecuniam proditori, qui spopondit eis tradere Salvatorem. Et propterea quod hac feria Christus est venditus, & Ecclesia est quasi suo capite diminuta, per totum anni circulum post sextam feriam, hæc secundum obtinet locum in observatione pœnitentialium jejuniorum. Invitatorium *Nos autem omnes*; duæ

[a] Luc. XXII. 1. &c.

duæ Lectiones de Jeremia, tertia legitur de Passione *Appropinquabat dies*. Tertium ℟. *Quis dabit* cum Organo. In Laudibus Antiph. *Libera me de sanguinibus*, & cæter. Ad Benedictus Antiph. *Simon dormis*. Ad Missam Officium *In Nomine Domini*. Postea Sacerdos sine salutatione dicit *Oremus, Flectamus genua. Levate*. Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut qui nostris excessibus*. Lectio *Dicite Filiæ*. Graduale *Ne avertas*. ℣. *Salvum me fac*. Postea dicitur *Dominus vobiscum*, & non *flectamus genua*. Oratio *Deus qui pro nobis Filium tuum*. Lectio *Domine quis credidit*. Tractus *Deus exaudi*. Deinde legitur Passio. Et sine salutatione pronuntiatur *Passio Domini Nostri Jesu Christi secundum Lucam*, & nihil respondetur: & nota quod in hac Passione (*a*) Dominus factus in agonia legitur orasse, ne quis stare præsumat elatus, cum pro nobis genua deposuerit Altissimus. Duæ autem Lectiones leguntur, quia Christus pro duobus Populis traditur, vel quia Christus pro nostra anima, & carne sustinuit mortem. Unde Ambrosius *Caro Christi pro salute Corporis, Sanguis autem pro salute animæ effusus est*. In prima Lectione recolitur mors animæ, in secunda Corporis; ideoque Tractus cum quinque versibus sequitur, ut quinarius sensus Corporis insinuetur, vel quia Christus quinque habuit vulnera. Ad Magnificat Antiph. *Ancilla dixit Petro*.

Generalia de tribus diebus Passionis Domini. CXXXVIII.

Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus (*b*), sic triduanæ Dominicæ Mortis exsequias in magna tristitia Ecclesia repræsentat (*c*), & Officia celebrat ordine inusitato propter inordinata corda Judæorum: nocturnæ enim Vigiliæ, & horæ diurnæ nec initium nec finem habent consuetum. Nam subticetur in Nocturnis Vigiliis *Deus in adjutorium*, Invitatorium, Hymnus, & Gloria in fine Psalmorum, & in Lectionibus *Jube Domne*, et *tu autem*, quarum tres primæ non tam legendo, quam plangendo recitantur. Deinde ipsæ Vigiliæ per *Kyrie cum Pater noster*, & *Miserere mei Deus*, inusitato fine clauduntur: sic & reliqua carent usitato principio, & fine, sed quia usum novimus, mysteria inquiramus. Regularibus igitur horis principium, & finem subtrahimus: scilicet *Deus in adjutorium*, & *Gloria Patri*, quia capite diminuti sumus: nam Christus, (*d*) qui est *Alpha*, & *Omega*, initium, & finis, nobis ablatus est, & in manus traditus impiorum. Si enim juxta Augustinum *gloria fuit Christi Resurrectio, merito mors, & sepultura ejus est humiliatio*, ac per hoc ut compaginemur humilitati sepulturæ ejus, amittimus excelsa nostra, *idest Gloria Patri*, & cætera Pro *Jube Domne* quod

(*a*) Luc. XXII. 41. &c. (*b*) Matth: XII. 40. (*c*) Vide Durand. VI. 12.
(*d*) Ibidem n. 6. Ad explicandos hos, & similes ritus utere monitis Eruditiss. Alexandri Mazzinelli; *Uffizio della Settimana Santa* Romæ, & Venetiis edit.

quod in Lectionibus omittitur, intelliguntur ad prædicationem euntes, pro *tu autem* a prædicatione redeuntes: & ideo neutrum dicitur, quia his diebus nulli a Christo mittebantur, vel ad eum revertebantur; vel ideo quia cum Pastor misericors deficit, & arietes disperguntur, non recte benedictio, vel misericordia postulatur. Novem Psalmi, & novem Lectiones, & novem Responsoria ternis Nocturnis disposita, quæ a Monachis, & Canonicis dicuntur, insinuant Dominum descendentem ad inferna, & tria hominum genera, quæ per agrum, molam, & lectum in Evangelio distinguuntur (a): idest Noe (b), Daniel (c), & Job [d]: vel Rectores, continentes, & conjugatos inde traxisse, quos sociavit Dominus actioni, & cognitioni, & gaudio novem ordinum Angelorum. Psalmi ad actionem, Lectiones ad cognitionem operum Dei, Responsoria ad cantica pertinent Angelorum. Tenebræ tribus noctibus celebratæ, significant tenebras (e), quæ tribus horis, ab hora sexta usque ad horam nonam fuerunt super faciem Terræ, dum Sol pendebat in Cruce, vel quia triduo verus Sol clausus est in Sepulcro. Extinctio Candelarum, excæcationem Judaicæ gentis insinuat, quæ Prophetas, & Dominum Prophetarum occidens, in tenebras perfidiæ cecidit. Ad Canticum autem Evangelicum extinguntur, quia Sancti pro Doctrinæ Evangelio sunt occisi. Et nota quod Pastoris Officium, *ut Deus in adjutorium*, & Capitulum subticetur, quia Pastores fuerant dispersi, Versus tamen quod est minorum Officium, non dimittitur quia Discipuli minus cogniti videbantur. Unde hoc Officium triduanum potius a minoribus celebratur. In tenebris vocalis concrepatio est Judæ proditoris, & aliorum in cæcitate fidei permanentium salutatio *Ave Rabbi*. (f) Clangor Kyrie canentium est tumultus Dominum persequentium, & eum ironice adorantium, unde omnis salutatio, & pacis osculum deest his tribus diebus, & noctibus ad vitandam injuriosam Judæ salutationem, & dolosam osculi proditionem. Oratio, & alia quæ sequuntur in tenebris, significant quod Apostoli trepidaverunt in occultis. Servatur autem unum lumen solum usque ad Benedictus, & tunc vel absconditur vel extinguitur, alio absconso quod post reveletur, sicut verum lumen Christus post hos tres dies mane surgens Dominicæ diei, se manifestavit, & lumen Divinitatis, quod absconsum fuerat in Passione, in Resurrectione claruit, resurrexit enim ex potestate Divina.

Q De

(a) Matth. XXI. 38. 40. 41. Vide etiam Luc. XIV. 16., & seqq.
(b) Agricolam. (c) Servum. (d) Conjugi junctum.
(e) Matth. XXVII. 45. [f] Matth. XXVII. 49.

De Nocturnali Officio in quinta Feria. CXXXIX.

EXpletis omnibus Officiis quartæ feriæ more consueto usque ad finem Completorii, Custos Ecclesiæ sollicite caveat in nocte sequentis Feriæ, ut ea hora surgat ad Matutinum, qua ante lucem spatiose Nocturnale Officium suo modo impleatur. Tandem trina pulsatione facta more solito ad Matutinum, & Fratribus coadunatis in Choro, postquam Populus convenerit, facta Oratione tacite a singulis, nihil a Sacerdote dicitur in Choro; hoc enim triduo in principio Officiorum tantum ad Orationem prosternimur, & solius diei Officium inchoamus. Postea Cantor in Choro quasi ex abrupto incipit Antiph. *Zelus Domus*. Psalm. *Salvum me*. Antiph. *Avertantur*. Psalm. *Deus in adjutorium*. Antiph. *Deus meus*. Psalm. *In te Domine*. ℣. *Exurge Domine, & judica;* & debent Psalmi in his noctibus suavius solito decantari. Primæ tres Lectiones leguntur ex lamentatione Jeremiæ Prophetæ, ab eo loco ubi dicitur *Quomodo sedet*, usque *cogitavit Dominus*. Et nota quod Lector in principio non petit benedictionem, nec in fine dicit *Tu autem Domine* ad aliquam Lectionem his tribus diebus. In secundo Nocturno Antiph. *Liberavit*. Psalm. *Deus Judicium*. Antiph. *Cogitaverunt impii*. Psalm. *Quam bonus*. Antiph. *Exurge Domine*. Psalm. *Ut quid Deus*. ℣. *Deus meus eripe me de manu peccatoris;* & nota quod nec Antiphonæ, nec Versiculi cum neumate finiuntur. Tres Lectiones in medio de Epistola ad Corinthios, ubi dicitur *Convenientibus vobis in unum*. In tertio Nocturno Antiph. *Dixi iniquis*. Psalm. *Confitebimur*. Antiph. *Terra tremuit*. Psalm. *Notus in Judæa*. Antiph. *In die tribulationis*. Psalm. *Voce mea*. ℣. *Homo pacis meæ, in quo sperabam*. Tres ultimæ Lectiones de expositione S Augustini super Psalmos, & non pronuntiatur Lectio Evangelii more solito. Vel sex Lectiones leguntur tantum de Sermonibus, quia Populus magis lætatur, & ædificatur de Sermonum Lectionibus quas intelligit, quam de Psalmorum expositione, vel de Epistolis Pauli, quarum est difficilis intellectus. Et hoc idem facimus in Parasceve, & Sabbato. Responsoria de propria Hystoria, *in Monte Oliveti*, & cætera per ordinem sicut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Peccatum Judæ*, & totum cum Organo.

De Laudibus quintæ Feriæ, & Luminibus extinguendis. CXL.

IN Laudibus *Deus in adjutorium*, nec *Gloria Patri* dicitur. Sed finito ultimo Responsorio statim Cantor incipit Antiphonam super Laudibus *Justificeris Domine*. Psalm. *Miserere mei*, & cæteræ, ut sunt in Antiphonario. Post ultimam Antiphonam dicitur ℣. *Acuerunt linguas suas*, Ad

Ad Benedictus Antiph. *Traditor autem*. Notandum est vero, quod de Luminibus extinguendis Ecclesia nostra talem consuetudinem in hoc triduo habet. Finitis Lectionibus extinguntur omnes Lampades inferius, & superius præter septem aut quinque, quæ reservantur accensæ in Matutinalibus Laudibus, & ad initium primi Psalmi Custos extinguit unam, & sic per unumquemque Psalmum facit, donec omnes Ecclesiæ Lampades extinguantur. Psalmis finitis Cantor dicit ℣. *Acuerunt linguas suas*, & Antiphonam *Traditor*, et statim Sacrista lumen Candelæ servatum alicubi recondat, ubi bene servari possit, et a nullo videri. Consuevit autem aliquoties Custos omnes Lampades ante Altare, Lumine reposito artificialiter simul extinguere, quod majorem inducit admirationem, et pavorem, cum ex improviso tota Ecclesia tenebris obfuscatur, et sic *Benedictus Dominus* totus absque lumine dicitur. Quando vero Sacrista vadit ad reponendum lumen, Cantor cum duobus Fratribus vadit post Altare Beatæ Mariæ, et finito Psalmo cum Antiphona, incipiunt ibi cantare cum Organo *Kyrie*, ut scriptum est in Antiphonario, et Chorus cum Populo similiter respondet *Kyrie*, et Cantor reincipit *Christe eleison*, et Chorus cum Populo similiter respondet. Postea Chorus canit cum Organo *Domine Miserere*. Deinde Cantor, et qui cum eo sunt, cantant prosas cum Organo. *Qui Prophetice*. Primo Versu cantato, Chorus cum Populo dicit *Kyrie*, ut prius. Postea *Domine Miserere*, et Cantor alium ℣., et Chorus respondet, et sic usque in finem omnes ℣. cantentur hoc ordine. Sed ille Versus *Vita in ligno ponitur*, tantum in sexta Feria dicatur. Cantato ultimo Versu Chorus dicit quasi flebili voce *Mortem autem Crucis*, et omnes deinceps maneant in silentio. His expletis, confestim custos Ecclesiæ præferat lumen extra ad Populum, et reaccendat omnes Lampades. Postea nihil dicatur nisi *Pater noster* tacite, et non finitur more solito altiori voce. Sed eo tacite finito, dicitur *Miserere mei Deus*, et eo finito, dum prostrati jacent in terra, Septimanarius dicit Orationem *Respice Domine super hanc familiam tuam*. Demum unusquisque, si placet, vadet dormitum. Notandum enim, quod hac die in mane Popularis Missa non cantatur in Ecclesia nostra. Si tamen aliqui ex devotione, vel pro Anniversario, aut recenti sepultura, Missam Mortuorum audire voluerit, eorum devote petitioni satisfieri consuevit. Per Capellas autem Civitatis, in quibus hac die Missa canitur, nec *flectamus genua*, nec *humiliate capita*, in ea dici debet.

Qualiter hac die Capitulum solvitur, & horæ hi tribus diebus dicuntur. CXLI.

IN mane ad Primam Fratres ingressi Ecclesiam, ad Orationem se prosternunt. Inde surgentes incipiunt Psalm. *Deus in nomine tuo*, et ceteros more solito, et suaviter cantentur. *Gloria Patri* non dicatur. Nec *Kyrie*

rie. Sed finitis Psalmis dicunt tantum *Pater Noster*, & *Credo in Deum*. Continuatim deinde *Miserere mei Deus*, et Orationem *Respice Domine*. In cujus fine non dicitur *per Dominum*. Hoc facto Fratres surgunt, et intrant Capitulum, in quo mox ut annuntiata fuerit Luna secundum Kalendarium, dicunt solutionem Capituli, et faciunt Confessionem sicut mos est, et Lectio legitur sine petitione benedictionis, et finitur *sine tu autem*. Postea Sacerdos solvit Capitulum cum *benedicite*, et respondetur *Dominus*. Deinde tractantur alia, quæ secundum diem fuerint in Capitulo pertractanda, et more solito eleemosyna pauperibus erogatur. Hac die Campanæ ad Matutinum, ad Primam, ad Tertiam, ad Sextam pulsantur, sicut in aliis diebus, horæ autem in his tribus diebus taliter dicuntur: Ad Tertiam intrantes Ecclesiam prosternimur ad Orationem, et non dicitur *Deus in adjutorium meum*, nec Hymnus, nec Antiphona, sed tantum Psalmi suaviter dicuntur: Nec in eis dicitur *Gloria Patri*, nec Capitulum, et dictis Psalmis non dicitur *Kyrie*, sed prostrati tacite dicimus *Pater noster*, et non dicitur alte *& ne nos*, nec aliæ preces dicuntur, sed Psalm. *Miserere mei*, et sic finitur hora cum Oratione *Respice Domine*, sine *per Dominum*, sine *Dominus vobiscum*, et sine *Benedicamus Domino*. Ad Sextam, et Nonam idem ordo servetur.

De nobilitate hujus diei, & qualiter in quinta Feria reconciliantur Pœnitentes.
CXLII.

SIcut quinta feria in prima Hebdomada nostræ Creationis genus ex aquis ortum partim remittitur gurgiti, partim levatur in aera, ut stirpe una genitum diversa reparet loca (*a*), sic etiam quinta feria hujus Hebdomadæ, quæ est nostræ recreationis, sacramenta unius ejusdemque salutis, partim nos deprimunt in tristitiam, partim levant ad gaudia, ideoque diverso cultu vel habitu, tristitiæ videlicet et lætitiæ, hodierna celebrantur Officia, et quidem causas tristitiæ superius exposuimus, nunc vero causas lætitiæ prosequamur. De nobilitate namque hujus solemnitatis Sylvester Papa: (*b*) *Cur*, inquit, *feria quinta, putetur festis excludi, quo die sacrificium Corporis sacri, & Divini muneris Sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumpsit initium*? Hac die in toto Orbe sacrum Crisma conficitur, hac die etiam Pœnitentibus per Indulgentiam subvenitur, discordes ad concordiam redeunt, hac die pacificantur irati, dant Indulgentiam Principes criminosis, Servis malis indulgent Domini, Judices autem Latronibus parcunt, patescunt Carceres, et in toto Orbe hac die ad lætitiam festivitatis exeunt, qui clauserunt se pro austeritate culparum, dolentes flendo, quod ridendo forte, aut irascendo, aut ludendo com-

(*a*) Gen. I. 20, 21. 22. (*b*) Canonem hunc minime inveni.

commissum est. Solvuntur in hac die ligati, et intromittuntur exclusi; quia, ut prædictum est, ea die Mysteria Passionis Christi sunt inchoata, per quam captivi indulgentiam, & clausi recipiunt aperitionem. Hodie namque Pœnitentes absolvuntur, & qui fuerant in capite jejunii ejecti ab Ecclesia, hodie in gremium Matris Ecclesiæ recipiuntur. Quia vero Jesus in fine quintæ ætatis venit, qui postea solvit chirographum humani generis, ideo Ecclesia Pœnitentes in quinta feria solvendos esse instituit. Vel quia hodie captus est Dominus & ligatus, ideo ligati hodierna die solvuntur, ut quid enim misericordia ligatur, nisi ut miseros peccatores solveret Pœnitentes? sicut ait Apostolus (a). *Christus pro impiis mortuus est*. Vel quia hodie lavit Dominus pedes Discipulorum, (b) ideo fit hodie solutio Pœnitentium; nam lotio pedum remissionem denotat peccatorum.

De Ordine reconciliationis Pœnitentium.
CXLIII.

FOrma reconciliationis Pœnitentium hac die in nostra Ecclesia talis esse consuevit: hora sexta pulsatur major Campana tribus vicibus per competentia intervalla, ut Populus ad Ecclesiam veniat, & Pœnitentes, qui fuerint absolvendi. Post hoc signum, Campana non tangitur nec ad Matutinum, nec in aliis horis usque in Sabbatum ad Missam post Baptismum; Per Campanas enim Apostolos intelligimus, qui charitatis igne decocti, in protectione Dei cœli, quasi turre fortitudinis commanentes, immo suspensa mente pendentes non tacebant prædicare nomen Domini, sed in passione non solum conticuerunt, sed etiam fugerunt, & veritatem negaverunt. Unde Campanis silentium indicimus a Vespera, qua traditus est Dominus, quia tunc omnes Discipuli fugientes Dominum reliquerunt. Hoc facto. Sacerdos, vel Archipresbyter induatur Pluviali, Diaconus Dalmatica, Subdiaconus Tunica, & interim dum parantur, dicatur ab eis hora sexta, & nona. Postmodum illi tres sic induti vadunt ante januas Ecclesiæ, & ibi super gradum manentes solemniter celebrant Officium reconciliationis Pœnitentium sicut scriptum est in *Libello Processionali*. Consueverunt, & aliquoties esse duo Diaconi unus ex parte Pœnitentium, & alius ex parte Archipresbyteri, ut totum Officium magis solemniter, & expedite celebretur. Tunc autem januæ undique pateant, ut justi & peccatores sine excusatione aditum habeant ad misericordiam accedendi.

De

(a) Rom. V. 6. (b) Joan. XIII. 5. 6. &c. (c) Illustriss. itemque Doctiss. Archiepiscopus Jo. Dominicus Mansi ritum hunc edidit pag. 67., & subseqq. Tom. IV. Miscellaneor. Baluzii.

De reconciliatione Pœnitentium tempore necessitatis. CXLIV.

DE reconciliatione Innocentius Papa (*a*): *De Pœnitentibus*, inquit, *qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam, gerunt, si nulla intervenerit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Item Leo Papa (*b*). *His autem qui tempore necessitatis* (*c*), *periculis urgentibus præsidium Pœnitentiæ, & modos* (*d*) *reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia Misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec ipsa* (*e*) *definire, apud quem nullas patitur invenire* (*f*) *moras conversio, dicente Dei Spiritu per Prophetam.* Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris (*g*). Et alibi: (*h*) Dic (*i*) iniquitates tuas, ut justificeris. *Item* (*k*) quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. *In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec se* (*l*) *accusantium gemitus lacrimasque negligere; cum ipsam pœnitentis* (*m*) *satisfactionem ex Dei credamus inspiratione conceptam.* Et nota, quod Pœnitentes reconciliati crines, & barbam, quam nutrierant, deponunt, & vestes mundas induunt, a Joseph capientes exemplum, [*n*] qui de carcere sublatus tonsus est, lotus, & vestibus decoratus; per hoc quoque innuitur, quod deponentes multitudinem peccatorum induunt vestimenta virtutum.

De celebratione Missæ post Officium Pœnitentialium. CXLV.

POst expletum Officium de reconciliatione Pœnitentium, Episcopus, vel Archipresbyter, aut Præpositus ascendens Pulpitum facit communem sermonem omnibus, monens illos, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent. Postea facta confessione fit de peccatis remissio ge-

---

[*a*] Innocentii I. Epistola, quæ hic allegatur, in Collectione P. Coustant XXV. est: Porro numero 10. ejusdem Epistolæ (pag. 862.) hæc occurrunt. *De Pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romana Ecclesia consuetudo demonstrat.*

[*b*] Leo Magnus in Epist. ad Theod. Forojuliensem olim XCI. in Quesnellii edit. 83. cap. 4.

[*c*] *In periculis urgentis instantia.* Quesn. (*d*) *Mox.* Quesn.

(*e*) *Tempora.* Quesn. multo aptius. (*f*) *Venia* Quesn. (*g*) Isa. XXX. 15. secun. LXX.

[*h*] Is. XLIII. 26. secun. LXX. [*i*] *Tu:* Quesn. [*k*] Ps. CXXIX. 7.

[*l*] Deest vox *se* in Quesn. aptior nostri Ordinis lectio. (*m*) *Pœnitendi affectionem.* Quesn. Præstat nostri Ordinis lectio. (*n*) Gen. XLI. 14.

generalis. Consuetudo namque Ecclesiæ nostræ hac die talis est, ut omni anno singulis de sua Diœcesi ad se venientibus de injuncta pœnitentia unum annum criminalium, & quartam partem venialium condonet. Hoc facto statim Episcopus, vel Archipresbyter præparat se ad Missam cum Diacono, & Subdiacono solemniter in Dalmatica, & Tunica celebrandam. Deinde Cantor cum Schola, mox ut jussum fuerit, incipit ad Missam Introitum. *Nos autem gloriari*. ℣. *Deus misereatur*. Et *Gloria Patri* cum Organo. *Kyrie* dicitur illud, ubi sunt prosæ *Lux, & origo*, & cum Organo. Tunc Dominus Episcopus, si Missam celebrat, dicat *Gloria in Excelsis*, Sed si Episcopus non celebraverit Missam, non dicetur *Gloria in Excelsis*, nec *Credo in unum* (a). Postea dicetur *Dominus vobiscum*. Oratio *Deus a quo & Judas*. Deinde legitur Epistola *Fratres convenientibus vobis in unum*. Graduale *Christus factus est*. ℣. *Propter*. Postea legitur Evangelium secundum Joannem *Ante diem Festum Paschæ*, & ante Evangelium portentur cerei, & incensum sicut mos est. Item *Credo in unum Deum*. Deinde *Dominus vobiscum*. Offertorium *Dextera Domini*. Notandum est autem, quod hac die tot hostiæ debent consecrari, ut ex his possint eo die, & in die Veneris sufficienter haberi. Integræ autem oblatæ Corporis Domini servandæ sunt usque in Parasceven, ut quibus est voluntas communicandi, habeant unde communicent, nam in Parasceve non conficitur; sanguis vero Domini ipso die, scilicet quinta feria, penitus suscipiatur.

Quod Christus hac die vetus Testamentum simul finivit, & novum inchoavit. CXLVI.

Recte fit ista solemnitas Missæ in Cœna Domini, quia hodie cœnans Dominus cum Discipulis, post typicum Agnum, tradidit Corpus, & Sanguinem suum, vetus finiens Testamentum, & inchoans novum, quod docuit fieri in fine quintæ feriæ, adveniente sexta feria, eo quod in fine quintæ ætatis, & in primordio sextæ Lex finem, & Evangelium sumpsit initium. Quia igitur verus Pontifex hodie sacrificium verum, & novum instituit, novumque Testamentum suis hæredibus moriturus Sanguine suo conspersit, ideo sicut Sol interdum inter medias nebulas rutilat, sic Missa inter tristes horas exultat. Nam in medio tristitiæ, quæ per antecedentes, & sequentes horas significatur, sola Missa solemnem concentum, lætumque Ministrorum meretur ornatum, ne quid venustatis Sancto Sacrificio desit, utpote in die suæ institutionis: est enim dies ista solemnior omni alia solemnitate, exceptis solemnitatibus Trinitatis, nam omnes Ministri qui possunt, vestes debent habere solemnes,

(a) Verba hæc; *nec Credo in unum (Deum)* posteriori manu deleta sunt.

mnes, non ſolum ob ſolemnitatem novi Sacrificii, ſed etiam quia perditas ſanctitatis veſtes recuperant Pœnitentes; & quia Chorus Angelicus gaudet de reconciliatione Pœnitentium, & de Unctione credentium, hodie in Miſſa *Gloria in Excelſis* cantatur ab Epiſcopis, qui ſoli habent in hodiernis Sacramentis plenitudinem poteſtatis.

De tribus ſpeciebus Sacræ Unctionis. CXLVII.

HAc etiam die Sacrum Chriſma conficitur, (a) quo Fideles, quibus Domus Dei conſtituitur, in Baptiſmate liniuntur. Tres autem ſunt ſpecies Sacræ Unctionis. *Oleum Infirmorum*, *Oleum Chriſmatis*, & *Oleum Catechuminorum*. Oleum Infirmorum inſtituerunt Apoſtoli, unde in Evangelio ungebant ægrotos Oleo, (b) & ſanabantur? & Jacobus in Epiſtola Canonica (c): *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, (d) ut orent ſuper eum, ungentes eum (e) Oleo Sancto*. Oleum Chriſmatis, & Catechumenorum inſtituerunt Apoſtolici viri. Unde illud prius, iſta poſtea conſecrantur, quia prior, & venerabilior eſt doctrina Apoſtolorum, quàm Apoſtolicorum. Rationabiliter igitur Oleum morientium conficitur, ubi mors Domini conſumatur, ut ſicut mors Chriſti dextruxit autorem mortis, ſic gratia Chriſti, quæ per Unctionem morienti confertur, deſtruat peccata, quæ ſunt cauſa mortis. Oleum infirmorum (f) medelam tribuit Sanitatis. Oleum Chriſmale ſanctificat viventem ex mortuis. Oleum Catechumenorum, vel Exorciſmale jubet Diabolum a Catechumeno recedere. Conficitur autem Chriſma ex Oleo puriſſimo, quod ab amaritudine radicis ſurgit, & apponitur boni odoris balſamum, quod de ligno manat, quia de Chriſto tamquam de ligno, quod (g) *plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, omnia manant odoramenta, quibus per univerſum Mundum flagrat Eccleſia. Hoc perunguntur Chriſtiani, qui veri Reges, & Sacerdotes eſſe debent. In veteri namque Teſtamento ſolummodo Reges, & Sacerdotes ungebantur in figura Chriſtianorum. Chriſma græce, latine dicitur unctio, unde Chriſtianus, ideſt unctus, & habuit Chriſma initium a Veteri Teſtamento, quod præcepit Dominus Moy-

---

(a) Duran. VI. 74. [b] Marci VI. 13. (c) V. 14. (d) *Et orent*; Vulgata.

[e] *Oleo in nomine Domini* Vulg. Hoc tamen diſcrimen intereſt inter unctionem, cujus meminit Marcus, & eam, quam deſcribit Jacobus, quod ea tantum Corpora ſanabat, nec peccatorum remiſſio ei adjuncta erat; *Ungebant Oleo multos ægros, & ſanabant:* at ea, quam commendat Jacobus, peccatorum remiſſionem adjunctam habet. *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Merito itaque hoc Jacobi loco Tridentinum ſeſſ. XIV., & noſtri Theologi utuntur, ut Sacramentum *Extremæ Unctionis* eo ſignificatum moneant.

(f) Num in Eccleſia Senenſi duo Sacrorum Oleorum genera hac die conficerentur, quorum unum ad *Extremæ Unctionis* Sacramentum conferendum, & *morientium* diceretur, aliud ad ſanitatem tantummodo impertiendam, & *Oleum Infirmorum* appellaretur, judicet Lector. (g) Pſal. I. 3.

Moysi facere, ut ex eo Tabernaculum consecraret, Aaron, & Filios ejus & Reges inungeret, unde adhuc Ecclesiæ Chrismate dedicantur, Calices consecrantur, Reges, & Pontifices inunguntur. Recte quoque in Chrismate balsamum commiscetur, & Oleum, quia balsamum doctrinam, Oleum significat vitam. In quolibet enim Chrismate uncto, idest gratia septiformi repleto, debet vita consonare doctrinæ. Fiunt autem istæ unctiones ex eodem liquore, quia idem est Spiritus, qui operatur omnia in omnibus. Est ratio cur hac die Chrisma, & aliæ unctiones consecrantur, quia Christus hodie Mysteria suæ Passionis incepit, per quam totius Ecclesiæ consecratio, & consummatio constat. Merito etiam hac die fiunt, quia hodie Agnus ad Vesperum immolatur, de cujus Sanguine liniebatur uterque postis, (a) ut hoc signo exterminator abscederet, quo signum Crucis præfigurabatur. Vel ideo fiunt in quinta feria, quia Christus in quinta fuit unctus ætate, cujus unctio ex tunc cœpit, quando (b) *Verbum Caro factum est:* Et hæc unctio, quæ hodie conficitur usque ad Baptismum servatur, ut significemus Spiritum Sanctum super Dominum in Baptismo visibiliter descendisse.

De Consecratione Chrismatis, & ejus Processione, & Mysterio agendorum. (c) CXLVIII.

De benedictione Olei, & consecratione Chrismatis in nostra Ecclesia hic ordo servatur. Antequam dicatur in secreta: *Per quem hæc Domine bona creas*, benedicitur Oleum pro Infirmis, quo benedicto perficiuntur omnia in Missa usque ad *Agnus Dei*, sed antequam dicatur, finita Oratione Dominica statim dantur Benedictiones Episcopales. Dicto *Agnus Dei*, & Oleo pro Infirmis reposito, ordinatur Processio hoc modo: Duo Acolithi, vel Sacerdotes deferunt vasa, in quorum altero est Chrisma, & in alio Oleum Infirmorum, & portant ipsas ampullas involutas candidis linteaminibus. Custodes cum Cruce, & Cereis procedant, & Subdiaconus cum Turibulo & ture fumigante sequatur, & Cantor cum aliis Clericis, & sic ordinate euntes, & nihil dicentes, vadunt per Claustrum Canonicæ usque ad majores Januas Ecclesiæ, & ibi extra Cantor stans in limine incipit cantare versus *Audi Judex Mortuorum*, & alium versum *Audi voces*, & Chorus canit *O Redemptor* (d), & tunc aliquantulum procedunt cum ampullis. Deinde cantant versus sequentes, & sic semper post duos versus repetit Chorus *O Redemptor*, donec omnes versus finiantur, & ampullæ reportentur ad Altare, & tunc balsamum Oleo immiscetur, & trina exhalatione facta ab Episcopo in ampulla benedicitur Oleum

(a) Exod. XII. 7. 13. &c. (b) Jo. I. 14. (c) Durand. VI. 74.
(d) Vide Ord. Rom. in Cœna Domini.

Oleum Chrismatis, & postea Oleum pro pueris. Et nota quod ad Processionem ampullæ Chrismatis, & Olei Catechumini deferuntur in sinixtro brachio, quia Christus est conversatus in vita præsenti. Linteamina quibus involvuntur, significant Stolam primam, quæ data fuit filio prodigo, scilicet munditiam animæ, quam in Baptismo recipiunt, qui hoc Sacro Oleo liniuntur. Pallium quod super caput vasa ferentium in quibusdam Ecclesiis fertur, signat umbraculum nubis (a) olim Filii Israel exeuntibus de Ægypto per diem præstitum, & illuminationem ignis per noctem, ut sic baptizatis Mundi tenebras deferentibus gratiæ umbraculum exhibeatur: Cantus prædicationem, & Orationem significat Apostolorum. Cum sindone, antequam veniant ad Altare, media pars cooperiatur, & media denudetur, quia Christus latuit, cum fugit in Ægyptum, & palam se exhibuit cum prædicavit. Chrismate autem consecrato post factam Processionem ipsius, Diaconus accipiens ampullam cum Chrismate elevat eam nudam, & ostendens ipsam Clericis dicit alta voce *Salutate Sanctum Chrisma*, & hoc dicit tribus vicibus semper vocem sublevando, & statim ab Episcopo primum quinquies salutatur, ut Christo de quinque vulneribus referatur actio gratiarum. Cum vero de manu Pontificis ampulla cum Chrismate benedicto recedit, a Clericis nuda, & visibilis salutetur, quia Christus ab ara Crucis præsentiam suam eis exhibuit, quos voluit esse testes suæ Resurrectionis. Cęteris autem invisibilis, & cooperta defertur ad salutandum, quia Christus in Cœlum rediens factus est omnibus invisibilis, qui licet non videatur corporaliter, tamen cotidie adorando salutatur. Quotiescumque autem a Diacono dicitur *Salutate Sanctum Chrisma*: respondetur a singulis *Deo gratias*. Postea Chrismate salutato, vetus Chrisma, & Oleum in lampadibus comburatur, & novum per Presbyteros dividatur.

De Officio, Vespero, & fine Missæ in quinta feria. CXLIX.

AGnus Dei hac die in Missa non dimittitur, sed pacis osculum non datur, nisi præsente Episcopo, quia Judas pacis osculo tradidit illum, qui est vera pax, & fecit *utraque unum*, unde quidam hac die in tertio loco non dicunt *Dona nobis pacem*, sed tantum *Miserere nobis*. Dum autem Communio accipitur, *Agnus Dei* cantetur, & postea Postcommunio *Dominus Jesus*. In quibusdam Ecclesiis multi Clerici, & Laici Religiosi communicant hac die, qua Christus sui Corporis instituit Sacramentum, sed in nostra Ecclesia non communicant nisi qui Episcopo ad Altare ministrant. Ad Vesperum Cantor incipit Antiphonam *Calicem salutaris*. Psalm. *Credidi*. Antiph. *Cum his*. Psalm. *Ad Dominum*. Antiph. *Ab hominibus*. Psalm. *Eripe me*. Antiph. *Custodi me*. Psalm. *Domine clamavi*.

(a) Exod. XIV. 20.

mavi. Antiph. *Considerabam*. Psalm. *Voce mea*. Psalm. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet*; & nota quod in his Vesperis sex Psalmi dicuntur, cum per totum annum in aliis diebus tantum quinque consueverint dici, ideo quia in sexta Mundi ætate Christus venit ad Passionem, & tunc debellavit humani generis inimicum, quod notat Psalmus ille qui ponitur sexto loco. Postea dicitur ℣. *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem*, & respondetur *Mortem autem Crucis*. Ad Magnificat Antiph. *Cœnantibus autem*, & tunc Sacerdos ad Altare reservet in crastinum Hostias consecratas. Sequitur Oratio refecti, ad quam primo dicitur *Dominus vobiscum*, & finitur usque *per omnia sæcula sæculorum*; & ita Vesperum, & Missa sub una Oratione finiantur cum *Ite Missa est* si ab Episcopo Missam celebrante dictum fuerit *Gloria in Excelsis*: si autem Episcopus non celebravit, finietur tantum cum *Benedicamus Domino*.

Qualiter hac die fieri debeat benedictio Mensæ. CL.

POst hæc egressi, facto spatiolo, Fratres ad Mensam Domini Episcopi, si est præsens, cum familia tota pergunt, & ibi incipiunt benedicere Mensam hoc modo. *Edent pauperes, & saturabuntur*, cum *Gloria*, & *Kyrie*, *Pater noster* dicitur. Quo tacite finito, dicit Sacerdos Oremus: *Benedic Domine dona tua*, usque *per omnia sæcula sæculorum*; respondetur *Amen*. Lectio cum benedictione legatur, & cum *tu autem Domine* finiatur. Finito prandio, dicant *Memoriam fecit*, cum *Gloria*, & *Miserere mei Deus*, & cum eo in Ecclesiam vadunt. *Pater noster* cum silentio dicatur; sed si non fuerint ad Mensam Episcopi, in nullo dicitur *Gloria*, nec *Benedicite*, vel *Tu autem* ad Lectionem pronuntiatur.

De ablutione Pedum, & ejus Mysterio. CLI.

SEro post Solis occasum Fratres faciunt mandatum in Capitulo, & ibi Diaconus incipit legere Evangelium *Ante diem Festum Paschæ*, & sint ibi Cerei accensi cum Thuribulo, & omnia, ut in Antiphonario habentur, honeste compleantur. Cur lavatio pedum hac die fiat, hæc causa est: quia sicut in fine quintæ ætatis, sexta incipiente venit Dominus, ita in fine quintæ feriæ, sexta incipiente finit Lex vetus, & incipit nova, eo enim die veteri Pascha finito, novum inchoatur, nam Christus tradens Corpus suum in Pane, & Vino consumandum surgens a Cœna humiliavit se ante pedes Apostolorum & lavit eos, dans nobis exemplum humiliandi ad omnes, etiam ad Superbos, ut non vincamur a malo, sed vincamus in bono malum, idest humilitate superbiam. Unde ipse ait: *Exemplum enim dedi vobis*, & cæt. Hæc autem omnia secundum mysticum

sensum intelliguntur. Nam Christum a Cęna surgere, est ipsum a sinu Patris venire. Vestimenta deponere, se exinanire. Linteum præcingere, formam servi accipere. Aquam in pelvim mittere, Sanguinem suum effundere. Pedes lavare, peccata remittere. Linteo extergere, Passionis fide mundare. Vestimenta resumere, est a mortuis resurgere, & Vestem gloriosæ Carnis induere. Item recumbere, est ascendere, & in dextera Dei sedere, vel illa ablutio pedum, nostrum significat Baptismum, quod Chrismatis unctione perficitur atque confirmatur.

Qualiter Altaria discooperiantur, & quid eorum denudatio significat. CLII.

JAm die ad occasum tendente, & nocte incipiente, Altaria nostræ Ecclesiæ consuevimus discooperire. Discooperiuntur autem cum cantu, de psalmodia pertinente ad Passionem hoc modo. Duo Fratres vadunt primo loco inferius ad Altare B. Bartholomæi, Custode cum lumine, & psalterio præcedente, & unus Fratrum habeat thuribulum cum incenso: & cum ad Altare pervenerint, primo ibi tribus vicibus genua flectentes, incipiunt cantare Antiph. *Diviserunt sibi vestimenta*, & statim tollunt pannos de Altari, eo tamen prius undique incensato. Postea cantata Antiphona incipiunt Psalm. *Deus, Deus meus respice*, & dicto primo ℣. Psalmi, iterum cantatur Antiph. *Diviserunt*, & sic per unumquemque ℣ dicta Antiph. quæ semper cantatur tota, reiteratur donec totum discooperiatur Altare, & eo discooperto, iterum undique incensatur. Deinde accedunt ad aliud Altare, & incipiunt Antiphonam, ut prius, & ℣. Psalmi ubi dimiserunt. Similiter facientes per singula Altaria, donec subtus, & desuper, omnia discooperiantur, & usque in Sabbatum Sanctum sic discooperta relinquuntur. Interim autem Custodes faciunt pannos Altarium ablui: & nota quod Altare Christum significat: sicut enim Altare præeminet Templo, sic Christus Corpori suo, quod est Ecclesia. Cum itaque nudum Altare conspicimus, illud Propheticum ad memoriam revocamus: (a) *Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, & consideravimus eum despectum, & novissimum virorum*, quod accidit in Passione. Vel Altaris despoliatio est Christi denudatio ad Columnam, & ad Crucem, (b) cum diviserunt milites vestimenta ejus, & super ea sortes miserunt, vel Altare nudum significat Christum ab Apostolis derelictum: Unde (c) *qui juxta me erant, de longe steterunt*: nam Altarium vestimenta sunt Sancti, vel Altaris denudatio significat Christum Divinitatis gloria denudatum. Unde (d) *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et clamat caro moritura separationem Divinitatis. (e) Et nota quia in quibusdam Ecclesiis. Altaria

(a) Isaiæ LIII. 2. 3. (b) Matth. XXVII. 35. (c) Psal. XXXVII. 13. (d) Psal. XXI. 1. (e) Ad eum modum hæc verba intelligo, quo celeberrima Ambrosii verba: *Sequestrata divinitas &c.* Vide quæ dixi ad Expositios. Huguccionis *de Symbolo Apostol.* pag. 217. annot. (a)

taria Vino, & Aqua lavantur, ad significandum quod de latere Christi fluxere Sanguis, & Aqua, vel ut ostendatur quod non Joannis, sed suo baptismo Christus fuit baptizatus. Scilicet *ex aqua & Spiritu Sancto*, & Templi parietes, & pavimenta lavantur, quia si Ecclesia homines, pavimenta sunt hominum pedes, qui lavandi sunt, & signant humanos affectus, sine quibus non vivitur. Unde (*a*) *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, & est mundus totus*. (*b*) In Ecclesia vero nostra, nec Altaria, vel Parietes, nec Templi pavimenta lavari consueverunt.

De Completorio, & horarum Silentio, & memoria hujus Noctis.
CLIII.

AD Completorium quod statim dicendum est post Altaria denudata, Psalmi omnes suaviter, & voce submissa dicantur. *Cum invocarem. In te Domine speravi. Qui habitat. Ecce nunc benedicite. Nunc dimittis.* Quo finito, sint prostrati Fratres, & dicant *Pater noster*, & *Credo in Deum*, tacite, & surgentes Psalm. *Deus misereatur nostri* dicant. Postea spargentes aquam benedictam capitibus, iterum se ad Orationem prosternant, & sic surgentes Dormitorium cum silentio petant. Silentium horarum significat illud silentium Apostolorum, quando jam non circuibant vicos, & urbes evangelizando, sed *Hymno dicto* exierunt cum Jesu in Montem Olivarum, quibus cum dixisset Dominus: *Ecce appropinquat qui me tradet, præ tristitia dormitaverunt*, & a Laudibus conticuerunt. Sed cum diurnas horas triste silentium operiat, quare Nocturnas Vigilias melodia coloratur? Respondeo, quia diurnis horis significamus præsentiam Dominicæ Passionis, Nocturnis autem Vigiliis priora tempora designamus, quibus futuram eamdem Passionem Prophetæ prænuntiaverunt, qui quia non tacentes interfecti sunt, iccirco nobis voces illorum proferentibus, candelæ, ut prædiximus, extinguuntur. Meminerint autem Fratres, qualiter Dominus Jesus hanc noctem peregerit, & quid in ea perpessus fuerit, quando scilicet statim post Cœnam traditus, Judici præsentatus, & accusatus, nunc flagellatur, nunc spinis coronatur, nunc illuditur, colaphis ceditur, sputis linitur. Quæ videlicet nox, quia in illius injuria tota expenditur, nequaquam sine Passionis ipsius meditatione a Fidelibus prætereatur.

Quare

(*a*) Joan. XIII. 10. (*b*) De hoc argumento copiose differuerunt Viri præclarissimi Joan. Christoph. Abbas Battellus, & Franciscus Orlendus ex inclyto Ordine Prædicatorum, quos consule.

Quare fiat ligneus sonus in Parasceve, & Sabbato. CLIV.

IN nocte, & in die Parasceve, & Sabbati fit ligneus sonus propter humilitatem, & tristitiam, & terrorem qui Apostolis incutiebatur a Judæis; ideoque Apostoli non sonuerunt prædicando, sed Christus Passione pulsatus de ligno Crucis sonuit. Unde Scarabeus de ligno clamavit. Vel per lignum in ligno, malleum scilicet in tabula suspensum, intelligimus Christum, qui est lignum pulsatum (a) *secus decursus aquarum*, qui in Crucis (b) *ligno pependit*. Solum ergo lignum pulsatur, quia solus *torcular calcavit*. (c) Vel in sono ligneo Salvatoris innuitur humiliatio, est enim humilior sono æris.

De Officio hujus Noctis. CLV.

QUidquid de hora surgendi, de Nocturnali Officio, de tenebris faciendis, vel de Oratione, sicut pridie diximus, eodem ordine hac nocte totum fiat. Incipitur autem hoc Officium quasi ex improviso, & sine ordine, quia Judæi sine causa, & inordinate irascentes Christum condemnaverunt. Cum igitur Fratres in Ecclesiam convenerint, facta Oratione Cantor incipit Antiph. *Astiterunt*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Diviserunt*. Psalm. *Deus, Deus meus respice*. Antiph. *Insurrexerunt*. Psalm. *Dominus illuminatio*. ℣. *Diviserunt*. In secundo Nocturno Antiph. *Vim faciebant*. Psalm. *Domine in furore*. Antiph. *Confundantur*. Psalm. *Expectans*. Antiph. *Alieni*. Psalm. *Deus, in nomine*. ℣. *Insurrexerunt*. In tertio Nocturno Antiph. *Ab insurgentibus*. Psalm. *Eripe me de inimicis*. Antiph. *Longe*. Psalm. *Deus, Deus salutis*. Antiph. *Captabunt*. Psalm. *Deus ultionum*. ℣. *Locuti sunt vanitates*. Primæ tres Lectiones leguntur de lamentationibus Jeremiæ, ubi ait: *Cogitavit Dominus dissipare*. Tres in medio de Tractatu B. Augustini super Psalm. *Exaudi Deus Orationem meam, dum tribulor*. Tres ultimæ de Sermonibus, ubi dicitur: *Decursis dilectissimi*. ℟. de propria Historia *Omnes amici mei*. Nonum ℟. *Vadis propitiator*, aut ℟. *Circumdederunt*. Finito Responsorio statim incipitur in Laudibus Antiph. *Proprio Filio*. Psalm. *Miserere mei*, & cæter. ℣. *Christus factus est*. Ad Benedictus Antiph. *Posuerunt super Caput*, & statim lampades extinguuntur, & lumen absconditur, & postea *Kyrie* cum prosis dicitur, ut supra dictum est in quinta feria. Deinde dicto *Pater noster*, & *Miserere mei Deus*, statim dicunt Psalmos ad Primam, & finiunt eos sine gloria, & non dicitur *Kyrie*, sed post Psalm. dicitur *Pater noster*,

---

[a] Fortasse ligneum instrumentum, quo Passionis tempore hodieque utimur, *Scarabeus* appellabatur. [b] Ps. I. 3. (c) Isa. LXIII. 3.

noster, & *Miserere*, & Oratio *Respice Domine super familiam*. Finitis Nocturnalibus Officiis, hac die, & sequenti, post Primam dictam non intratur Capitulum ad aliquid dicendum, sed qui volunt, consueverunt ire dormitum.

De Officio in hora Tertia in die Parasceve. CLVI.

Consuetudo nostræ Ecclesiæ talis est hac die, quod in hora tertia tabula circumquaque pulsatur, ut Populus ad Ecclesiam conveniat: quo facto, cum Fratres in Choro fuerint, facta Oratione, primo loco dicunt Psalmos de hora tertia, & ipsam finiunt ordine supradicto. Diaconus vero præparat se ad Passionem legendam, dicta hora tertia, interim dum Diaconus se præparat, Cantor cum duobus fratribus in Choro incipiunt suavi voce cantare ℟. *Ingressus Pilatus*. ℣. *Tunc ait illis*, & totum cum Organo, & eo finito, Cantor reincipit ℟. *Ingressus*. Hoc facto Diaconus incipiat legere Passionem, quæ sic incipit: *Erat autem Pascha*, & legitur sine salutatione, & sine titulo secundum quosdam quia capite diminuti sumus, & non respondetur *Gloria tibi Domine*. Lecta Passione dicunt Fratres Psalmos de hora sexta, & post revertuntur in Claustrum; nihil enim aliud tunc dicitur, & Populus cum vult, recedit. Quia tamen nulla hujus diei hora Passione Christi omnino fuit vacua, sic nobis per singulas congrua de illo meditandi occurrat memoria, ut quando Sputa, Probra, Colaphos, Alapas, Spineam Coronam, Flagella, Crucem, Clavos, Fel, Acetum, Lanceam, Mortemque pertulerit, jugiter recordemur, & tota hac die in his assidue meditemur.

Quid sit Parasceve, & qualiter hac die nos regere debeamus. CLVII.

(a) Egredimini Filiæ Sion, *& videte Regem in diademate, quo coronavit eum Mater sua*. Sicut in sexta die Deus (b) *formavit hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, sic in sexta ætate, & sexta feria deformatum reformavit, captivatum a Diaboli potestate redemit. Dum pro nobis, non pro se Crucifixus (c) *Languores nostros tulit, & dolores ipse portavit*: & hæc est illa sexta feria quæ sibi nomen *Parasceven* antonomastice vendicavit. *Parasceve* præparatio interpretatur, omnis enim sexta feria *Parasceve* dicebatur a Judæis inter Græcos dispersis, eo quod in sexta feria præparabant quæ forent in Sabbato necessaria, juxta quod de Manna fuerat eis præceptum. Scilicet. (d) *Sexta*

(a) Cant. III. 11. (b) Gen. I. 26. 27. (c) Isa. LIII. 4.
(d) Exod. XVI. 5.

ta die colligetis ex eo duplum, quoniam in Sabbato non licebat cibos præparare, sic nec Manna colligere. Hæc itaque sexta feria specialitate quadam *Parasceve* sibi nomen retinuit, quia hac die Dominus nobis, & pro nobis obtulit illud Manna dulcedinis, quod nobis sufficiat ad Sabbatum æternitatis. Videtur autem quod ad instar Passionum Sanctorum Martyrum, quas cum gaudio celebramus, hæc Christi Passio sit excellentiori tripudio veneranda, ut cum Apostolo (*a*) *Gloriemur in Cruce Domini Nostri Jesu Christi*, sed cum dixisset Dominus (*b*) *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini*, differendum est gaudium nostræ Redemptionis usque in diem tertium, quo Christus victor a Mortuis Resurrexit, ut tunc pro animarum Redemptione quæ hodie patrata est, & Corporum Resurrectione, quæ illa die est condita, solemnitas Ecclesiæ, quasi pro duplici munere geminetur. Hac vero die unusquisque tristitiam repræsentet, ambulet demisso capite propter conscientiam culpæ, (*c*) solvamus cum Moyse calceamenta de pedibus, ut audiamus Christum de medio rubi dicentem: (*d*) *Videns vidi afflictionem Populi mei, & gemitum eorum audivi, & descendi liberare eum*. Non salutet unus alium, unde nec hac dicendum est die *Dominus vobiscum*, nec osculetur, quia Judas cum salutatione, & pacis osculo tradidit Dominum: a mane usque ad Nonam teneamus profundum mœroris amicum silentium cum sollicitudine meditationis recolentes pugnam, & opprobria Salvatoris. Nam Moyses ait: (*e*) *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. Hora nona vero quia Dominus moriturus (*f*) clamavit. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, (*g*) & Centurio dixit: *Vere Filius Dei erat iste*. (*h*) Et (*i*) Joseph, & Nicodemus (*k*) acceperunt Corpus, & involverunt linteis cum aromatibus, quia licuit his, & aliis Discipulis appropinquare, & funeri quærelas depromere, delapsis persecutoribus diutino spectaculo satiatis, vel per miracula territis, hac, inquam, hora conveniamus, ut funeri planctum funebrem exhibeamus hoc modo.

Qualiter Officium fiat in hora Nona in die Parasceve. CLVIII.

IN hora nona, finitis Psalmis illius horæ, Cantor incipit ℟. *Vadis propitiator*. ℣. *Omnes Populi*. Quo finito, & Cantor reincipit. *Vadis propitiator*. Quædam tamen Ecclesiæ in sexta hora Officium incipiunt, & in nona finiunt, hac ratione, quia Christus hac die sexta hora fuit Crucifixus, (*l*) & in nona expiravit. (*m*) Interim vero donec ℟. cantatur, Sa-

(*a*) Gal. VI. 14. (*b*) Jo. XVI. 20. (*c*) Exod. III. 5.
(*d*) Exod. III. 7. 9. [*e*] Exod. XIV. 14.
(*f*) Matth. XXVII. 47. (*g*) Luc. XXIII. 46. (*h*) Ibidem 47.
[*i*] Ibid. 50. [*k*] Jo. XIX. 38. 39. (*l*) Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 33. Luc. XXIII. 44. (*m*) Matth. XXVII. 46. 50. Marci XV. 34. 36.

Sacerdos indutus Alba, & Stola cum Manipulo, & desuper Pluviali; Diaconus Alba, & Stola cum Manipulo, & sine Dalmatica. Subdiaconus Alba, & Manipulo sine Tunica, & ita induti veniunt ad Altare, super quod ponitur linteum mundissimum, quod protenditur ab anteriori, & posteriori parte Altaris, & a latere uno ponitur unus pannus, & alius ab altero; & statim primo loco dicit Presbyter *Oremus*, & Diaconus *Flectamus genua*, & *levate*. Deinde Presbyter dicit Orationem *Deus, a quo*. Postea legitur Prophetia, & non pronuntiatur nomen Prophetæ, sed quasi absque capite Acolythus incipit legere *In tribulatione*, quia caput Ecclesiæ nobis aufertur. Finita lectione canitur Tractus *Domine audivi*, & interim Sacerdos sedeat, & habet hic Tractus quatuor versus, ad significandum quatuor cornua Crucis, quibus Christus constans ex quatuor elementis affigitur inter duos latrones, unde ibi habetur. *In medio duorum animalium*. Deinde surgens Sacerdos dicit *Oremus*, & Diaconus *flectamus genua*, & dicto *levate*, Sacerdos dicat Orationem *Deus, qui peccati veteris* usque *per omnia sæcula sæculorum*. Postea Subdiaconus legit sine titulo aliam Prophetiam de Exodo. *Dixit Dominus ad Moysen*: Deinde canitur Tractus *Eripe me Domine*. Duæ Lectiones leguntur, & duo Tractus cantantur pro utroque Populo, Judaico scilicet, & Gentili, de quibus constat Ecclesia, in Christo angulari lapide conjuncta. Vel duo, pro salute corporis, & animæ. Cantato Tractu, Diaconus incipit legere Passionem sine Dominus vobiscum, propter Judæ salutationem, & pronuntiat ita, *Passio Domini Nostri Jesu Christi secundum Joannem*, & non respondetur. Secundum quosdam tamen legitur sine titulo, quia capitis patimur diminutionem. Merito autem legitur hodie Passio secundum Joannem, tum quia ultimo post alia scripsit, tum quia Passioni præsens interfuit, & juxta *Crucem* stetit, cui (*a*) Virgini Matrem Virginem Dominus commendavit. Rationabiliter igitur legitur hodie testimonium ipsius, *qui vidit, & testimonium perhibuit, & scimus* (*b*), *quia verum est Testimonium ejus*. Cum autem legitur Passio, & Diaconus pervenerit ad locum, ubi dicitur *Diviserunt sibi Vestimenta*: Custos removeat pannos, qui positi fuerunt a lateribus in Altari; & nota quod remotio pannorum, fugam significat Apostolorum qui erant quasi vestes Christi, nam (*c*) Petrus negavit: (*d*) Joannes nudus aufugit. Sindon autem, quæ remanet super Altare ad Passionem, significat Joannem, qui cum Christo permansit usque ad Crucem.

S *De*

(*a*) Jo. XIX. 25. 26. 27. (*b*) Jo. XXI. 24. (*c*) Matth. XXVI. 70. &c. (*d*) Marc. XIV. 51. At putant plerique non fuisse Joannem, qui nudus aufugit, sed juvenem alium curiositate permotum.

De Orationibus quæ post Passionem dicuntur in Parasceve. CLIX.

Finita Passione incipit Sacerdos Orationem dicens *Oremus dilectissimi Deum Patrem*; qua finita non dicit *per Dominum*, sed incipit aliam Orationem planius, & quasi flebili voce dicens *Oremus*, & Diaconus *Flectamus genua*, & stent omnes tantum genu flexo, donec tota Oratio finiatur, qua finita, Diaconus dicit *Levate*. Demum Sacerdos dicat *per Dominum*, & Chorus respondeat *Amen*. Postea Sacerdos incipiat aliam Orationem altiori voce, & dicat, & finiat eam eodem modo quo & primam. Deinde dicat aliam, sicut prius, & ita omnes dicantur, & finiantur per Ordinem præter illam ubi dicitur *pro perfidis Judæis*, ad illam enim non dicitur *Flectamus genua*, ne videamur illudere Christum, & illusioni Judæorum consentire, & ipsum adorare simulate, ut ipsi faciebant, qui insultantes ei flectebant genua, & capita sua, derisorie dicentes. *Ave Rabbi* (a), & nos Judæorum flexionem vitamus, ut simulationem, & illusionem fugiendam esse monstremus; vel quia cæcitas quæ contigit in Israel nulla potest oratione depelli, donec plenitudo Gentium subintraverit, non ideoque est pro eis vehementer orandum, sed utcumque sine genuflexione, quia futurum est, ut qui est exaltatus in Cruce omnia trahat ad se. Ad alias Orationes flectimus genua, quia omnes nationes Christo genua curvare monstramus: vel ut per habitum corporis ostendamus devotionem, & humilitatem mentis. Ideo autem prælecta Passione tot Orationes dicuntur, quia cum tribulamur ab inimicis, semper recurrendum est ad Orationem, & oratur pro omnibus, quia Christus pro omnibus crucifigitur, & in ara Crucis oblatus pro cunctis oravit, & ideo nos hodie pro cunctis Orationes offerimus juxta illud: (b) *Data sunt ei incensa multa*: & nota quod primæ Orationes, quæ præmittuntur, non sunt Orationes, sed quasi Præfationes, & exhortationes, & in modum Præfationis, & altiori voce dici consueverunt, quæ omnes incipiunt ab *Oremus*, in quibus ostenditur pro quibus in sequentibus Orationibus orare velimus. Unde tantum in fine sequentium Orationum, quæ submissa voce dicuntur, respondetur *Amen*. Item ad nullam Orationem hodie prædicitur *Dominus vobiscum*, quæ proprie est vox Sacerdotis, quia Sacerdos, & Dominus noster occiditur. Sunt autem tantum octo Orationes, in quibus dicitur *Flectamus genua*, & in novem collectis pro omni genere hominum supplicatur, pro his qui in Christianis statibus sunt, ut perseverent, pro his qui nondum intraverunt ut intrent: pro his qui recesserunt, ut redeant. Congrue autem sunt novem, quia centesima ove aut drachma decima perdita, nonaginta novem oves, aut novem drachmæ reman-

(a) Matth. XXVII. 29. *Et genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum*. (b) Apocal. VIII. 3.

remanserunt, sed ut novenarii imperfectio compleatur, pro Ove centesima vel drachma decima supplicatur ab Ecclesia in his collectis: duplicantur autem istæ collectæ sicut Lectiones, & Tractus pro simili & eadem causa, & una cantatur alte, alia legitur voce submissa, quia majorem dilectionem ostendit Christus, & Apostoli Judæis quàm Gentibus, quod apparuit, cum (a) infremuit, & lacrimatus est pro eis.

De Officio Crucis, quod fit post Orationes in Parasceve. CLX.

Expletis Orationibus Crux suscipiatur a Sacerdote. In dextero latere Altaris Diaconus, in sinistro Subdiaconus, ita eam tenentes juxta Altare incipiant æquali voce cantare *Popule meus quid feci tibi:* & alia *Quia eduxi te de Terra Ægypti*. Quibus finitis, Chorus incipiat cum magna reverentia, & genu flexo *Agios*, *O Theos*, *Agios*, *Hysteiros*, (b) *Agios Athanatos Eleyson*, (c) *Ymas*. Vel potius duo Fratres stantes in medio Chori cantent *Agios*, & *Sanctus*, & ipsi non flectant tunc genua, ne impediantur voces eorum, alii vero qui sunt ad sedes, & superius, ipsis cantantibus flectant genua; & totus Populus similiter ad singula *Sanctus*. Idem Chorus adhuc dicat cum genu flexo. *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus*, *& immortalis miserere nobis*. Iterum illi, qui tenent Crucem juxta Altare, aliquantulum procedant, & dicant *Quia eduxi te per Desertum*, usque *parasti Crucem Salvatori tuo*. Postea Chorus reincipiat eo ordine, ut dictum est, *Agios* tribus vicibus. Similiter *Sanctus Deus*, ut in Antiphonario habetur. Demum qui bajulant Crucem ante Altare procedant, & dicant *Quid ultra debui facere*, usque *Salvatori tuo*, & Chorus iterum dicat *Agios*, *Sanctus*. Notandum quod Salvator contra Judæorum accusationes tres objicit exprobrationes, quæ de Michæa sumuntur. Scilicet (d) *Popule meus*: *Quia eduxi*. *Quid ultra debui*. Ubi exprobrat eis beneficia sua: Scilicet liberationem de Ægypto, regimen in Deserto, introductionem in Terram optimam, ac si dicat, accusas me de negatione tributi; potius deberes agere gratias, quia te liberavi de servitute Ægypti; accusas, quod me Regem feci, potius deberes agere gratias, quia te in Deserto regaliter pavi, accusas, quia dixi me Filium Dei, potius deberes agere gratias, quia terram lacte, & melle manantem contuli tibi. Tres quoque illusiones ei fecerunt. (e) Prima fuit quando velata facie colaphis eum cędebant: (f) Secunda quando milites flexis genibus eum adorabant dicentes *Ave Rex Judæorum*, quod Judæis ascribitur, quia causam dederunt (g): tertia quando pendenti in Cruce dicebant: *Vah qui de-*

(a) Joan. XI. 33. (b) Ischyros. (c) Imas. (d) VI. 4. 5.
(e) Matth. XXVI. 67. (f) Matth. XXVII. 29.
(g) Ibidem 40.

ſtruis Templum Dei. Contra has tres illuſiones ter præmittimus adorationes. *Agyos. Sanctus. Deus*, & hoc in duabus linguis Græca ſcilicet & Latina, nam tertia ſilet Hæbrea. Unde qui cantant ſupradictas Antiphonas Crucem illò deferunt, ubi Græce & Latine reſpondetur, & devote adoratur, quia Dominus Crucifixus tranſivit a perfidia Judæorum ad Confeſſionem, & devotionem Gentium, portantibus illum innocentibus Apoſtolis, & cantantibus, ideſt totis viribus opprobrium Crucis confitentibus, & prædicantibus, interdum tamen perſecutionum pondere feſſis aliquantulum quieſcentibus; unde qui Crucem portant, nunc eunt, nunc ut feſſi ſubſiſtunt.

De his, quæ cantantur quando Crux in Paraſceve primitus demonſtratur. CLXI.

HIs quæ ſupra diximus, decantatis, ſtatim illi tres qui tenent Crucem incipiant diſcooperire eam, & velamen auferre, & ſolus Sacerdos cantet hanc Antiph. *Ecce lignum Crucis;* & ea finita, Diaconus, & Subdiaconus juxta eum cantent Pſalm. *Beati immaculati*. ℣. *Beati qui ſcrutantur*. *Non enim qui operantur*. Statim autem cum incipit Sacerdos cantare dictam Antiphonam, tàm Clerus quàm Populus proſternant ſe ſuper faciem terræ oſculantes eam, & ſimul adorantes ſignum noſtri Salvatoris, ut oſtendant Chriſtum Deo Patri pro nobis uſque ad mortem humiliatum, & ipſum Jeſum imitentur, & converſi omnes ad Crucem, cum viderint Dominum Crucifixum, extenſis brachiis, ad exemplum nos ſuæ reconciliationis invitantem; & fons ille pietatis manans de latere pendentis Domini, patens in ablutionem peccatorum intuentium oculis occurrerit, quanto devotionis affectu, erga tantum beneficium incitentur, oſtendant. Item Sacerdos tenens Crucem aliquantulum procedat, & altius reiteret Antiph. *Ecce lignum;* & finita Antiphona Diaconus, & Subdiaconus proſequantur Pſalmum *Tu mandaſti: Utinam dirigantur: Tunc non confundar*. Item adhuc Sacerdos cum Cruce parumper procedens altiori voce repetat Antiph. *Ecce lignum*, & conſequenter Miniſtri finiunt Pſalmum. ℣. *Confitebor*. ℣. *Juſtificationes*. His dictis Chorus cantet alias Antiphonas, ſcilicet *Crucem tuam adoramus Domine*. ℣. *Deus miſereatur noſtri*, aliam Antiph. *Adoramus Crucem tuam*, & *Signum de Cruce tua*. ℣. *Cum eſſes inviſibilis propter nos, adoramus*. Antiph. *Laudamus te Chriſte*. ℣. *Quia de Cælo deſcendiſti*. *Laudamus*, *Adoremus Crucis ſignaculum per quod*. *Cum Fabricator Mundi*. Antiph. *O quando in Cruce confixerunt*. Antiph. *Ego pro te flagellavi: popule meus*, & ſic omnes ℣. dicantur donec finiantur. *Crux benedicta nitet qua Dominus*. Hymnus *Pange lingua glorioſi*, & ita omnia compleantur, ut in Antiphonario habentur. Interim autem, dum iſta cantantur, Crux, ubi adorari debeat, collocetur, & in quibuſdam Eccleſiis tunc ſtatim a Clericis adoratur.

De

De Velamine Crucis, & Sermone ad Populum faciendo. CLXII.

Velamen, quod a Cruce aufertur, signat illud quod fuit super faciem Moysi, hoc est illud quo se Dominus a Judæis abscondit, quod revelatum est quando (a) *Velum Templi scissum est*, quod etiam Dominus revelavit quando in Cruce pependit, ideoque dixit (b), *Consummatum est:* nam ante Passionem omnia Christianæ Fidei Sacramenta, & tota Legis Doctrina latebat sub littera, sed in Passione sunt omnia revelata. *Tunc Vexilla regis prodeunt*, quæ antea latuerunt. Tunc & (c) *Dominus revelavit* quando sensum Scripturarum aperuit. Pulcre autem in quibusdam Ecclesiis cortinæ, quæ suspensæ fuerant in Ecclesia ab initio Quadragesimæ, hodie auferuntur, quia Christus hac die passus est, & virtute suæ Passionis Sacramenta patuerunt, & figuris cessantibus, quæ de Christo prius occulta fuerant, aperta sunt. Rationabiliter etiam expectant ea hora Cortinas, & velamina deponere, qua in Passione dicitur (d) *Velum Templi scissum est*. Crux denudata salutatur quia per Crucem salus hominibus reformatur, & sicut a Judæis incredulis deridebatur, sic nunc a Fidelibus adoratur. Sed cum Dominus in Asina fuerit honoratus, & in Cruce dehonestatus, quare Crucem, & non Asinam adoramus? Respondeo, honor in Asina terrenus erat, & salus non inde prodibat, sed opprobrium in Cruce nostra salus erat. Hic est gladius David, de quo Goliam cecidit, qui diu fuit servatus, & in honore habitus. Ita Crux qua Diabolus occiditur, honoratur, adoratur, idest cum reverentia salutatur, & osculatur, & hæc species adorationis *Dulia* vocatur, quæ debetur etiam Creaturis: est alia, quæ *Latria* nuncupatur, qua solus Deus est adorandus. Illis omnibus cantatis in Choro, quæ post Crucis ostensionem fuerunt incæpta, Episcopus, vel unus ex aliis qui præsunt majori Ecclesiæ, faciat Sermonem ad Populum *de pace*, & de *Discordia*, & ad concordiam revocare summopere studeat, ut digne Sacramento reconciliationis humanæ interesse valeant: quo enim animo Christianus vulnera Redemptoris sui, quæ pro se passus est, poterit aspicere, vel adorare, qui in se peccanti non vult dimittere, nec ad pacem redire? Hic tam obstinatus, & tam suo Redemptori ingratus merito erit usque ad dignam satisfactionem, a Communione, & ab Adoratione Passionis Christi, quem contemnit, removendus. Quo facto, addatur Populo sola Confessio, aliis prætermissis, quæ diebus Dominicis dici consueverunt, sed post Confessionem, more solito indulgentia non prætermittatur a Sacerdote.

Qua-

[a] Matth. XXVII. 51. (b) Jo. XIX. 30. [c] Luc. XXIV. 25. 26. 27. 32. [d] Matth. XXVII. 51.

Quare hac die Corpus Domini non consecratur. CLXIII.

INnocentius Papa Primus dicit *(a) Isto biduo Sacramenta non celebrari;* nec enim decet, ut ea *die Veritas immoletur*, qua per se ab Infidelibus dignata est immolari. Dicit etiam Amalarius: *(b)* Ideo hac die Missa non cantatur, quia Apostoli hoc biduo latuerunt propter metum Judæorum, & jejunaverunt. Ergo traditio Ecclesiæ habet, isto biduo penitus non celebrari Sacramenta, vel quia sublatus est hodie verus Sacerdos, descendit enim ad Inferos: vel quia ablata est hostia de manibus Christi, & nostris. Non ergo sacrificent amici, dum trucidant inimici; Vel quia Velum Templi scissum est, & Altare destructum: vel quia Moyses ait: *(c) Vos tacebitis, & alius pugnabit pro vobis:* scilicet Christus. *(d) Torcular enim calcavit solus.* Cum igitur hac die non sit Corpus Domini conficiendum, ad hanc diem est causa triplici reservandum. Prima est propter infirmos, ne aliquis decedat sine Viatico. Secunda est propter Religiosos, qui his tribus diebus communicantur, Tertia est propter Officium adimplendum. Species autem vini causa triplici non reservatur. Prima est, quia de facili negligentia laberetur. Secunda est, quia dixit Dominus in Cœna: *(e) Amodo non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam novum in Regno Patris mei.* Tertia est quia pro pane, novum intelligimus Testamentum, per vinum, vetus, ad quod significandum cum bibisset Dominus, inquit: *Consummatum est.* Ergo Calix finitur, & panis serva-

---

[a] Innocentius I. Epistol. XXV. quæ ad *Decentium* missa est [num. 7. pag. 859. Tom. I. Epistolarum *Roman. Pontif.* ab Egregio Petro Coustant editarum] hæc tradit. *Utique constat, Apostolos biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habet, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.*

(b) Sensum Verborum Amalarii potius quàm verba ipsa mihi videtur hic Ordo allegare. Verba Amalarii (Lib. I. *Eccles. Offic.* cap. 15.) hæc sunt. *In superius memorato libro inveni scriptum, ut duo Presbyteri afferant post salutationem Crucis Corpus Domini, quod pridie reservatum fuit, & Calicem cum Vino non consecrato, quod tunc consecretur, & inde communicet populus; de qua observatione interrogavi Romanum Archidiaconum, & ille respondit;* in ea statione, ubi Apostolicus salutat Crucem, nemo ibi communicat. *Qui juxta Ordinem libelli per commixtionem panis, & vini consecrat vinum, non observat traditionem Ecclesiæ, de qua dicit Innocentius, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari: percussus est pastor, oves gregis dissipata sunt. Pastores qui videntur esse in Ecclesia, declinatione sui Officii demonstrant statum illius temporis, qui tunc agebatur apud discipulos Christi.*

(c) Exod. XIV. 14. (d) Isa. LXIII. 3.

(e) Matth. XXVI. 29. Marci XIV. 25.

servatur, eo quod Lex finem, & Evangelium habet initium: novis enim supervenientibus vetera transiere. Item dicit Amalarius: (a) hac die *Corpus Domini qui pridie remansit, affertur Presbytero, & Calix cum vino non consecrato*. In Calice consumpto quinta feria, potest intelligi finis legis, quamvis simpliciter possit dici, vinum non retineri ideo quia facilius labitur quàm panis. Pannus extensus super Altare, Corpus Domini monstrat extensum in Cruce, vinum, & aqua in Calice, Sacramenta, quæ de latere Domini fluxerunt. Vel ideo hac die non consecratur, sed quod reservatum est, offertur, quia per ustionem Passionis coquebatur verus panis, qui intra septa uteri Virginalis fuerat formatus, ut in die Resurrectionis vere formatus, & coctus exhiberetur panis vitæ, qui dat Mundo salutem. Unde in ipso Resurrectionis die consueverunt Christiani solemniter ad Communionem accedere. Quod autem in memoriam sepulturæ ejus Corpus Dominicum a quinta feria reservatum, a fidelibus in sexta consumitur, designat quia a Fidelibus nihilominus ea die sepultus est: nec reservatur Sanguis, eo quod ab infidelibus est effusus.

De Officio Missæ, & Vesperis in Parasceven. CLXIV.

FActa Prædicatione, & Confessione Populo, Sacerdos indutus casula, & Diaconus & Subdiaconus albis induti veniunt ante Altare, & ibi facta Confessione sicut mos est, Diaconus extendit Corporale super album pannum, qui positus est super Altare, & in loco convenienti in Sacrario. Subdiaconus præparat Calicem cum vino non consecrato, & imposito diligenter super patenam, & reverenter Corpore Domini, idest integris oblatis, quæ servatæ sunt consecratæ pridie, desuper particulam Corporalis imponat, quia dignum est, ut Corpus Domini, in quo est tota salus nostra, & redemptio, cum summa reverentia tractetur. Præcedat quoque ante Subdiaconum qui portet ampullam aquæ, & cum pervenerint ad Altare, Diaconus accipiens corporale ponit in Altari, & postea sumens patenam cum Corpore, offert eam Sacerdoti. In offerendo taliter apud se dicat: *Hoc Corpus, quod pro vobis tradetur, hic Calix novi Testamenti est in meo Sanguine dicit Dominus. Hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem*. Demum Diaconus accipiat Calicem, & eo tenente ipsum coram Sacerdote, Sacerdos misceat ibi aquam. Nam ut dicit Alexander Papa Primus, (b) *Non debet in Calice Domini, aut vinum solum*,

(a) Recole paulo ante allegata Amalarii verba.

(b) Traditur id quoque in Decreto Gratiani: *De Consecratione*: distinct. 2. cap. 1. *In Sacramentorum*. Revera Capite IV. Epistolæ I. Alexandro I. tributæ (col. 548. Tom. I. Concil. edit. Albritii) hæc extant. „ In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus Corpus, & Sanguis

Quare hac die Corpus Domini non consecratur. CLXIII.

INnocentius Papa Primus dicit (*a*) *Isto biduo Sacramenta non celebrari;* nec enim decet, ut ea *die Veritas immoletur*, qua per se ab Infidelibus dignata est immolari. Dicit etiam Amalarius: (*b*) Ideo hac die Missa non cantatur, quia Apostoli hoc biduo latuerunt propter metum Judæorum, & jejunaverunt. Ergo traditio Ecclesiæ habet, isto biduo penitus non celebrari Sacramenta, vel quia sublatus est hodie verus Sacerdos, descendit enim ad Inferos: vel quia ablata est hostia de manibus Christi, & nostris. Non ergo sacrificent amici, dum trucidant inimici; Vel quia Velum Templi scissum est, & Altare destructum: vel quia Moyses ait: (*c*) *Vos tacebitis, & alius pugnabit pro vobis:* scilicet Christus. (*d*) *Torcular enim calcavit solus.* Cum igitur hac die non fit Corpus Domini conficiendum, ad hanc diem est causa triplici reservandum. Prima est propter infirmos, ne aliquis decedat sine Viatico. Secunda est propter Religiosos, qui his tribus diebus communicantur, Tertia est propter Officium adimplendum. Species autem vini causa triplici non reservatur. Prima est, quia de facili negligentia laberetur. Secunda est, quia dixit Dominus in Cœna: (*e*) *Amodo non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam novum in Regno Patris mei.* Tertia est quia pro pane, novum intelligimus Testamentum, per vinum, vetus, ad quod significandum cum bibisset Dominus, inquit: *Consummatum est.* Ergo Calix finitur, & panis serva-

---

[*a*] Innocentius I. Epistol. XXV. quæ ad *Decentium* missa est [num. 7. pag. 859. Tom. I. Epistolarum *Roman. Pontif.* ab Egregio Petro Coustant editarum] hæc tradit. *Utique constat, Apostoloc biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occoluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesia habet, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.*

(*b*) Sensum Verborum Amalarii potius quàm verba ipsa mihi videtur hic Ordo allegare. Verba Amalarii (Lib. I. *Eccles. Offic.* cap. 15.) hæc sunt. *In superius memorato libro inveni scriptum, ut duo Presbyteri afferant post salutationem Crucis Corpus Domini, quod pridie reservatum fuit, & Calicem cum Vino non consecrato, quod tunc consecretur, & inde communicet populus: de qua observatione interrogavi Romanum Archidiaconum, & ille respondit* ; in ea statione, ubi Apostolicus salutat Crucem, nemo ibi communicat. *Qui juxta Ordinem libelli per commixtionem panis, & vini consecrat vinum, non observat traditionem Ecclesia, de qua dicit Innocentius, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari: percussus est pastor, oves gregis dissipata sunt. Pastores qui videntur esse in Ecclesia, declinatione sui Officii demonstrant statum illius temporis, qui tunc agebatur apud discipulos Christi.*

(*c*) Exod. XIV. 14. (*d*) Isa. LXIII. 3.

(*e*) Matth. XXVI. 29. Marci XIV. 25.

ſervatur, eo quod Lex finem, & Evangelium habet initium: novis enim ſupervenientibus vetera tranſiere. Item dicit Amalarius: (*a*) hac die *Corpus Domini qui pridie remanſit, affertur Presbytero, & Calix cum vino non conſecrato*. In Calice conſumpto quinta feria, poteſt intelligi finis legis, quamvis ſimpliciter poſſit dici, vinum non retineri ideo quia facilius labitur quàm panis. Pannus extenſus ſuper Altare, Corpus Domini monſtrat extenſum in Cruce, vinum, & aqua in Calice, Sacramenta, quæ de latere Domini fluxerunt. Vel ideo hac die non conſecratur, ſed quod reſervatum eſt, offertur, quia per uſtionem Paſſionis coquebatur verus panis, qui intra ſepta uteri Virginalis fuerat formatus, ut in die Reſurrectionis vere formatus, & coctus exhiberetur panis vitæ, qui dat Mundo ſalutem. Unde in ipſo Reſurrectionis die conſueverunt Chriſtiani ſolemniter ad Communionem accedere. Quod autem in memoriam ſepulturæ ejus Corpus Dominicum a quinta feria reſervatum, a fidelibus in ſexta conſumitur, deſignat quia a Fidelibus nihilominus ea die ſepultus eſt: nec reſervatur Sanguis, eo quod ab infidelibus eſt effuſus.

De Officio Miſſæ, & Veſperis in Paraſceven. CLXIV.

FActa Prædicatione, & Confeſſione Populo, Sacerdos indutus caſula, & Diaconus & Subdiaconus albis induti veniunt ante Altare, & ibi facta Confeſſione ſicut mos eſt, Diaconus extendit Corporale ſuper album pannum, qui poſitus eſt ſuper Altare, & in loco convenienti in Sacrario. Subdiaconus præparat Calicem cum vino non conſecrato, & impoſito diligenter ſuper patenam, & reverenter Corpore Domini, ideſt integris oblatis, quæ ſervatæ ſunt conſecratæ pridie, deſuper particulam Corporalis imponat, quia dignum eſt, ut Corpus Domini, in quo eſt tota ſalus noſtra, & redemptio, cum ſumma reverentia tractetur. Præcedat quoque ante Subdiaconum qui portet ampullam aquæ, & cum pervenerint ad Altare, Diaconus accipiens corporale ponit in Altari, & poſtea ſumens patenam cum Corpore, offert eam Sacerdoti. In offerendo taliter apud ſe dicat: *Hoc Corpus, quod pro vobis tradetur, hic Calix novi Teſtamenti eſt in meo Sanguine. dicit Dominus. Hoc facite, quotieſcumque ſumitis, in meam commemorationem*. Demum Diaconus accipiat Calicem, & eo tenente ipſum coram Sacerdote, Sacerdos miſceat ibi aquam. Nam ut dicit Alexander Papa Primus, (*b*) *Non debet in Calice Domini, aut vinum ſolum,*

(*a*) Recole paulo ante allegata Amalarii verba.

(*b*) Traditur id quoque in Decreto Gratiani: *De Conſecratione*: diſtinct. 2. cap. 1. *In Sacramentorum*. Revera Capite IV. Epiſtolæ I. Alexandro I. tributæ (col. 548: Tom. I. Concil. edit. Albritii) hæc extant. „ In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, ut ejus, cujus Corpus, & Sanguis

ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in ſua Paſſione profluxiſſe legitur. His oblatis inclinet ſe Sacerdos ante Altare dicens: *In Spiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur Domine a te, & ſic fiat Sacrificium noſtrum, ut a te ſuſcipiatur hodie & placeat tibi*. Poſt hæc levans ſe Sacerdos incipiat mediocri voce ſolito more: *Oremus, præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter qui es in Cœlis, Sanctificetur*, uſque ad finem, & reſpondet Clerus, *ſed libera nos a malo*. Poſtea dicat ſilentio, *Libera nos quæſumus Domine*, ſicut mos eſt, & cum ventum fuerit uſque *per omnia ſæcula ſæculorum*, Sacerdos more ſolito hoſtiam frangat, & eà fracta cum dixerit *per omnia ſæcula ſæculorum*, & reſponſum fuerit *Amen*, *Pax Domini* non dicatur, neque pax per oſcula detur, ſed ſumat Sacerdos de Sancta (ſcilicet Hoſtia) & ponat in Calice nihil dicens: non enim poſſet recte dicere, *commixtio Corporis, & Sanguinis*, cum ibi non ſit Sanguis, ſed ut dicit Amalarius, *Sanctificatur vinum non conſecratum per Corpus Domini immiſſum*, non autem conſecratur, nam conſecrare eſt conſecratione *tranſubſtantiare*. Sanctificari vero eſt ex tactu Sacræ rei reverendum effici. Exinde *Agnus Dei* prætermittatur, quia non videtur invocandus eſſe qui cernitur in agone deficere. Poſtea cum ſilentio communicent Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, & non cantatur communio, ſed nobis ſilentibus ſanguis ille, quem ſumimus, de ore noſtro pro nobis clamat ad Dominum; nos enim ſumus illa terra quæ aperuit os ſuum, & bibit Sanguinem Abel (ideſt Chriſti), quem effudit Cain, ideſt Judaicus Populus. Tandem illis Communicatis, antequam Miſſa finiatur, tantum Pſalmi de ſexta feria ſine Antiphona dicantur, & alta voce ſicut Miſſa, ut a Populo audiantur, ſcilicet *Confitebor*. *Domine probaſti*. *Eripe me*. *Domine clamavi, & voce mea*. ℣. *Chriſtus factus eſt pro nobis*. Ad Magnificat Antiph. *Cum accepiſſet acetum*. Dicto *Magnificat*, & Antiph. dicitur *Pater noſter*. *Miſerere mei Deus*. ℣. *Chriſtus factus eſt*. Poſtea Sacerdos dicit Orationem *Concede quæſumus* uſque *per omnia ſæcula ſæculorum*, & poſtquam Chorus reſponderit *Amen*, non dicat aliquid aliud, nec *Dominus vobiſcum*, nec *Benedicamus Domino*, ſed Miſſa, & Veſperum ſic ſub una Oratione terminentur.

Qua-

„ guis conficitur, paſſio celebretur, ita ut repulſis opinionibus ſuperſti-
„ tionum, panis tantum, & vinum aqua permixtum in Sacrificio offeran-
„ tur: non enim debet [ut a Patribus accepimus, & ipſa ratio docet]
„ in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrum-
„ que permixtum, quia utrumque ex latere ejus in Paſſione ſua profluxiſ-
„ ſe legitur. Ipſa vero veritas nos inſtruit, Calicem, & panem in Sa-
„ cramento offerre, quando ait: *Accepit Jeſus panem, & benedixit, dedit-
„ que Diſcipulis ſuis dicens &c.* „ Quamquam porro Critici Catholici decretum hoc commendant, & approbant, Alexandro tamen Primo Romano Pontifici illud abjudicant.

Qualiter adoratio Crucis a Clericis, & a Laicis perficiatur. CLXV.

Finitis Vesperis tollatur Crux, scilicet illa, ubi Lignum Crucis Dominicæ creditur esse, & post Altare Beatæ Mariæ Virginis super mundissimum Linteum, vel pallium honorifice ponatur, & ibi cum reverentia, & Oratione discalceatis pedibus a Domino Episcopo, & Canonicis humiliter, & devote adoretur, & flexis genibus, & corpore prostrato, singuli suæ redemptionis vestigia osculentur, & aliæ Cruces separatim pro viris, & mulieribus in locis competentibus ad adorandum similiter statuantur. Dum autem Crucem osculamur, nos ad terram prosternimus, ut humilitas mentis per habitum Corporis demonstretur: quia sicut Christus humiliatus est Patri pro nobis usque ad mortem, sic nos ejus mortis imitatores, humiliari oportet. De hoc cultu Crucis ait Sedulius (a) . . . . .

Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam.

De modo prostrationis ait Augustinus: *Quisque sic humiliatur, ut genua figat, adhuc habet, quo amplius humilietur. Quisquis sic humiliatur, ut hæreat in terra venter ejus, ultra, quo humilietur, non habet.* In adoratione autem Crucis sit nobis munda conscientia, & intenta ad Deum cordis supplicatio, & cito apud misericordem Dominum multa, licet brevissima, impetrabit Oratio. Jam vero cum ad osculandos Crucifixi Domini pedes adsurgimus, & ille Sanguinis rivulus ex vulnere Lanceæ factus in latere, illæque fixuræ clavorum, quibus oscula imprimuntur, ad memoriam redeunt, quid amoris, quidve dulcedinis intentæ menti conferre debeat, cogitandum est potius quam dicendum: & nota quod quinquies partita fuit effusio Sanguinis Jesu Christi: Prima in Circumcisione, secunda in Sudore, tertia in Flagellatione, quarta in Crucifixione, quinta in Lanceatione. Sed & in Cruce quinaria Sanguinis effusio invenitur. Cruce adorata Fratres redeunt in Claustrum. Postea vadunt ad Mensam, ubi dumtaxat uno reficiuntur ferculo, eo quod hac die unum sibi solum Dominus incorporavit, Latronem scilicet cui dixit: (b) *Hodie mecum eris in Paradiso.* Apponitur autem in Mensa solus panis, & aqua. Legatur tunc ad Mensam in Moralibus Gregorii Libro XVIII, ubi dicitur de Latrone. Cap. *Qui prius*, & cæt. Deinde Completorium, ut superius dictum est, dicatur.

[a] Lib. IV. sub titulo *Jesum patulo affixum Ligno*.
[b] Luc. XXIII. 43.

De meditatione Noctis, quæ præcedit Sabbatum Sanctum. CLXVI.

HAc autem nocte meditandi de Christo materia ista sit, ejus scilicet post tanta, quæ pertulerat, requies in Sepulcro, ac per illius descensum ad Inferos ineffabile illud magnumque gaudium miserorum tam diu præstolatum, tamque subito præsentatum, quos captivato Mortis imperio Christus ab Inferis secum eduxit, ut dum per ista cogitanda mens ducitur, *in pace in idipsum dormiat, & requiescat.* (a)

De Nocturnali Officio in Sabbato Sancto. CLXVII.

SAbbato Sancto in Nocte ad Matutinum, sicut supra diximus, non dicitur *Domine labia mea*, nec *Deus in adjutorium*, quia tunc Apostoli in tanto timore, & dolore fuerunt, quod nec laudare, nec invocare Deum recordabantur, ideoque Clero, & Populo in Ecclesia congregato incipitur Officium, quasi ex improviso per hanc Antiph. *In pace in.* Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Habitavit*. (b) Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Caro mea*. Psalm. *Conserva*. ℣. *In pace*. In secundo Nocturno Antiph. *Elevamini*. Psalm. *Domini est*. Antiph. *Credo videre*. Psalm. *Dominus illuminatio*. Antiph. *Domine abstraxisti*. Psalm. *Exaltabo*. ℣. *Tu autem Domine miserere mei. Resuscita me &c.* In tertio Nocturno Antiph. *Deus adjuva me*. Psalm. *Deus in nomine*. Antiph. *In pace factus*. Psalm. *Notus in Judæa*. Antiph. *Factus sum sicut*. Psalm. (c) *Deus Deus salutis*. ℣. *Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi*. Tres primæ Lectiones leguntur de lamentationibus Jeremiæ Prophetæ ab eo loco *Misericordiæ Domini multæ*. Tertia lectio *Recordare Domine* a tribus in Ecclesia nostra cantari consuevit, & cum Organo: & nota quod præ dolore, & gemitu ad fletum excitandum istæ lamentationes cantantur, hujus enim naturæ dicitur esse ars Musica, ut quem lætum invenit, faciat lætiorem, & quem tristem, tristiorem reddat. Unde in quibusdam Provinciis ad exsequias Mortuorum conducuntur personæ, quæ flebili cantu mentes dolentium excitant ad effusionem lacrymarum. In his autem Matutinis quidam cantus sunt, & quidam Psalmi, qui pro Defunctis cantantur, quia Christum vere mortuum adtestantur, alii sunt, qui ad funera non spectant, quia Christum inter Mortuos liberum, ac voluntate mortuum, & viventem cum mor-

---

(a) Psalm. IV. v. 9. Atque hic Psalmus recitatur primo loco in Officio Sabbati Sancti.

[b] Nunc legimus *habitabit*. [c] Nunc legimus *Domine, Deus*.

mortuis profitentur. Tres Lectiones in medio leguntur, ubi dicitur: *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat*. Tres ultimæ (a) fortasse quis dicat de priori. Responsoria ut habentur in historia propria. *Sepulto Domino*. Nonum ℟. *Domine post passionem*. In Laudibus Antiph. *O mors ero mors tua*, & cæter. ℣. *Sepulto Domine signatum est monumentum*. Ad Benedictus Antiph. *Mulieres*. Postea lumen abscondatur, lampades extinguantur, & totum Officium finiatur, ut in quinta, & sexta feria præcedenti, & post Matutinum dicatur Prima, ut supra dictum est. Deinde tertia, & sexta dicantur in suis horis eodem modo.

De Benedictione novi Ignis, & ejus Processione, & Cerei Consecratione. CLXVIII.

Circa horam tertiam vestiuntur Altaria, & solemnioribus paramentis adornantur: hora autem Nona Sacrista in Confessione ante Altare B. Crescentii ignem de Cristallo, vel lapide noviter excussum accendit de lignis siccis, ne fumigent, & eo accenso, cum totus Clerus Civitatis convenerit in Ecclesia, Episcopus & totus Clerus vadunt in Confessionem: & tunc post Altare S. Crescentii Episcopus, vel Archipresbyter, si deest Episcopus, super alia solemnia induitur Pluviali, & Diaconus Dalmatica, & Subdiaconus Tunica, & interim dicunt Psalmos de hora nona: Deinde Diaconus plures candelas in unum conglomeratas, ne a vento leviter extinguantur, novo igne accensas imponit arundini, & Diacono tenente arundinem cum igne ante Episcopum, vel Archipresbyterum. Statim ibidem Episcopus, vel Archipresbyter benedicit ignem, secundum quod habetur in libro: quo benedicto, incensatur, & aqua benedicta aspergitur. Hoc facto totus Clerus exit in hoc ordine, primo educitur vexillum cum Cruce, & illud sequitur Clerus, & Diaconus cum Domino Episcopo, vel Archipresbytero, & Subdiacono, & ipse Diaconus portat arundinem, super quam est affixa candela igne benedicto accensa, & statim Cantor incipit hos versus cantare ęquali voce cum altero socio [b] *Inventor Rutili*, & post duos versus semper primus versus repetatur a Clero, & sic cantando a sinistra ala Ecclesiæ usque ad majores januas procedentes redeunt in Chorum. Finitis versibus, Diaconus, qui tenet arundinem cum igne, manens ante Altare B. Mariæ, vultu converso ad Populum dicit tribus vicibus alta voce *Lumen Christi*. Sed prius aliquantulum alte, secundo altius, tertio excelsa voce, & Chorus qualibet vice respondet *Deo gratias* in eundem modum. Postea idem Diaconus benedicit duos magnos Cereos

[a] Error aliquis hic irrepsit.
[b] Inter Opera Prudentii *Ad accensionem lucernæ*, pag. 367. Tom. II. Oper. Ven. Card. Thomasii: alias *de novo lumine Paschalis Sabbati*.

reos ſecundum Ordinem Sacramentarii: (a) & ſtans ibidem ante Altare habens ante ſe librum ſuper ligneum Pulpitum in loco, ubi legi conſuevit Evangelium, & Cereos, & arundinem cum igne, ſuavi cantu incipit hoc modo: *Exultet jam Angelica*, & cæt. Et nota quod in ipſis Cereis debent ſcribi Anni Domini, & Alpha, & Omega, *Principium, & Finis*, & Indictio præſens Anni, & Annus Biſſextilis.



Et hoc totum in ipſis Cereis, vel in cartulis eiſdem Cereis, infixis, ut venientes, & videntes valeant ipſam Scripturam legere, & intelligere. (b) Similiter in utroque Cereo debet ſignum Crucis inſculpi, & in utraque Cruce quinque croſſa grana incenſi debent affigi, ita quod quatuor grana in capitibus Crucis, & unum in medio ſit affixum. Poſtea cum ventum fuerit ad illum locum Benedictionis ubi dicitur: *Suſcipe Sancte Pater incenſi hujus Sacrificium Veſpertinum*, tunc Diaconus de ipſo incenſo cum turibulo fumiget ipſos Cereos. Deinde cum Diaconus procedens in benedictione, venerit ad locum ubi dicitur: *Quem in honore Dei rutilans ignis accendit*, parata ibi arundine cum candela de novo igne benedicto, accenſa, eoſdem Cereos de ipſo igne accendet. Alia non accendantur uſque dum Neophyti per Baptiſmum illuminentur. Expleta Cerei benedictione, Dominus Epiſcopus, & Fratres, & totus Clerus cum reverentia vadunt ad Cereum oſculandum, eodem Diacono qui benedixit ipſum, tenente.

Qua-

(a) Conſule Amalar. *de Eccleſ. Offic.* lib. I. cap. XX. XXVII. XXX. Adde Miſſale Brixian. ſæculi XI., aut certe XII. quod noſtra poſſidet Bibliotheca, in quo idem ritus inculcatur.

(b) Vide quæ docet Martene *de Antiq. Eccl. Ritib.* lib. IV. cap. 24. num. 7. (Pag. 410. To. III.)

Quare dicitur Sabbatum Sanctum, *& de Mysterio novi ignis*. CLXIX.

Sicut Deus operibus Mundi sexto die completis, septimo requievit ab omni opere quod patrarat, sic in sexta ætate recreationis operibus consummatis, juxta quod Dominus dixit pendens in Cruce, *consummatum est*, in septima requievit ætate. Cum enim anima ejus passibilitatem Corporis exuit, quodam modo in requie fuit. Sicut etiam hominis creatione in sexta feria facta, in die proxima requievit, sic ejusdem recreatione in eadem feria celebrata, Dominus in Sepulcro dormivit. Ideoque dies iste *Sabbatum* appellatur, quod *Requies* interpretatur antonomastice, idest quasi quodam privilegio, & per excellentiam *Sabbatum Sanctum* propter requiem Jesu Christi, in cujus Morte sanctificati sumus, vel propter fontem Baptismi, qui hodie benedicitur, ubi constat novam prolem Ecclesiæ sanctificari. Quod autem Altaria, quæ prius nuda fuerant, vestiuntur, designat quod Christus, qui prius in Passione quasi nudus, & solus fugientibus Apostolis remansit, post Resurrectionem ipsos habuit ad se, & quasi vestitus illis fuit, quia postquam cognoverunt eum, ipse se illis in multis signis, & miraculis manifestante, cum magno ardore ad ipsum redierunt, & secum fuerunt. Intrinsecus etiam, & extrinsecus ita dignissime cuncta adornentur, ut etiam apparatus mentium in tanta Resurrectionis gloria minime negligatur. Quod vero postea ignis vetus extinguitur, significat veterem legem, cujus in Morte Christi figuræ completæ fuerunt, & ideo velut extinctæ debuerunt cessare. Sed de lapide, idest Christo, qui est lapis angularis ignis elicitur, quia ipse verbere Crucis percussus nobis Spiritum Sanctum effudit. Vel de Cristallo inter solem, & escam mediante, idest Christo, qui fuit mediator inter Deum, & nostram infirmitatem, qui sicut ipse testatur, (a) *ignem venit mittere in terram*, novus ignis elicitur, dum per ejus Passionem, vel Resurrectionem nobis infunditur Spiritus Sanctus. Et benedicimus ignem cum Cruce, & aqua, ut vi Passionis ejus, per quem Spiritum Sanctum accepimus, nos lotos esse significemus. Vel novus ignis significat doctrinam novi Testamenti, vel novam gratiam Resurrectionis Ille autem ignis, quo Cereus illuminatur, Christum significat, qui suos firmat, & illuminat, Adversarios vero terret, & obscurat, qui non mutuato, sed proprio igne ardet, & alios ardere facit. Unde, & cum Cereus de isto igne accenditur, omnes & Candelæ, & Lampades debent extingui, ut ab ipso postmodum accendantur, sicut a Christo omnes alii, ut ardeant, accenduntur, & illuminantur.

Quid

(a) Luc. XII. 49.

Quid significet Cereus benedictus, & quis hanc Benedictionem instituit.

CLXX.

FActa solemni Processione cum igne benedicto, ut secundum Apostolum precedamus ad illum ignem, (*a*) quem extra Castra projecerunt Judæi, Diaconus accedens ad benedictionem Cerei dat arundinem cum lumine tenendam Acolytho, vel Sacristæ, & incensans librum cum turibulo, accedit ad Consecrationem Cerei, decantando eam in modum Prefationis, & cum ad illum locum venerit, *Mutuati luminis detrimenta non novit*, accenduntur de ipso igne Cerei, qui super Candelabra tenentur ad Missam, & Candela, quæ fuerat in arundine, extinguitur, & in Sacrarium reportatur: & nota quod Zosimus Papa XXVIII. instituit (*b*) Sabbato Sancto Cereum in Ecclesia benedici, ut Christus visibiliter ad memoriam reduceretur. Nam Cereus renovatus, & illuminatus Christum significat, qui in Carne gloriosa resurrexit a mortuis, & verus Deus apparuit, & vere in eo splendor extitit Divinitatis, qui tristitiam Apostolorum, immo totum Mundum serenavit suæ lætitia claritatis, quem contristaverat extinctio lampadarum, idest Prophetarum, & Passio Salvatoris. Ceram apis sine concubitu Mater eduxit, quia Christi Carnem Virgo Maria concepit, & peperit, & Deum in Carne, quasi mel in Cera, proferens, inviolata permansit, vel Cereus repræsentat Columnam ignis, quæ præcedebat Filios Israel ad Mare Rubrum, & significat Christum. Nam cera humanitatem, mel Divinitatem, lumen Doctrinam notat. Et hic Cereus præcedit nostros catechumenos ad Baptismum, quia ipse dixit (*c*) *Ego sum lux Mundi*, & de Apostolis idem dixit. (*d*) Unde sunt duo Cerei, per quos Ecclesia illuminatur, & unus illuminatur a benedicto, sicut Apostoli a Christo. Cereus illuminatus sicut Columnam rememorat ignis, & Personam significat Filii, sic Cereus extinctus Columnam nubis, & Personam Spiritus Sancti. (*e*) Unde secundum quosdam rationabiliter in aquam duo Cerei deponuntur: Cereus cum a Cereo illuminatur significat: Apostolos Columnas Israeliticas Spiritu Sancto repletas, a Christo fuisse illuminatos. Quidam vero differunt utrumque Cereum Neophytorum illuminare, quousque lampades illuminentur Ecclesiæ: vel duo Cerei dilectionem significant Dei, & proximi.

De

(*a*) Hæbr. XIII. 13. [*b*] Num id constituerit Zosimus, an alter Zosimo anterior, dubitant Critici, quorum dubia hic ex pendere non est necesse. Vide *Liturg. Gallic. Mabill.* pag. 140., & seqq., & 241.

(*c*) Jo. VIII. 12. (*d*) Matth. V. 14. [*e*] Quia scilicet a Filio procedit, sicut ignis secundi Cerei ab altero. Non multis tamen allegoria hæc & explicatio placuit.

De eodem. CLXXI.

CUm itaque per Cereum Christus significetur, merito annus ab Incarnatione Domini consequenter inscribitur, quia Christus est maximus annus, antiquus & plenus dierum, in quo est plenitudo bonorum omnium, sicut in anno fertilitas fructuum, cujus XII. menses Apostoli, dies Fideles, horæ sunt pueri baptizati. Indictio quoque, & Epacta nihilominus inscribuntur, quoniam actiones hominum, & successiones temporum Christo disponente ordinantur. Cereum Diaconus benedicit, non Sacerdos, vel Episcopus, quia Christi Resurrectionis præconium per minorem sexum fuit Apostolis manifestatum, scilicet per mulieres, non per Apostolos mulieribus. Nam quia mulier a Diabolo missa (a) viro mortem obtulit, pulcre sexus idem a redivivo Christo missus, virili sexui vitam evangelizavit. Columna Filiis Israel in tertia mansione post esum Agni concessa, ut Hieronymus ait, præcessit Populum ad Mare Rubrum, & per Desertum quousque Jordanem transiret, & terram promissionis intraret. Inde est quod Cereus tertia die post Cœnam Domini ante Baptismum, & ante Neophytos benedictus deportatur. Columna illa tria Populo faciebat: ob umbrabat a sole, protegebat ab hoste, illuminabat in nocte: sic Christus baptizatos obumbrat contra æstum vitiorum, ne sol elationis, & superbiæ urat eos superbiendo, protegit a suggestionibus Dœmonum, & in nocte hujus sæculi (b) *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, ne in persecutionibus luna, idest mentis defectus, adurat eos, dum vident malos prosperari, & se affligi. Namque (c) *malignantes exterminabuntur* (idest extra terminum æternæ Beatitudinis erunt), *sustinentes autem Dominum* (per patientiam in tribulatione) *hæreditabunt terram*, hoc est æternaliter possidebunt. De hoc autem Cereo benedicto, infra octavam Paschæ, Cera Clericis distribuitur ad Cruces per domos singulas in postibus faciendas, ut earum habitatores protegantur ab exterminatore, qui primogenita Ægyptiorum exterminavit in transitu Filiorum Israel de Ægypto: hæc autem omnia fiunt ad ostendendam tam ineffabilis gaudii solemnitatem.

Quod Officium hujus Sabbati debet in Nocte celebrari. CLXXII.

HAc die tardius solito Nona cantetur. Intantum enim debet Officium protrahi, ut Missa in nocte dicatur, omne enim Officium præsens de nocte est, sicut in ipsa consecratione Cerei memoratur cum dicitur: hæc

(a) Idest *seducta*. (b) Jo. I. 9.
(c) Psalm. XXXVI. 9.

hæc nox est, in qua Dominus ab Inferis Victor ascendit. Unde apud Hieronymum legimus, in Orientis Ecclesiis moris esse in hac nocte ante mediam noctem fideles non recedere ab Ecclesia, horam illam expectantes in sacris Vigiliis, de qua scriptum est. (a) *Media autem nocte clamor factus est*. Unde in Ordine Romano dicitur. (b) *In Vigilia Resurrectionis ante mediam noctem non est Populus dimittendus de Ecclesia juxta Canonum Sanctiones*. Ut habetur ex Concilio Aurasico Cap. II. (c) *In Sabbato Sancto, hoc est in Vigilia Pascha, jejunium ante noctis initium nisi a parvulis, & infirmis non solvatur, Divina Mysteria his duobus diebus non celebrentur*. Hoc quidem pro auctoritate, & ratione diximus. Cęterum quia abundante iniquitate refriguit caritas multorum, jam per universam pęne Ecclesiam imbecillitati Populi Christiani consulitur, ut hoc Officium non in nocte, sed in Vesperis ante noctis initium compleatur. Si enim in suo tempore, congruo modo fieret, certe rarissimus inveniretur, qui de Populo propter fatigationem jejunii, & vigiliarum huic Officio interesset, maxime cum & ipse Clerus tantis laboribus per totam Quadragesimam fractus forsitan præ debilitate Carnis, non voluntarie, & ideo minus solemniter (quod absit) tanta Mysteria perageret. Adjuvant etiam hanc discretionem sensus Sancti Evangelii, qui Vesperam Sabbati, sequenti diei copulantes, & quasi unum diem sine tenebris facientes, Vesperam dicunt contra naturalem ordinem *lucescere*, (d) quod secundum usum temporis verius diceretur *tenebrescere*. Sed vere tenebris caruit, quæ tanto lumine Resurrectionis Christi resplenduit. Quidquid ergo hac Vespera in Officio de Resurrectione Christi dicitur, merito veraciter dici æstimatur, quia sequenti diei hæc nox indivisa conjuncta, tota lumine resurgentis veri Solis illustratur. Hæc dicentes, auctoritatem, & rationem laudamus, necessitatem, & discretionem humiliter excusamus. Qui ergo potest, qui secretus manet, qui populum expectare vel attendere non habet necesse, benefacit obediendo austeritati: qui autem Populo servit, in quo revera debiles multi sunt, nobiscum per Apostolicam discretionem alienæ compatiatur infirmitati.

Quo-

(a) Matth. XXV. 6.

[b] In capite quod sic inscribitur: *Ordo in Vigilia Sancti Pascha in nocte*.

(c) In nullis Canonibus Concilii I. Arausicani, quod hic indicari videtur, Canonem hunc, seu Caput, inveni. Lege, obsecro, Canones ipsos col. 699. & subseqq. Tomi IV. Concil. edit. Albritii. Tamen pag. 707. hæc adjiciuntur. *Ex eodem*, *libro* (antea allegatus est codex Decretorum XVI. cap. 7. lib. XI.) lib. XIV. cap. 6. *Ut in Sabbato Sancto jejunia non solvantur. Ut in Sabbato Sancto, hoc est in Vigilia Pascha, jejunium ante noctis initium, nisi a parvulis, & infirmis non solvatur, nec in Parasceve: quia Cœna Domini, & Parasceve, & Sabbatum ad illos quadraginta dies respiciunt: vel* (idest *nec*) *Divina Mysteria his duobus diebus celebrantur: Canonibus quippe jubentibus, in biduo isto, idest Parasceve, & Sabbato, Sacramenta penitus non celebrari.* (d) *Vespere autem Sabbati, qua lucescit in prima Sabbati.* Matth. XXVIII. 1.

Quomodo in Resurrectione nox incepit præcedere Diem. CLXXIII.

HÆc nox *Pascha* dicitur, quod *transitus* interpretatur, quia in ea transivit Dominus de Mundo ad Patrem, de Morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de reatu (a) ad gratiam, de pœna ad gloriam, de pugna ad victoriam. Hæc nox in plenilunio celebratur, quum Luna jubar luminis a Sole mutuatur. Luna est Ecclesia, Sol Christus, qui dum occidit, occiditur. Sed ejus occasu, Ecclesia gratiæ plenitudine illustratur: hæc nox æquinoctio transacto, cum dies noctem separat, celebratur, quia post ignorantiam prolongatur de Deo scientia, & ubi *abundavit iniquitas, superabundavit & gratia (b)*. Hæc nox celebratur in Vere, cum post Hiemis asperitatem flores vernant, volucres jubilant, quia pulso perfidiæ gelu, Mundus floruit pulcritudine virtutum, & in omnem terram exivit sonus Apostolorum: hæc nox est utriusque diei communis, nam usque nunc dies naturaliter præcedebat noctem, significans lapsum primi Adæ, qui ad tenebras de luce descendit. Sed ex tunc artificialiter nox diem præcedit, insinuans reparationem secundi Adæ, qui nos ad lumen de tenebris reparavit: hæc nox Quadragenarium terminat afflictionis, & Quinquanarium inchoat absolutionis, quia per Resurrectionem de servitio captivitatis ad Jubileum transibimus libertatis, & refulget tripliciter propter Redemptionem animarum, Resurrectionem Corporum, & Baptismi Sacramentum.

Qualiter, & quare duodecim Lectiones leguntur, & quarta Tractus cantentur. CLXXIV.

EXpleta Cerei Benedictione, & ipso deosculato a Clero, in loco ubi Crux fuerit in ipso Cereo insignita, ponuntur Cerei post Altare, & cum cautela ne cadant. Deinde Cantor stans in Choro cum Pluviali, & cum baculo Pastorali, si est præsens Episcopus, injungit Custodi, ut porrigat Pluviale alicui de Clericis, cui ipse Cantor voluerit, ut legat, & usque ad finem duodecim Lectionum sit Custos paratus in Choro ad singulas Leectiones pro hujusmodi ministerio faciendo. Cum autem Clericus,

(a) Quem scilicet assumpserat, ut Patri pro nobis satisfaceret: quis enim nesciat hæc de eo fuisse prænunciata? *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus: excelsior cœlis factus*. Hebræor. VII. 26. idest purior, & Sanctior Angelis ipsis: & *tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato*. Hebr. IV. 15. Potes etiam *reatus* nomine intelligere reatus mendacissime illi imputatos: *seducit turbas &c.* [b] Rom. V. 20.

cus; cui fuerit injunctum, venerit ad legendum, non pronuntiet *Lectio libri Genesis*, vel *Exodi*, vel alterius, propter simplicitatem Catechumenorum, quia frustra profertur insciis auctoritas, quibus per ignorantiam vilescit, & Catechumeni Cœlestis Hierusalem cives non cognoscunt, & frustra profertur auctor incognitus, quibus firmissima auctoritas vilescere potest. Vel iccirco duodecim Lectionibus, quæ Catechumenis leguntur, tituli subtrahuntur, quia Neophyti nondum sunt inter duodecim *millia Signatos*. (a) Lectiones vero ad legendum, & Tractus ad cantandum eis injungantur, qui melius, & honestius sciant, & possint legere vel cantare, qui etiam legant distincte, & aperte, propter cæcitatem Catechumenorum qui sunt insipientes: & quicumque legerit statim post Lectionem, vadat ad manum Episcopi si fuerit præsens, & osculata manu, Custos accipiat ab eo Pluviale, & illud alteri Clerico, cui Cantor jusserit, repræsentet. Lecta prima Lectione *In principio*, Episcopus vel Archipresbyter, qui celebrat Officium, accedit ad Altare, superindutus Pluviali, & non dicit *Dominus vobiscum*, sed tantum Oremus *Deus qui mirabiliter*, & cætera, & sic post singulas Lectiones, singulæ dicuntur Orationes, sed aliquando interponitur Tractus, & post Tractum dicitur Oratio, & ad nullam illarum dicitur *Dominus vobiscum*, sed tantum Oremus, quod eadem ratione subticetur, qua tituli Lectionibus subtrahuntur. Duodecim autem Lectiones leguntur, quia baptizandi Catechumeni duodecim Apostolorum Doctrina sunt imbuendi. Leguntur autem primæ quatuor sub primo Cantico *Cantemus*: sequentes quatuor sub secundo Cantico *Vinea*. Postea tres Lectiones sequentes leguntur sub tertio Cantico *Attende*. Post ultimam Lectionem canitur Canticum *Sicut Cervus*. Quatuor sunt Cantica propter quatuor expositionum modos Sacræ Scripturæ, scilicet Historicum, Allegoricum, Moralem, & Anagogeticum, quibus concordant Lectiones, quarum Scripturis Catechumeni instruuntur, & dicuntur Cantica, quia cantantur, vel quia in libris authenticis *Cantica* nominantur. Nam de primo dicitur: *(b) Cecinit Moyses, & Filii Israel Carmen Domino*: de secundo *(c) Cantabo dilecto meo Canticum Patruelis*: de tertio *(d) Scripsit Moyses Canticum*: de quarto dicitur *in præfatione Cantici*: & est notandum quod hic præposterus ordo servatur. Nam cum in aliis Officiis primo Sacerdos oret, secundo Lector legat, & exinde Cantor subcinat, hic primo legitur, ut Neophytis Doctrina fidei proponatur, secundo cantatur, in persona illorum, ut cognoscatur quanta sit devotio, & hilaritas baptizandorum: qua cognita Sacerdos orat confidenter, ut eorum devotio non deficiat, sed suscipiat incrementa, & semper Orationes ad sequentes Lectiones, Tractus respiciunt ad præcedentes.

Qua-

[a] Apoc. VII. 5. [b] Exod. XV. 1. (c) If. V. 1.
[d] Deut. XXXI. 22.

Qualiter Prophetiæ de Sancto Sabbato conveniant Baptismo. CLXXV.

PRima Lectio, scilicet *In Principio*, convenit Baptizandis ex eo quod in ea dicitur *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, scilicet super aquas Baptismi; & sicut hominem primo creavit, & post requievit, sic in Baptismo recreat, & regenerat, & hic requiem dat a culpa, & in futuro perfectis requies erit a culpa, & pęna. Secunda Lectio *Noe cum quingentorum*, per hoc convenit Sacramento, quia loquitur de mundatione diluvii, in quo sicut peccatores perierunt, & justi salvati fuerunt, sic in Baptismo peccata delentur, & animæ liberantur. Tertia *Tentavit*: per hoc accedit ad Baptismum quia Isaac denuntiat immolandum, scilicet Christum, in morte cujus baptizati sumus. In quarta Lectione *Factum est*, manifesta est figura Baptismi, nam per Sacerdotem, Moysen repræsentamus, per Baptismum, Mare Rubrum, per Cereum, Columnam: per Catechumenos, Ægyptios: per jam baptizatos, Hebræos, unde illorum voce mox sequitur Canticum victoriæ *Cantemus*: Cantandum est enim, quoniam in morte Agni, Ægyptiorum Primogenita moriuntur, & in Mari Rubro, Ægyptii submerguntur, peccata enim originalia, & actualia in Baptismo, Sanguine Christi rubenti, penitus absorbentur. Quinta Lectio, scilicet *Hæc est hæreditas*, Baptisma prenuntiat ubi dicit: *Omnes sitientes venite ad aquas*. Sexta Lectio *Facta est super me*, (a) nostram insinuat Resurrectionem. Septima, scilicet [b] *Audi Israel*, indicat Incarnationem dicens: *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Octava, scilicet *Apprendent septem mulieres*, septem innuit dona, quæ in Sacramento Baptismatis conferuntur, Christi etiam, & Ecclesiæ continet conjunctionem, quæ plenius fiet in Resurrectione; conjungitur enim Ecclesia Christo in lavacri Sacramento, unde sequitur Canticum *Vinea facta est dilecto*: Vinea enim Domini Sabaoth Domus Israel est. (c) Nona, scilicet *Factum est Verbum Domini*, declarat Passionem Domini, quæ fuit origo Baptismi (d) Decima, scilicet *Dixit Dominus ad Moysen*, immolationem præcipit Agni Paschalis, idest Christi, cujus Sanguine redimimur, & aqua lavamur. Undecima, scilicet *Scripsit Moyses*, Legem Dei renatis proponit, unde sequitur Canticum *Adtende*, in quo superna promittit. Duodecima, scilicet *Nabuchodonosor* etiam Baptisma declarat, in quo Spiritus Sanctus peccata consumit, sicut Angelus flammam Fornacis extinxit. Unde Catechumeni cum gaudio canticum resonant, scilicet *sicut Cervus*, quia fontem vitæ desiderant: postea ultima Oratio ab Episcopo, vel Archipresbytero dicitur.

[a] Nunc septima est. (b) Nunc est sexta. [c] Nunc decima est. [d] Nunc nona est. Vide etiam quæ tradit Martene. *Ede Antiec. Ritib.* lib. IV. cap. 24 n. 17.

Quid sit Catechizari, & quid ante Baptismum fieri debeat. CLXXVI.

INterim dum Prophetiæ leguntur, pueri catechizentur. (a) Quid sit catechizari B. Ambrosius dicit in primo libro de Sacramentis. (b) *Quid egimus Sabbato? nempe aperitionem. Quæ mysteria celebrata sunt? apertionis quando tibi Sacerdos aures tetigit, & nares: quid significat in Evangelio Dominus Noster Jesus Christus cum ei oblatus est surdus, & mutus, (c) & tetigit aures ejus, & os ejus? Aures, quia surdus erat, & os ejus, quia mutus, & ait epheta. (d) Ebraicum Verbum est Epheta (e), quod latine dicitur: adaperire. Ideo ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperiantur (f) aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium Sacerdotis:* & sic Presbyteri catechizent Infantes, qui nondum sunt catechizati, & præparet eos ad Baptismum. Postea tangat eis pectus, & inter scapulas de Oleo sanctificato Crucem faciendo cum pollice dicens. *Ego te linio Oleo salutis in Christo Jesu Domino Nostro.* In pectore, & inter scapulas Oleo liniantur, ut ad fidem, & operationem roborentur. Per pectus Fidem, per scapulas intelligimus operationem. Per hæc duo salvatur homo; Vel, ut mente, & corpore tuti, abrenuntient operibus Diaboli spiritualibus, & carnalibus, vel in pectore, ut capaces sint ad intelligendum Verbum Dei. In scapulis ut robusti sint ad portandum jugum Domini: & quoniam Populus ad Fidem vocatus visibilibus Sacramentis instruendus est, ut per exhibitionem visibilium, pertingere possit ad intellectum invisibilium, nosse oportet Domini Sacerdotes, qui hæc Sacramenta contrectant, modum, & ordinem Sacramentorum, & veritatem rerum significatarum. Unde Rabanus in libro *de Institutione Clericorum.* (g) *Ante Baptismum Catechizandi, debet in homine prævenire Officium, ut fidei primum Catechumenus accipiat rudimentum . . . . Prius ipse Jesus cæci nati oculos luto ex sputo facto superlinivit, & sic ad aquas Siloe misit, quia prius debet Baptizandus Fide Incarnationis Christi instrui, & sic ad Baptismum jam credulus admitti, ut sciat, cujus gratiæ in eo est particeps, & cui jam debitor fiat deinceps.*

Qua-

(a) Hic & deinceps constanter noster Codex legit *catetizentur*, fortasse quia sum ad modum hunc loquebantur harum regionum Sacerdotes.

(b) Cap. I. n. 2. (c) Marc. VII. 34. (d) Ephpheta. (e) In editione diligentissima Patrum S. Mauri deest vox *Epheta*. (f) Eadem editio *aperirentur*.

(g) Lib. I. cap. 25.

Qualiter sit eundum ad Fontes pro faciendo Baptismo. CLXXVII.

FInitis Lectionibus duodecim, & Orationibus, & catechizatis Infantibus, præparentur omnia quæ sunt ad Benedictionem Fontis necessaria, & tunc Episcopus, vel Sacerdos Canonicus, qui baptizare debet, viliora induat paramenta, quibus baptizet Infantes: statim postmodum præcedente Cruce, & duobus magnis Cereis novo igne accensis, & Clericis portantibus ampullas Chrismatis, & Olei, Episcopus, vel Archipresbyter desuper indutus Pluviale cum Diacono, & Subdiacono indutis Dalmatica, & Tunica, & totus Clerus cum eis incipiunt iter ad Fontem; & statim Cantor cum aliquo Socio incipit cantare equali voce hos versus *Rex Sanctorum Angelorum*, & *ora primum*, & sic post unumquemque versum, vel duos, a Clero reiteretur. ℣. *Rex Sanctorum*, & finiantur omnes, usque dum pervenerint ad Fontes. Postquam omnes fuerint undique circa fontes, Archipresbyter cum magna reverentia incipiat Litanias; sed primo insimul omnes dicunt *Kyrie*, *Christe eleison*, & cætera usque *Sancta Maria*, & tunc distinguunt Litanias, primo septenas, postea quinas, deinde ternas. Quibus finitis dicit Archipresbyter, *Dominus vobiscum*. Respondetur, *& cum spiritu tuo*. Oremus *Omnipotens sempiterne Deus adesto magnæ pietatis*, & ita secundum Ordinem Sacramentarii benedicantur Fontes Finitis omnibus Archipresbyter, vel Episcopus baptizet unum *Johannem*, & aliam nomine *Mariam*, & alium Nomine *Petrum* (a), & statim sint duo, vel tres Sacerdotes parati, qui baptizent omnes alios *Infantes* (b).

Unde

(a) Fortasse quia horum Sanctorum sit expressa mentio in Evangelica descriptione Resurrectionis Domini Jesu.

(b) Placuit porro reliqua ad ritum conferendi baptismatis in Senensi Ecclesia adhibitum adjicere, descripta scilicet ex libro Processionali, quo olim eadem Ecclesia utebatur, & quæ ad me misit humanissimus Joseph Abbas Ciaccheri: retinui porro diligenter ortographiam scripti, quod ad me missum est. „ *Qualiter sit eundum ad fontes*. Lectis Prophetiis Episcopus, „ vel Archipresbyter cum Diacono, & Subdiacono, & aliis Clericis por„ tantibus ampullam Chrismatis & Olei, & præcedente vexillo, & cereis no„ vo lumine accensis, dum vadunt ad fontes, cantant hos versus =

Rex Sanctorum Angelorum
Totum Mundum adjuva.
Ora primum tu pro nobis,
Virgo Mater geminis,
Et Ministri Patris summi
Ordines Angelici.

Rex Sanctorum

Supplicate Christo Regi,
Cœtus Apostolici,

Sup.

Supplicetque permagnorum
Sanguis fusus Martyrum.
Rex Sanctorum

Implorate Confessores,
Consonentque Virgines,
Quo donatur nobis magna
Tempus Indulgentiæ.
Rex Sanctorum

Omnes Sancti atque justi,
Vos precamur cernui,
Ut purgetur crimen omne
Vestri sub ortamine.
Rex Sanctorum

Cujus Christe rector alme,
Plebis vota suscipe,
Qui plasmasti portoplastum,
Et genus gigantium.
Rex Sanctorum

Mitte Sanctum nunc amborum,
Spiritus Paraclitum,
In hanc plebem, quam recentem
Fons Baptismi parturit.
Rex Sanctorum

Fac interna fontis hujus,
Sacratum Mysterium,
Qui profluxit cum cruore,
Sacro Christi Corpore.
Rex Sanctorum

Et latetur Mater Sancta,
Tota nunc Ecclesia,
Et profectus renascentis
Tanta multitudinis.
Rex Sanctorum

Præsta Patris, atque Nati,
Compar Sancte Spiritus,
Ut te solum semper omni
Diligamus tempore.
Rex Sanctorum

,, His dictis, cum omnes pervenerint ad fontes, Clericis undique circumstanti- ,, bus, Archipresbyter cum magna reverentia incipit Litanias, primo septe- ,, nas hoc modo, sed a *Kyrie eleison*, usque *Sancta Maria* omnes simul ,, equali voce respondent. Deinde in septena divisione incipit Episcopus ,, *Kyrie eleison*.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Sancte Sanctorum Dominus
Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus
Miserere nobis.

Spi-

Spiritus Sancte Deus
Miserere nobis.
Hic incipiat divisio per septenarium eo qui incipiunt numero computato.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix or.
S. Michael or.
Omnes Ss. Angeli, & Archangeli orate.
S. Abel or.
S. Enoch or.
S. Moyses or.
S. Samuel or.
S. Jo. Baptista or.
Omnes Ss. Patriarchæ, & Prophetæ orate.
S. Petre or.
S. Paule or.
S. Andrea or.
S. Johannes or.
S. Jacobe or.
S Philippe or.
Omnes Ss. Apostoli, & Evangelistæ orate.
S. Stephane or.
S. Line or.
S Clete or.
S. Clemens or.
S. Sixte or.
S. Corneli or.
S. Cypriane or.
S. Calixte or.
Sancti Donate, & Hylariane orate.
S. Dionysii cum Sociis tuis orate.
Omnes Ss. Martyres orate.
S. Silvester or.
S. Gregorii or.
S. Ambrosii or.
S. Martine or.
S. Briti or.
S. Nicolae or.
Omnes Ss. Confessores, & Sacerdotes orate.
S. Maria Magdalena or.
S Felicitas or.
S. Perpetua or.
S. Agatha or.
S. Agnes or.
S. Cæcilia or.
S. Lucia or.
Omnes Sanctæ Virgines orate.
Omne Sancti, & Sanctæ Dei orate.

Postea sequuntur quinæ.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Sancte Sanctorum Dominus
Miserere nobis.
Pater de Cœlis Deus
Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus
Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus,
Miserere nobis.
Hic incipit divisio per quinque partes.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum or.
S. Gabriel or.
Omnes Ss. Angeli, atque Archangeli orate.
S. Abraham or.
S. Isaac or.
S. Iacob or.
S. Daniel or.
S. Ezechiel or.
S. Jo. Baptista or.
Omnes Ss. Patriarchæ, & Prophetæ orate.
S. Bartholomee or.
S. Matthee or.

S. Tho-

S. Thoma or.
S. Jacobe or.
Omnes Ss. Apoſtoli, & Evangeliſtæ orate.
S. Laurenti or.
S. Vincenti or.
S. Creſcenti or.
S. Ampſane or.
S. Savine or.
S. Valentine or.
S. Victor or.
S. Vigili or.
Ss. Hypolite, & Caſſiane orate.
S. Mauritii cum Sociis tuis orate.
Omnes Ss. Martyres orate.
S. Auguſtine or.
S. Hieronyme or.
S. Proſpere or.
S. Remigi or.
S. Cerboni or.
S. Dalmati or.
S. Fridiane or.
S. Geminiane or.
Omnes Ss. Confeſſores orate.
S. Anaſtaſia or.
S. Margarita or.
S. Petronilla or.
Ss. Flora, & Lucilla orate.
S. Barbara or.
Omnes Sanctæ Virgines orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei orate.

Deinde terne.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Sancte Sanctorum Dominus,
Miſerere nobis.
Pater de Cœlis Deus,
Miſerere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus,
Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus,
Miſerere nobis.
Sancta Maria ora pro nobis.
S. Mater Dei or.
S. Regina Cœli or.
S. Raphael or.
Omnes Ss. Angeli, atque Archangeli orate.
S. Helia or.
S. Hieremia or.
S. Iſaia or.
S. Jo. Baptiſta or.
Omnes Ss. Patriarchæ, & Prophetæ orate.
S. Simon or.
S. Taddæe or.
S. Matthia or.
S. Barnaba or.
S. Luca or.
S. Marce or.
Omnes Ss. Apoſtoli, & Evangeliſtæ orate.
Omnes Ss. Diſcipuli Domini orate.
S. Apolenaris or.
S. Deſideri or.
S. Chriſtophore or.
S. Peregrine or.
S. Georgii or.
S. Guirice or.
S. Theodole or.
S. Blaſi or.
Ss. Coſma, & Damiane orate.
Ss. Fabiane, & Sebaſtiane orate.
S. Minias cum Sociis tuis orate.
Omnes Ss. Innocentes orate.
Omnes Ss. Martyres orate.
S. Hilari or.
S. Baſili or.
S. Ægidi or.
S. Eugeni or.

S. Leo-

Unde exorta sit Litania. Quid significet? CLXXVIII.

IN Apocalypsi legitur. (IV. 3.) *Et Iris erat in circuitu sedis*. Super hoc exponit Beda sic: *Iris fit sole nubem radiante, & post diluvium primo propitiationis indicio factus Iris, intercessu Sanctorum, quos Dominus illustrat, Ecclesiam muniri significat*. Quia igitur Iris, qui erat in circuitu sedis, significat intercessiones Sanctorum, & sedes Ecclesiam, per quam præcedentes adventum Christi, & sequentes Sancti devotissime oraverunt, & orant, ratione semper aguntur Litaniæ ante Baptismum, & post Baptismum, & ante Consecrationes, ut qui terreni, & peccatores cœlestia, & Sancta tractare præsumimus, qui de propriis meritis peccati pondere gravati diffidimus, ad eadem digne peragenda, virtutum cœlestium, & eorum

X

S. Leonarde	or.	S. Mostiola	or.
S. Machari	or.	S. Christina	or.
S. Benedicte	or.	S. Columba	or.
S. Antoni	or.	S. Balbina	or.
Omnes Ss. Confessores	orate.	S. Potentiana	or.
Omnes Ss. Monachi, & Heremite	orate.	S. Regina	or.
		S. Praxedis	or.
S Brigida	or.	S. Eugenia	or.
S. Reparata	or.	Omnes Ss. Virgines	or.
S. Juliana	or.	Omnes Sancti, & Sancti Dei	orate.

,, Post Litanias sequitur benedictio Fontis. Dicit Pontifex, vel Archipresbyter, *Dominus vobiscum &c.* ,, & reliqua, (quæ hodieque adhibemus.) ,, Postea fundat Oleum similiter, & cum manu sua miscetet ipsum Chrisma, ,, & Oleum cum aqua. Tunc quæritur *Joannes*, *Maria*, & *Petrus*, & baptizat eos Episcopus hoc modo: Tenente eo Infantem interrogat Episcopus Patrinum, qui debet ipsum suscipere. Quis vocaris? ℟. N. Iterum ,, interrogat ita dicendo. *Credis in Deum Patrem &c.... Vis baptizari.* ,, ℟. *Volo*. Et accepto Infante, baptizat eum sub trina mersione Sanctam ,, Trinitatem invocando dicens: *Ego baptizo te in nomine Patris*, & mergit ,, semel, *Et Filii*, & mergit iterum, *Et Spiritus Sancti*, & mergit tertiò. Eodem modo Archipresbyter baptizat alios tres vel plures, si voluerit. ,, Tunc quilibet Patrinus suscipit Infantem; suum cum linteo in manibus, ,, & defert eum uni Presbytero. Ipse vero Presbyter facit de Chrismate Crucem cum pollice in vertice ejus cum invocatione Trinitatis Sanctæ dicens hoc modo:

Oremus.

,, Deus Omnipotens Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui te regeneravit &c.,, ut in hodiernis etiam Sacris libris. ,, Et indutum veste candida defert ,, eum ad confirmandum ab Episcopo in frontem. ,,

eorum, qui nos in Domino præcesserunt, Sanctorum patrocinio adjuvemur cum Litaniis; item cum suffragio, & intercessione Sanctorum Neophytos & Sacramentis Divinis, & totius plenitudinis unitate initiamus in Baptismate. Cum Litaniis etiam provectos ampliori munere spiritualium gratiarum perficiendos subvenimus in ordinatione. Cum Litaniis morientium animas commendamus in Sanctorum felici societate.

De Baptismo quid conferat, & a quo fuerit institutus. CLXXIX.

Q*Uicumque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus, (a) consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a morte per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Mors Christi nostræ mortis fuit abolitio, sed mors Christi simpla, nostra vero dupla. Nam per unam Christi mortem, ejus mortis in Baptismo nanciscimur abolitionem, quæ mortis Christi suscipit in Baptismate similitudinem. Hæc est mors animæ, quam statim salvatrix gratia depellit, aliam vero, quæ Corporis est, censura justitiæ reservavit. Sed & hoc mortale absorbebitur, (b) & rationis erat, ut sicut mors animæ causa fuerat corporeæ mortis, sic etiam justificatio spiritus causa fieret gloriosæ corporeæ mutationis. Baptismum Dominus instituit, cum de latere suo Sanguinem, & aquam produxit. Quem postea quasi edictali lege firmavit dicens. (c) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum cælorum.* Baptizatus est Dominus in sua Passione. Unde (d) *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* in quo fluvium Sanguinis, & aquæ profudit, & totum Corpus, quod est Ecclesia, lavit & super nivem dealbavit. Sic de latere Christi renascitur Ecclesia, sicut de latere Adæ fabricatur Eva. Iste fuit ergo Baptismus Abrahæ, & aliorum universalis, & Latronis in Cruce pendentis: debet autem fieri Baptismus in Ecclesia, quæ mater est, ex qua nova progenies generatur. Postea in principio Benedictionis Fontium, dividuntur Litaniæ, primo in septenas ad impetrandam septiformem gratiam Spiritus Sancti: Postea in quinas ad obtinendam quinque sensuum Corporis custodiam: Demum in ternas divisiones, ut in baptizandis Fides S. Trinitatis accrescat, (e) & quia per nos ad hæc impetranda non sufficimus, Sanctorum Suffragia postulamus.

De

(a) Rom. VI. 3. 4. (b) II. Corinth. V. 4. &c. (c) Jo. III. 5.
(d) Luc. XII. 50.
(e) De Litania *septena, quina, terna*, cum alii multi agant, agit procul dubio *Ordo Romanus* sub hoc titulo: *Deponitur cereus benedictus in fonte &c.* pag. 83. Tomi X. Bibliot. Patr. Paris. En quæ tradit idem

De Mysterio ipsorum, quæ in Benedictione Fontis aguntur. CLXXX.

BAptismus dicitur *unctio*, vel *lotio*. Baptismum Noe in Diluvio, Moyses in Mari Rubro, Salomon in Mari Æneo præfiguravit, Joannes Officio demonstravit, Dominus Baptismo confirmavit, Passione consecravit, mandato præcepit. Episcopus, vel Sacerdos dum Patrem orat, per Jesum Christum, Spiritum Sanctum implorat, ideoque prius legit in modum Orationis, sed postmodum gaudens Spiritum Sanctum advenisse, gratias agens, cantat in modum præfationis. Fontis consecratio in nomine Sanctæ Trinitatis, & maxime in Sancti Spiritus invocatione perficitur. Sancta Trinitas namque sic opera sua divisit, ut Pater hominem conderet, Filius redimeret, Spiritus Sanctus illuminans regeneraret: & regenerans illuminaret, & tamen indivisibilia sunt opera Trinitatis. Spiritum adoptionis Sacerdos implorat, ut aquam sanctificet, & fecundet. Cum in modum Crucis manu dividit aquam, recolit quod Moyses aquam tactu ligni dulcoravit, & aqua illa Baptismum, (a) Lignum vero Crucem præfiguravit. Per insufflationem intra sursum, in mundi Spiritus expulsionem insinuat; ideoque dicitur *Spiritus immundus abscedat*. In quo adimpletur Verbum Domini: *(b) Princeps Mundi hujus ejicietur foras*, per trinam in altum eam fieri vi Sanctæ Trinitatis demonstrat. Egresso Diabolo, aqua munitur Crucis signaculo, cum dicitur: *Sit hæc sancta*, ut sit libera ab impugnatoris incursu, ne ulterius locum habeat redeundi, & rursus ad idem, per invocationem Sanctæ Trinitatis munitur, cum subditur: *Sit Fons vivus*; per trinam enim manufactam divisionem trinam Sanctæ Trinitatis accipimus operationem, quod ex ipsis adjectionibus in Oratione concinitur, quia *Fons vivus* ad Patrem, aqua *regenerans* ad Filium, *unda purificans* refertur ad Spiritum Sanctum. Sicut enim in

X 2 Bapti-

---

idem Ordo. „ *Interim schola jussa facit Litaniam ad fontem ante al-* „ *tare, primo septenam, & spatio facto, faciunt alteram quinam, ita* „ *enim incboatur. Stat primicerius unus in dextro choro, & dicit cum* „ *ipso, Kyrie eleison: & respondet secundicerius cum sinistro choro, Kyrie* „ *eleison usque ter. Deinde Christe eleison usque ter. Hoc sunt septem vices* „ *repetita*: Adiicit Ducange: „ Acta Udalrici Episc. Augustensis: *Bapti-* „ *zatis tribus pueris cum Septena Litania.* „ Vide etiam, si libet, quæ tradit Mabillon pag. xcvii. 27. 104. Tomi II. Musei Italici: ea quoque quæ habentur pag. XV., & subseqq. tribus, rursus quoque pag. 89. 92., & 94. Tomi V. Oper. Ven. Card. Thomasii; Denique, ne cunctos afferam, quæ tradit egregius Martene *de Antiq. Ecclesiæ ritibus* agens Tom. I. lib. I. cap. 1. ar. 18. ord. 19; Et To. III. Lib. IV. cap. 24. §. 20. pag. seu col. 418. & rursus pag. 452.. & seqq.

(a) Exod. XV. 25. (b) Jo. XII. 31.

Baptiſmo Chriſti Trinitas affuit, ut Pater in voce, Filius in Perſona, Spiritus in Columba; ſic & noſtra benedictio per invocationem debuit fieri Trinitatis. Cum ergo dicitur *per Deum vivum*, Pater innuitur, deinde Filius cum ſubditur, *per Jeſum Chriſtum*, Exinde Spiritus, cum additur *virtus Spiritus tui*. Et attende quod in hujus ſerie benedictionis miracula facta in aqua ponuntur. Scilicet quod Creationis in primordio Spiritus ſuper aquas ferebatur; quod in Diluvio per aquam nocentis Mundi crimina purgabantur, quod in principio ab arida ſeparatur, (*a*) quod in Convivio aqua in vinum convertitur; (*b*) ut ſicut tunc miraculoſe Domini juſſis aquæ paruerunt, ita nunc per naturalem mundationem, quam lavandis poſſunt adhibere corporibus, ſint etiam miraculoſe purificandis mentibus efficaces. Vocis mutatio eſt Spiritus Sancti adventatio, vel potius mentis quædam humilis præparatio, ad impetrandum adventum Spiritus Sancti in aquam: quem poſt, alta voce, & hilari Sacerdos invitat dicens *Deſcendat in hanc aquam*. Unde cum protinus Cereos mittimus, Spiritum Sanctum in aquam deſcendere non dubitamus. Per Chriſmatis, & aquæ commixtionem, ſignificamus Chriſti, & Eccleſiæ conjunctionem.

De Credulitate in Baptiſmo exquirenda, & forma Baptizandi. CLXXXI.

Fonte Baptiſmatis conſecrato, exquirit Sacerdos a Patrino, qui ſuſcipit Infantem, vel ab ipſo Baptizando, ſi tantæ fuerit ætatis. *Credis in Deum Patrem Omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium Dei Unigenitum, & in Spiritum Sanctum: & Sanctam Eccleſiam Catholicam: & Remiſſionem peccatorum?* Et reſpondet Patrinus vel baptizandus *Credo*. Unde B. Ambroſius, dicit in libro de Sacramentis. (*c*) *In hoc fonte priuſquam*

(*a*) Gen. I. 9. 10. [*b*] Jo. II. 8. 9.

(*c*) Perquiſivi locum hunc tum in libro Ambroſii *de Myſteriis* inſcripto, tum in libris VI. quos *de Sacramentis* inſcribere conſuevimus. Porro eundem locum minime inveni. Aut itaque diligentiæ meæ locus iſte ſe ſe ſubtraxit, aut Scriptor iſte ſenſum potius, quàm verba reſpexit, & allegavit, aut denique Scriptorem alium valde ceteroqui probabilem, quem Ambroſium eſſe cenſuit, allegavit. Utcunque ſit, en quid ex Ambroſio in rem hanc didici. N. 28. cap. V. *de Myſteriis* hæc inſunt: *Deſcendiſti igitur, recordare quid reſponderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum: non habes illic: Credo in majorem, minorem, & ultimum: ſed eadem vocis tua cautione conſtringeris &c.* Et Capite VII. n. 20. libri II. *de Sacram. Interrogatus es. Credis in Deum Patrem Omnipotentem? dixiſti Credo, & merſiſti, hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, & in Crucem ejus: dixiſti: Credo, & merſiſti; ideo & Chriſto es conſepultus: qui enim Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertio interrogatus es: Credis, & in Spiritum Sanctum? dixi-*

quam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus: Creditis in Deum Patrem Omnipotentem. ℟. *Credo. Rursum interrogavimus: Creditis & in Jesum Christum Filium ejus, qui natus est de Spiritu Sancto, & Maria Virgine?* ℟. *Credo. Iterum interrogavimus: & in Spiritum Sanctum?* ℟. *Credo. Hoc autem fecimus juxta Domini Nostri Jesu Christi imperium, qui cum ad Patrem Cœlos ascenderet, Discipulis suis mandavit: Euntes Baptizate omnes Gentes: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* (a) *Item quod autem interrogavimus: Creditis in Sanctam Ecclesiam, & remissionem peccatorum, & Carnis resurrectionem? Non eo modo interrogavimus, ut quomodo in Deum creditur, sic & in Ecclesiam Sanctam Catholicam. Propterea Sancta, & Catholica est, quia credit recte in Deum. Non ergo diximus, ut in Ecclesiam quasi in Deum credatis, sed intelligite, nos dicere, & dixisse, ut in Ecclesia, & Sancta Catholica conversantes, in Deum crederetis: crederetis etiam resurrectionem Carnis, quæ futura est.* Postea ingressus Sacrarium baptizandus, ad Orientem convertatur; qui enim renuntiat Diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit intuitu. Baptizetur autem his verbis: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & quia in nomine Trinitatis, ut a tribus mortibus eripiatur, scilicet cogitationis, locutionis, & operationis, vel, ut a tribus, prævaricationibus liberetur, scilicet Legis Naturalis, Mosaicæ, & Evangelii, vel ut trinæ morti Christi conformetur, quoniam in morte ipsius Baptizati sumus. Unde Augustinus in tertia Homelia: *Postquam vos credere promisistis, tertio capita vestra in Sacro Fonte dimersimus. Qui Ordo Baptismatis duplici Mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis, quia accepistis Baptismum in nomine Jesu Christi, qui tertia die resurrexit a Mortuis, & in nomine Trinitatis; illa enim tertia repetita dimersio, typum Dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in Baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide, ut peccatis absoluti, in sanctitate virtutum vivamus, Christum imitando.* Est autem in hunc modum mersio facienda. Primo recta facie versus aquam, & Capite verso ad Orientem. Secundo verso Capite ad Aquilonem. Tertio verso Capite ad Meridiem, ut Crux in mersione formetur, quia qui Baptizatur, Mundo Crucifigitur, & configitur Cruci Christi.

De

---

dixisti: Credo; tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina Confessio. Et deinceps [n. 14.] *Ergo mersisti, venisti ad Sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater Omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Vide ubi unctus es: in vitam, inquit, æternam. Noli hanc vitam illi vitæ anteferre.* Vide quæ de his articulis SS. Patres docent.

(a) Rufinus porro in commentariis in Symbolum Apostolorum negat nos credere in *Sanctam Ecclesiam*, aut in *remissionem peccatorum*, sed docet nos tantummodo credere *Sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum*. Eum consule (n. 35. pag. 99. & 100. edit. Veron. an. 1749.) hodieque dicimus: *Credo in Spiritum Sanctum; Sanctam Ecclesiam Catholicam &c.* Vide Catech. Rom. ad hunc Artic.

De impositione Nominis in Baptismo, & Chrismatis Unctione in Vertice. CLXXXII.

QUod pueris Nomen imponitur in Baptismo, inde est quia Baptismus est vicarius Circumcisionis, in qua nomina pueris imponebant Hebræi, eo quod tempore Circumcisionis Abrahæ nomen fuerit immutatum. (a) Nam cum prius diceretur Abram, postea dictus est Abraham. Postquam ascenderit Baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro a Sacerdote cum Chrismate sequente simul & Oratione *Deus Pater Omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto*, ut Christi particeps fiat, & a Christo Christianus possit vocari. In hoc quasi Christo desponsatur infans, & ei Spiritus Sanctus pro arrhabone tribuitur, quod Papa Sylvester instituit. Cum enim gremium dilataretur Ecclesiæ, nec omnibus Episcopi valerent per confirmationem occurrere, ne sine Chrismatis unctione perirent, instituit, ut a Sacerdotibus in vertice super cerebrum, ubi est sedes sapientiæ, ungerentur. Et quidem hic datur Spiritus pro arrhabone, in confirmatione vero sequenti, quæ fit per Episcopum, datur ad robur, & augmentum gratiæ, unde si decesserit, pro rata gratia augmentum consequetur, & gloriæ. Verum tamen, & sine Unctione, credimus solo Baptismo salvari, sed (b) stella differt a stella in claritate.

De Confirmatione Episcopali. CLXXXIII.

URbanus I. (c) *Omnes Fideles per manus impositionem Episcoporum post Baptismum accipere debent Spiritum Sanctum, ut pleni Christiani inveniantur*. Episcopus vero confirmans his utitur verbis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum* (hanc famulam tuam) *ex aqua, & Spiritu Sancto: qui dedisti ei remissionem omnium peccatorum, emitte in eum septiformem Spiritum tuum Paraclitum de Cælis*. (d) Orat Episcopus pro confirmandis, quod sumptum est de Acti-

(a) Gen. XVII. 5. 11. &c. XXI. 3. 4. (b) I. Cor. XV. 41.

[c] Urbano I. Epistola tribuitur, in cujus Capite VII. hæc verba extant, quæque inlata sunt in Decretum Gratiani (Ial. part. Decreti distin. V. cap. I.) Eruditiss. Petr. Coustant. præcise Epistolam hanc Urbano adimit, monens nullum Urbani *genuinum scriptum ad nos pervenisse*. Vide pag. 115. Epist. *Roman. Pontificum*. Utcunque sit, antiquissima est sane, & probatissima editio hæc.

(d) Oratio hæc extat adhuc in *Pontificali Romano*, quod consule.

Actibus Apostolorum, ubi dicitur, (a) *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum*. Scilicet tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Ex quo colligitur, quod illuc ire debent Episcopi, ubi sunt quibus necesse sit manus imponi. Cumque illuc venerint, orent pro eis dicentes: *Emitte in eis Spiritum septiformem Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de Cœlis (b)*: Nullus enim Discipulorum, ut ait Augustinus, *dedit illis Spiritum Sanctum, sed orabant, ut veniret in eos quibus manus imponebant*. Quare Spiritum *septiformem* dixerit, subdit: (c) *Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii, & fortitudinis, Spiritum scientiæ, & pietatis, & adimplebit eum Spiritus timoris Domini*. Postea cum pollice, & Chrismate facit in fronte Crucis signaculum, ita dicens: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen*. Et quia per septenarium præsentis vitæ curriculum intelligimus, in septem diebus unctio non lavetur, ut in nobis adimpleatur, quod Salomon ait: (d) *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat*. Baptizatus mitra coronatur, & alba veste induitur, quia Christi Regis, & Sacerdotis membrum efficitur: Nam per Mitram Regis coronam, per albam Sacerdotalem accipimus dignitatem (e): vel per albam significamus innocentiæ stolam, quam in primo Parente perdidimus, sed per Christum in Baptismo recepimus. Amicti stolis albis, ut dicit Apocalypsis [f], & item (g) *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in libro vitæ*.

Quid Patrini suis debeant Baptizatis.
CLXXXIV.

Notandum est, quod illi qui Baptizant, Patres sunt Baptizatorum, ut ex multis testimoniis Scripturarum possumus conjicere. Sicut Marcus Evangelista Filius Petri dicitur; sed quoniam plures sunt qui baptizantur quàm dici possint filii, ab his qui baptizant, commendantur ceteris Patribus spiritualibus, ut hoc eis præbeant quod a Presbyteris præbendum erat, eosque & Orationem Dominicam doceant, quod omnes Christiani aut lingua Latina, aut patria scire tenentur; & qui hæc ignorat, Christianus non esse convincitur. Cum illos illa docuerint, eos pro suo posse, custodire debent, ne a Fide, vel justitia devient, utpote fidejussores illorum Fidei responsuri de omni excessu eorum in die Judicii. Nec dubi-

[a] VIII. 14. (b) Confer hæc cum Pontificali Romano.
[c] Sumpta sunt hæc ex Isaiæ XI. 2. &c. (d) Eccles. IX. 8.
[e] Latissimo modo hæc sunt dicta, item ut illa Petri I. 2. 9. *Regale Sacerdotium gens, Sancta &c.* (f) Cap. VII. 14. (g) Cap. XXII. 14.

dubitandum est, alterum in alterius fide salvari, & pro Confessione Fidelium Catechumenos liberari a Dęmonibus, quia legimus (a) Filiam Syrophenissæ per Confessionem maternam ab immundo Spiritu liberatam, cujus rei causam Augustinus ostendit dicens: *Ut quis regeneretur per Officium alterius, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex voluntate Parentum, aut fide offerentium, sed ex aqua, & Spiritu Sancto: Ergo aqua a foris Sacramentum, & Spiritus intus operatur gratiæ beneficium*. Numerus Patrinorum hic est, unus ad omnia Sacramenta sufficere potest, sed quia [b] *in ore duorum vel trium Testium stat omne verbum:* ideo tres ad plus debent esse, ne carnalis copula per spiritualem impediatur. (c)

Quotiens in anno, & quo die, & qua hora, & a quo, & in quo liquore Baptismus debeat celebrari. CLXXXV.

BIs in anno canonice Baptizatur, & tantum in Sabbato, quod *requies* interpretatur, quia æterna requies per Baptisma tribuitur. In Sabbato Paschali Baptisma celebratur, ut Christo mortuo sepeliamur, & Sabbato Pentecosten, ut Spiritum Sanctum in Baptismo recipere mereamur. [d] Et hæc Baptismi solemnitas in hora nona celebranda est, quoniam in eadem Christus expirasse legitur: (e) in cujus Morte baptizati sumus (f) hac etiam hora venit Angelus ad Cornelium nuntians ei Baptismum (g). Hac hora linteum Petro apparuit animalibus plenum. (h) Sed nullus nisi Sacerdos baptizare præsumat, quia Canones contradicunt. Verum frequens est aliquid extra Canones inveniri, nam qui necessitate ægritudinis, persecutionis, obsidionis, & naufragii coarctantur, omni tempore, & a quovis etiam laico, dummodo *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, aqua simplici baptizentur, & si supervixerint; ut volunt quidam, post hæc a Sacerdote catechizentur. Quidquid tamen sit de catechismo, in fronte Chrismatur ab Episcopo, nam & in hac simplicitate baptizabant Apostoli, scilicet in stagnis, & fontibus. Item non in vino, vel oleo, aut alio liquore baptizare licet, sed in aqua tantum, quia copiosius invenitur, unde Pauper excusationem veniendi ad Baptismum habere non po-

[a] Matth. XV. 21. 22. &c. (b) Matth. XVIII. 16.
[c] Consule quæ docet Martene *de Ant. Eccl. Rit.* lib. I. cap. I. art. 16. n. 13. pag. 164. & seqq. Tomi I. Adjice posteriores Eccl. editiones: veluti Concil. Triden. sess. 24. *de Refor. Matr.* cap. 2. Catech. Rom. *de Sacr. Baptis.* n. 19., & alias etiam.
(d) Recole quæ ad Caput CXIX. dixi. [e] Matth. XXVII. 46.
(f) Rom. VI. 3. (g) Act. X. 1. 3. *quasi hora diei nona.*
[h] Ibidem 9. 10. &c. *circa horam sextam, & cum esuriret &c.*

poteſt, & quia Spiritus (a) in principio ipſam foviſſe legitur, & quia ſordes abluit, ſitim comprimit, imaginem reddit, ignem extinguit, ſic in Baptiſmate a peccatorum ſorde lavamur, a fonte vitæ potamur, etiam in imaginem perditam reſtauramur, unda ignis pœnarum extinguitur. Quod autem in Evangelio legitur: (b) *Ille vos baptizabit Spiritu Sancto, & igne*, ſic intelligitur, Spiritu ſanctificationis, & igne tribulationis in præſenti, vel purgationis in futuro, vel igne ardoris, quo accenſi ſunt Apoſtoli in die Pentecoſtes & nos accendimur in manus impoſitione, quæ conſumit lignum, fænum, & ſtipulam, quia (c) *Deus noſter ignis conſumens eſt*, & calorem præſentat vitæ æternæ, & lumen videndi ea, quæ ſunt mortalibus oculis clauſa. Neophytis baptizatis, lampades Eccleſiæ, & eorum cerei protinus accendantur, ut bonorum operum lampadibus Chriſto reverenter occurrant ut Filii Eccleſiæ per Chriſtum illuminati. Nec debuerunt Cerei Neophytorum antea illuminari, quàm Spiritus Sanctus eorum corda purgaverit. Baptiſmo celebrato, poſſunt Miſſam Presbyteri celebrare, quia ſtatim convivium Sacrificii veſpertini conſtruitur, & pro Filio invento vitulus (d) ſaginatus adducitur: hinc eſt, quod Chriſtus dicitur *vitulus*, quia pro nobis eſt immolatus, & ideo *ſaginatus*, quia plenitudine Divinitatis impletus. Cui convivio Senior filius, ideſt Judaicus Populus, non vult intereſſe, ſed ſtans foris detrahit: exibit autem Pater ad eum, & ut ingrediatur ad Epulas ſuadebit, (e) quoniam reliquiæ Iſrael (f) convertentur, & *ſalvę* (g) *fient*.

De Miſſa, & Ordine totius Officii poſt Baptiſmi celebrationem. CLXXXVI.

Omnibus baptizatis, pręparatur Archipresbyter ſolemnibus indumentis, & alba caſula indutus, ad Miſſam cantandam cum Diacono in Dalmatica, & Subdiacono in Tunica. In Choro Plebs incipit Litanias, quas ſecundum ſpatium itineris protrahet, vel breviabit; & ſic præcedente vexillo cum Cruce, & Cereis, omnes bini, & bini redeant in majorem Eccleſiam eo ordine quo venerunt ad fontes. Finitis Litaniis Cantor in Choro incipit *Kyrie eleiſon*, & cantatur cum Organo, illum ſcilicet ubi ſunt Proſæ *Cantemus*: & interim Sacerdos ante Altare dicit *Introibo ad Altare Dei*, & cætera, & facit Confeſſionem cum Diacono, & Subdiacono. Ideo autem ad hanc Miſſam Introitus ſubticetur, quia caput noſtrum

Y adhuc

[a] Gen. I. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, legunt multi *fovebat aquas*.
[b] Luc. III. 16. (c) Hebr. XII. 29.
[d] Luc. XV. 23., & ſeq. [e] Ibid. verſ. 29.
[f] Iſa. X. 22.
[g] Rom. IX. 27.

adhuc est apud Inferos, vel antiquus mos repræsentatur, quando Missæ introitum non habebant, & hæc fuit ante Cœlestinum Papam consuetudo incipiendi Missam. Hujus igitur Missæ Officium per Kyrie eleison inchoatur, ut de renatis lætitia declaretur. Finito *Kyrie eleison*, Sacerdos dicit *Gloria in Excelsis Deo*, & hic Hymnus Angelicus tractim, & spatiose dicatur, statimque omnia signa in classico pro gaudio tantæ solemnitatis productius solito pulsentur, & tunc per omnes Ecclesias Civitatis primo debet pulsari. Inter hæc Sacrista omnes Lampades Ecclesiæ de novo igne cerei accendit, nam omnis anterior prius debuit extingui. Postea Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem *Deus qui hanc sacratissimam noctem*; & hinc constat, quod hæc Missa vel in nocte, vel saltem in solis occasu debeat celebrari. Sed nec in hac die, nec in præcedenti Missa fuit celebranda, quia constat Apostolos his diebus siluisse, & in tristitia fuisse, ideoque hæc Missa non est de Sabbato, sed potius ad diem Dominicum noscitur pertinere. Sequitur Epistola *Si consurrexistis*. Postea *Alleluja*, quæ pro recenti sui memoria a duobus in Choro cantetur, & ea finita altius repetatur ab eisdem. Et postea cantant *Confitemini*, & Tractum *Laudate*. Sequitur Evangelium *Vespere autem Sabbati*, ante quod non portantur Cerei, vel luminaria, sed tantum turibulum cum incenso, & prunis, quia in cordibus mulierum nondum surrexerat lumen veritatis, vel cum adhuc tenebræ essent, cum aromatibus ad monumentum venerunt.

De fine Missæ. CLXXXVII.

POst Evangelium dicitur *Credo in unum*, quod per totam sequentem Hebdomadam frequentatur, quando renati asseverant se in Deum credere, & ea quæ de Christo dicta sunt, firmissime retinere. Postea dicit Sacerdos *Dominus vobiscum*, & Oremus, sed Offertorium non cantatur, quia mulieres offerentes aromata propter legis mandatum, silent, (*a*) vel latenter veniunt ad monumentum. Deinde Præfatio *Te quidem Domine omni tempore*, quod tam in hac Missa, & in diebus sequentibus cantatur, sed modo dicitur *in hac potissimum nocte*; cras, & infra Octavam dicetur: *in hac potissimum die*. Transacta octava non addetur die, vel tempore, sed sic: (*b*) *in hoc potissimum gloriosius prædicare*. *Sanctus, Sanctus* non omittitur, quoniam Angeli resurgentis laudes non omiserunt, sed resurrectionem mulieribus annuntiaverunt. In Canone quoque cum dicitur *Communicantes*, additur, *& hanc noctem sacratissimam* celebrantes, & ita usque ad aliud Sabbatum dicitur semper ad Missam. Item *Agnus Dei* non dicitur quia tum Apostoli, vel mulieres nondum credebant posse peccata Mundi tolle-

[*a*] Luc. XXII. 56. [*b*] Ipsissima fere traduntur cap. 118. libri III. Operis, quod *Gemma Animæ* inscribitur.

tollere, sed nec osculum pacis datur, quia Christus, qui est vera pax nostra, nondum surrexit, nec pacem annuntiavit; quod in die Resurrectionis Apostolis ait: *Pax vobis*, nec Postcommunio cantatur, sed ubi debet dici *Agnus Dei*, alta voce incipit Cantor *Alleluja*, *Alleluja*, *Alleluja*. *Laudate Dominum omnes Gentes*. iterum *Alleluja* similiter. *Quoniam confirmata est*, item similiter *Alleluja*. *Gloria Patri*, *& Filio*. *Alleluja*. *Sicut erat in principio*. *Alleluja*, & ita per unumquemque versum dicatur *Alleluja*, ut in primo loco cantatur. Et nota quod *Alleluja* in Sabbato deponitur, & in Sabbato inchoatur, & in Sabbato geminatur, quoniam in lapsu Adæ, qui erat in magna quiete, gaudium perdidimus, sed animabus in requie recuperamus, & corporibus denique in Resurrectione geminabimus. His omnibus dictis, Cantor nihil aliud dicat, sed statim incipiat Antiph. *Vespere autem Sabbati*, quæ dicitur tota primo, & postea. Psalmus *Magnificat*. Finito *Magnificat* cum Gloria Patri, & Antiph. repetita, Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*, ℟. *Et cum spiritu tuo*. Oratio *Spiritum in nobis*, & sic Missa, & Vesperum sub una Oratione finiuntur. Unde apud quosdam dicitur postea *Benedicamus Domino:* sed nos quoties *Gloria in Excelsis* dicimus, semper *Ite Missa est* in fine Missæ cantamus. Ideo autem hoc totum Officium in una Oratione completur, quoniam in Christi passione, Sacramentum Baptismatis consumatur. Vel dies hæc in Missa, non in Vespera terminatur, ut Christus qui nos morte redemit, sine fine laudetur, qui est in sæcula benedictus.

De Benedictione Mensæ a Sabbato Sancto usque Octavam Pascha. CLXXXVIII.

Post celebrationem Officiorum Fratres vadunt ad Mensam cum gaudio, & pace, & incipiunt benedicere Mensam sic: *hæc dies*, *quam fecit Dominus*. *Gloria Patri*, & cætera. *Kyrie eleison*, *Pater noster*. Data Benedictione dicitur Lectio *In resurgendo*. ℣. *Benedictus*, *qui venit in nomine Domini Deus Dominus*, *& illuxit nobis*. *Gloria Patri*, & cætera. *Gratias agimus*, & cætera. Psalm. *Confitemini*. *Gloria Patri*, & cætera. *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, & cætera. *Pater noster*, *& ne nos*, & cætera. ℣. *Resurrexit Dominus*, & cætera. *Surrexit Dominus*, & cætera. Oratio de Resurrectione. Postea dicat Sacerdos *Benedicat nos qui creavit*, *& pavit*, & cætera. Hunc ordinem tenemus in Benedictione Mensæ usque octavam Resurrectionis; postea redimus ad consueta: sed in hac Hebdomada post tertium diem dicitur *De profundis*.

De Ordine Completorii usque Octavam, & hujus noctis recordatione. CLXXXIX.

AD Completorium hora congrua, pulsato signo, Fratres conveniunt in Capitulo, & lecta Lectione, more solito vadunt in Ecclesiam, & faciunt Confessionem. Postea Sacerdos dicit *Converte nos Deus salutaris*, & *Deus in adjutorium meum*, cum *Gloria Patri*. Antiph. *Venite, & videte locum*. Psalmi *Cum invocarem*, & cæteri. Postea non dicitur Capitulum, nec Hymnus, sed pro his dicitur Graduale *Hæc dies quam fecit Dominus*, & sine versu ad *Nunc dimittis*. Antiph. *Noli flere Maria*. Finita Antiphona non dicitur *Kyrie eleison*, sed statim *Dominus vobiscum*, & Oratio quæ dicta est ad Missam: & nota quod in his diebus usque ad Ascensionem in nulla hora dicitur *Kyrie eleison* post Orationem: per totam autem istam Hebdomadam, ad Vesperum, & Matutinum non dicitur Capitulum, nec Hymnus, nec Versiculus, sed pro his omnibus *hæc dies, quam fecit Dominus*. In aliis, autem horis dicitur Hymnus, & non Capitulum, nec Versiculus, sed loco illorum dicitur Graduale *hæc dies*, & sine versu. Supradictum modum in Completoriis servamus usque ad Octavam diem. Dicto Completorio, & accepta aqua benedicta, factaque Oratione, Fratres Dormitorium petant, recordantes semper se de perditissima Diaboli servitute liberatos, & in peculiari populo Dei assumptos, & quod is, qui potenter hac observabili semper nocte primogenita Ægyptiorum percussit, misericorditer in homine apparens, Mortisque regnum destruens, in hac eadem nocte, ad discernendos veros Israelitas ab Ægyptiis sustineatur venturus. Nocte itaque ipsa vigilandum est, quia in ipsa Christus resurrexit, quia dormivit in morte, ut vigilaremus, resurrexit a Mortuis, ut viveremus.

De termino Paschatis, & differentia inter Pascha, & Azyma. CXC.

PAschæ terminus nec ante duodecimo Kal. Aprilis, nec post decimo quarto Kal. Maii fieri debet, sed ubi inter hæc Luna decima quarta fuerit, ibi erit. Pascha vero, nec ante undecimo Kal. Aprilis, nec post septimo Kal. Maii fieri debet. Luna quoque non potest fieri minor, quam decima quinta, nec major quam vigesima prima. Unde Victor Papa, & Martyr constituit, & omnibus Alexandriæ Episcopis mandavit, (a) ut Sanctum Pascha die Dominico celebraretur, & a decima quarta Luna primi Men-

(a) Vide, obsecro, quæ de hoc argumento disseruit Egreg. Petrus Coustant (*Roman. Pontif. Epist.* col. 91. 92., & seqq.)

Mensis usque ad vigesimam primam observaretur. Inter Pascha, & Azyma legis hoc distat, quod illa una dies, qua Agnus occiditur cum sequenti nocte Pascha dicebatur, sequentes vero septem dies, idest a decima quinta usque ad vigesimam primam diem ejusdem Mensis, *Azyma* proprie vocabantur. Hac die apud nos interdum celebratur Resurrectio Domini.

De ordine Officii in Nocte Dominicæ Resurrectionis. CXCI.

NOcte igitur Sancta hujus diei, & omni Mundo exoptabili, ea hora, qua in Quadragesima ferialibus diebus pulsare consueverunt, Custodes Ecclesiæ majores Campanas solemniter sonent, accensis omnibus Ecclesiæ luminariis. Mox igitur ut signa sonari cœperint, surgentes Fratres in Ecclesia conveniant, & præ gaudio Dominicæ Resurrectionis ad agendum celebriter, & devotissime tantæ solemnitatis Officium, singuli sollicite præparent semetipsos: hodie autem aqua non benedicitur, sicut diebus Dominicis facere consuevimus, sed nos & populum aspergimus, & ad Processionem similiter, de illa aqua, quæ fuit extracta de Fontibus ante inmixtionem Chrismatis, & in concha Ecclesiæ usque ad alium diem Dominicum reservatur. Demum facta secunda pulsatione, Sacrista de candelis, quæ offeruntur ante Altare B. Virginis, duas ad unumquemque Fratrem Canonicum tribuat, & cum istis Candelis accensis Archipresbyter, vel Præpositus, & Cantor induti Pluvialibus, & alii Fratres Canonici vadant in Curiam ad Episcopum, qui indutus Pluviali, & cum Mitra omnes suscipit in osculo Sancto dicens: *Resurrexit Dominus;* & quisque respondet: *Deo gratias*. Quo facto, omnes, dum incipit tertia pulsatio, cum Episcopo redeant in Choro, cum prædictis Candelis accensis, quas de manibus singulorum Canonicorum in ingressu Chori suscipit Custos, & eas simul portat ante Episcopum, donec ascendat ad Sedem Episcopalem. Postmodum reddit illas Camerario Canonicorum, & Camerarius eas suscipit, & ad usum Fratrum illas reponit. Postea Dominus Episcopus indutus Pluviali ad agendum celebriter, & devotissime tantæ solemnitatis Officium, pulsata tertia vice in classico ante Altare incipiat, *Domine labia mea aperies*, & *Deus in adjutorium meum*. Si Episcopus deest, Archipresbyter incipiat, vel Septimanarius, & statim Cantor cum tribus Fratribus indutis Pluvialibus ascendat super quartum gradum ante Altare Virginis, & inchoet Invitatorium *Alleluja*, & cantet æquali voce similiter & *Venite*. Postea in fine quando reiteratur Invitatorium, debet dici cum Organo. Quo facto, statim in eodem loco, Cantor incipiat Antiph. *Ego sum qui sum, & consilium meum non est cum impiis:* & sine Organo, & Chorus respondet. *Sed in lege Domini voluntas*. Psalmus. *Beatus vir*. Finita Antiphona qui cantaverunt *Venite*, vadunt ad manum Episcopi. Item Antiph *Postulavi*. Psalm *Quare fremuerunt*. Antiph. *Ego Dormivi*. Psalm. *Domine quid*. Singulæ Antiphonæ de Nocturno ante singulos

gulos Psalmos finiantur, & post Psalmorum finem iterum repetantur: Quibus finitis Cantor in Choro, loco Versiculi cantat Gradale [a] *Hæc dies, quam fecit*. Lectiones leguntur de Homelia Evangelii *Maria Magdalena*, & leguntur Lectiones in majori pulpito. Interim autem dum Lectiones leguntur, Altaria incensentur, & Fratribus, & Populo detur incensum. Responsoria de propria Historia. Primum ℟. *Angelus Domini descendit*. II ℟. *Angelus Domini*. Singulis Responsoriis *Gloria Patri* subjungitur; quia Trinitas ab omnibus ordinibus collaudatur.

De tertio Responsorio, & ordine sequentis Officii. CXCII.

Consuetudo nostræ Ecclesiæ talis est, quod Cantor cum duobus Fratribus, hac nocte tertium ℟. post Altare Beatæ Mariæ Virginis æquali voce incipit: *Dum transisset Sabbatum*. ℣. *Et valde*, cum Organo, & statim Chorus respondet, & dicit prosas semper cum Organo, scilicet *Christus ab Inferis*, & alias sicut sunt in Antiphonario, & post prosas singulas Cantor cum Sociis cantat notas cum Organo, quisque in suo loco, & sic usque ad finem Responsorii. Quo finito, & Cantor reincipiat ℟. cum Organo usque *Aromata*, & Chorus similiter cum Organo respondet ab eo loco ubi dicit: *Ut venientes ungerent Jesum*. Postea statim Cantor cum duobus prædictis venit ante Altare, ipse in medio, alii hinc, & hinc, & tenent linteum in manibus, ubi est pictura Salvatoris, & ibi incipiunt cum Organo. Antiph. *Surrexit Christus*, & Chorus respondet *Alleluja*. Quo finito, statim omnia signa pulsantur, Cruces discooperiuntur, & mox *Te Deum laudamus* incipiatur, & cum Organo dicatur. Deinde cantetur ℣. *Hæc dies*. Postea in Laudibus dicit Episcopus, vel Sacerdos *Deus in adjutorium meum intende*, & Cantor incipit Antiph. *Et valde mane*, & cæteræ dicuntur postea, quæ sequuntur. Deinde ℣. *Hæc dies*. Ad Benedictus Antiph. *Angelus autem Domini*. Oratio *Deus qui hodierna*. Qua Oratione finita, cantatur Antiph. *Crucifixum in Carne* ante Cruces: (b) Et in Ecclesiis, quæ habent Cruces extra Chorum vadunt illuc, cum Vexillo, & Cruce cantando hanc Antiph. *Crucifixum in Carne*. In aliis diebus per totam istam Hebdomadam hac hora cantamus Antiph. *Surrexit Christus*, semper cum Organo, & ibi ante Crucem finita Antiph. dicitur ℣. *Dicite in nationibus Alleluja*. Oratio *Deus qui pro nobis Filium tuum, ... per eundem*. Statim Cantor incipit Antiph. *Regina Cæli*. ℣. *Benedicta tu in mulieribus Alleluja*: & post incipit:

In hoc Paschali jubilo,
Summo cum tripudio,

Bene-

(a) Seu *Graduale*. (b) Non paucas Antiphonas ad locum hunc pertinentes, & superioribus affines habes pag. 97. Tomi V. Oper. Ven. Card. Thomasii Vide etiam Respons. & Antiphonarium Gregorii M.

Benedicamus Domino,
Alleluja, *Alleluia*, *Alleluja*.
Vicit Leo de Tribu Juda,
Atque mors remansit nuda,
Deo dicamus gratias,
Alleluja, *Alleluja*, *Alleluja*.

Mox Episcopus vel Archipresbyter incipiat Primam, & dicat *Deus in adjutorium*, cum *Gloria Patri*. Statim Cantor in eodem loco incipiat Hymnum *Rex Christe clementissime (a)*, qui totus sine Organo dicatur, & iste Hymnus per totam Hebdomadam dicitur ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam. Item Antiph. *Et dicebant*. Psalm. *Deus in nomine*, *& Beati immaculati*. *Quicumque vult* non dicitur ab hac Dominica usque Octavam Pentecostes, quia hoc tempus significat Octavam Resurrectionis, ubi non erit fides quæ evacuabitur, sed res quæ comprehenditur. Preces etiam prætermittuntur, quia ubi non erit miseria, nec erit petenda misericordia. Finitis Psalmis, cantatur Graduale *Hæc dies*. Quo finito Archipresbyter dicat *Dominus vobiscum*, & cætera Oratio *Deus qui hodierna*, & *Benedicamus Domino* simpliciter canitur, & sic dicimus Primam usque Octavam. Postea Fratres omnes veniunt in Capitulum, & pulsato signo, & ætate Lunæ pronuntiata, Archipresbyter dicit ℣. *Hæc dies, quam fecit Dominus*. ℣. *Surrexit Dominus de Sepulcro, qui pro nobis*. ℣. *Surrexit Dominus vere, & apparuit*. ℣. *Gavisi sunt discipuli viso Domino*. *Benedicite*. ℟. *Dominus*. Statim Fratres inter se osculantur in osculo Sancto, & sic solvimus Capitulum, per tres dies, sed non cum osculo, nisi tantum in die Resurrectionis, postea in aliis octo dicitur *Pretiosa*, more solito, sed non *De profundis*.

Quod

(a) Est extrema portio celebris Hymni Paschalis: *Aurora lucis rutilat*, seu, ut nunc post emendationem Urbani VIII legimus, *Aurora cœlum purpurat*: Illius quoque qui canitur in laudibus Apostolorum tempore Paschali: *Paschale mundo gaudium*. En porro quomodo canebatur hæc Hymni portio, eam adducente Cassandro pag. 233., & rursus habetur in edit. Oper. Ven. Card. Thomasii pag. 371. Tomi II.

Rex Christe Clementissime
Tu corda nostra posside,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.
Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti a Mortuis
Cum Patre, *& Sancto Spiritu*
In sempiterna sæcula.

Quod in Resurrectione, & Pentecostes tantum tres Psalmi, & tres Lectiones dicere debemus. CXCIII.

DE ordine Officii diei hujus in Matutinis, & in Pentecoste, Gregorius Papa VII (*a*) in generali Synodo residens dixit: In die Resurrectionis usque in Sabbato in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbato ejusdem Hebdomadæ tres Psalmos tantum ad Matutinum, tresque Lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus diebus, aliisque per totum annum, si Festivitas est, novem Psalmos, & novem Lectiones dicimus: aliis autem diebus XII Psalmos, & tres Lectiones recitamus. In Dominicis diebus XVIII Psalmos, excepto die Paschæ, & Pentecostes, & novem Lectiones celebramus. Tres Antiphonæ cantantur, in quibus Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli significantur. Tres Psalmi tria tempora, tres Lectiones quasi lex, Psalmi, Prophetæ, Resurrectionem Domini profitentur. Tria Responsoria tres hominum ordines, scilicet Noe, Job, Daniel, qui Christi Resurrectione salvantur. Vel ternarium in omnibus frequentamus, ad repræsentandam triduanam Sepulturam, quæ præcessit Resurrectionem hodiernam, vel propter Sacramentum Baptismi in trium Personarum nomine celebratum. Vel paucitate utimur Lectionum propter paucitatem, quæ tunc aderat Prædicatorum, vel ad repræsentandum ea trium dierum opera, quæ Dominus repromisit, Dæmones ejicere, sanitates perficere, & die tertia consumari. Primo enim in exorcizatis expellit Diabolum per abrenuntiationem, secundo in eis perficit sanitatem per fidem, & tertio eos justificat per manus impositionem.

De

(*a*) In editis Gregorii VII Synodis locum hunc perquisivi, consulens Tomum XII. Conciliorum a Labbe collectorum, & ab Albritio, & Colleto Venetiis editorum, & locum hunc minime inveni. Quod mirum non est: multa enim in editis Conciliis desiderantur, quæ procul dubio ab Egregio Pontifice statuta sunt. Sane de constituto eo, de quo agimus, in Generali Synodo a Gregorio VII. Decreto dubitare non sinit Gratianus Gregorii VII. temporibus proximus: hæc enim tradit [Tert. par. *de Consecr.* dist. n. V. cap. XV.] *Item Gregorius VII. in Generali Synodo residens statuit: In die Resurrectionis usque in Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbatum ejusdem, tres Psalmos tantum ad Nocturnos, tresque Lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum Annum, si festivitas est, novem Psalmos, & novem Lectiones dicimus: In Dominicis diebus XVIII. Psalmos* (excepto die Paschæ, & Pentecostes) *& novem Lectiones dicimus.* Eadem assequimur ex Micrologo cap. 54. quod consule, si vis.

De Populari Missa, & admonitione percipiendi Corpus Domini. CXCIV.

POst Primam congrua hora cantatur Populo Missa Matutinalis, in qua, secundum Populi æstimationem, tot hostiæ consecrentur, quot sufficere videantur. Finito Offertorio, & recepta oblatione Populi, Septimanarius ad Altare conversus intret in consecrationem Sacramentorum, ubi illud quod *infra fractionem* specialiter pro renatis intitulatur, per hos septem dies non prætermittatur. Præfatio *Te quidem omni tempore*, usque in Vigiliam Ascensionis quotidie dicitur, nisi in festivitatibus Apostolorum. In hac Missa Populari, cum quanta cordis puritate, & animi devotione ad communicandum accedere debeant, exhortentur, & moneantur homines, quamque periculosum sit eis, qui vel usuras accipiant, vel res Ecclesiæ, & Decimas injuste detineant, vel odium contra aliquem in corde habeant, vel aliquo mortali crimine publice, vel occulte teneantur obnoxii, ad Mensam Domini non sine consilio Sacerdotum, Christiani accedere edoceantur. Notificandum est etiam Populis, quod sunt aliqui, qui servata in corde contra quemlibet aliqua causa discordiæ, in suis Parochiis ad communicandum accedere audent, ne aut peccantibus sibi cogantur dimittere, vel si noluerint, publice priventur Communione. Quod quia a nobis ignoratur, quasi latere se putant ante interni inspectoris intuitum, & apud nos salutaria Sacramenta perniciose ad damnationem suam usurpare præsumunt. Quorum ne ullus, nisi in suis Parochiis communicare præsumat, sub terribili contestatione interdicatur, ne si audacter Deum irridere tentaverit, quod de Juda traditore legitur, illis, quod absit, eveniat, quia *post bucellam tunc in eum Sathanas introivit (a)*. Illi autem qui non fuerint parati communicare, quia interdictum est eis Corpus Domini a Sacerdote, cum reverentia recipiant Eulogias, idest panem benedictum. Quibus vero non est interdictum pro Pœnitentia, & ipsi qui volunt remanere in malo, & nolunt pœnitere, & propterea non accipiunt *quia nolunt benedictionem*, *(b) elongabitur ab eis*, sicut ipse ait in Evangelio: *(c) Qui non manducat Corpus meum, & bibit Sanguinem meum, non habebit vitam æternam*. Finita Missa, Sacerdos exutus casulam, & alii duo Sacerdotes Canonici cum eo simul omnes induti Pluvialibus sursum ad Altare expedite studeant Populo distribuere Sacram Communionem. Omnibus Communicatis, Sacerdos ad Infirmos de sua Parochia hac die ire debet, ut eos communicet, quos tunc invenerit jejunos, aliis enim nisi desperatis (d) Eucharistia non est tribuenda. Quilibet

Z

(a) Joan. XIII. 27. (b) Psal. CVIII. 18.
(c) Joan. VI. 54. 55. (d) Idest de salute temporali desperaretur, tunc enim eis Sacrum Viaticum detur, etiam si jejuni non sint.

libet tamen hac die ipsam tenetur accipere. Unde in Concilio Agathensi. (a) *Sæculares qui in Nativitate Domini, Pascha, Pentecoste non Communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.*

De Ordine Processionis in Pascha, & ejus Mysterio. CXCV.

POst Missam Popularem, majores Campanæ pulsentur ad Missam majorem, & tunc omnes Clerici de Civitate coadunantur in Curia Domini Episcopi, & ibi Episcopus cum Diacono, & Subdiacono more solito induitur solemnibus indumentis ad Missam celebrandam. Postea Clero coadunato, & omnibus ordinatis, & præparatis, quæ ad Processionem sunt necessaria, unus de Sacerdotibus induatur Pluviali, qui ad spargendam aquam benedictam procedat in Processione, & vexillo cum Cruce præcedente, & Cereis accensis a pueris indutis Tunicellis deportatis, statim Cantor incipit alta voce cantare: *Vidi aquam egredientem.* ℣. *Salvum me fac.* Postea Antiph. *Surrexit Christus.* (b) Deinde *Crucifixum in Carne,*

---

[a] Can. XVIII. pag. 524. Tom. V. Concil. Edit. Labbe Albritii &c.

(b) En quæ ex Libro Processionali Ecclesiæ Senensis exscripsit, & ad me misit accuratissimus, itemque mei studiosissimus Abbas Joseph Ciaccheri:

In die Resurrectionis Domini ad Processionem dicuntur ista ad tertiam.

Crucifixum in Carne laudemus, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Et sepultum propter nos glorificemus, Alleluja, Alleluja, Alleluja. Resurgentem de morte venite adoremus, Alleluja, Alleluja, Alleluja. ℣. *Una Sabbati surrexit valde mane. Sic apparuit Maria Magdalena.* ℣. *Hæc est dies, in qua Christus gloriosus ab inferis resurgendo illustravit.* ℣. *Hoc est sanguine redemptus Mundus totus.* ℣. *De Sepulcro Resurrexit Pastor bonus, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja.*

Versus ante januas Ecclesiæ super gradum dicuntur a tribus cum Organo:

Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.

[Hi Versus olim tribuebantur Lactantio, sed Venantio Fortunato nostris temporibus tribui solent. Vide, ne multos memorem, quæ de hoc carmine tradit Jo. Alber. Fabric. *Biblioth. Latin:* To. II. lib. IV. cap. 2. n. 17. pag. 239.]

Hic Chorus ℟. idem æqualiter *Salve.*

Tempora florigero rutilant distincta sereno,
Et majore poli limine porta patet.
Salve.
Altius ignivomum solem Cœli orbita ducit,
Qui vagus oceanas exit, & intrat aquas.
Salve.

Re-

ne, & ita totus Clerus ordinate exeat, ut bini, & bini vadant. Si autem Episcopus non fuerit præsens, Archipresbyter cum Diacono, & Subdiacono, post Altare B. Mariæ Virginis, vel in Sacrario sacris vestibus induuntur, & de Choro cum Clero ibi collecto, ordinate, ut dictum est, exeunt cantando, & euntes sub Ecclesia S. Jacobi circa Palatium Episcopi usque super gradus ante januas majoris Ecclesiæ redeant, & ibi statim totus Clerus faciat Chorum in Platea, Domino Episcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono, & his, qui Crucem, & Vexillum, & Cereos portant, juxta eos in medio stantibus; Cantor cum duobus mox vadant, & stent super gradum in januis, & alta voce cantent

---

Reliqua prætereo, cum quisque ea facile legere possit in veteribus Lactantii editionibus, & inter Fortunati carmina. Desinunt porro versus hi ad pentametrum

Dantque Creatori cuncta creata precem,

& statim repetuntur priores versiculi

Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra simul.

In ingressu Ecclesiæ dicit Episcopus, vel Archipresbyter: *Sedit Angelus ad Sepulchrum Domini stola claritatis coopertus. ℣. Videntes eum Mulieres nimio terrore perterritæ astiterunt a longe. Tunc locutus est Angelus, & dixit eis. ℣. Nolite metuere; dico vobis quia illum, quem quæritis mortuum, jam vivit, & vita Hominum cum eo surrexit: Alleluja. = Crucifixum Dominum laudate, & sepultum propter nos glorificate, resurgentemque a Morte adorate. Nolite. ℣. Recordamini quomodo prædixit, quia oportet filium hominis Crucifigi, & tertia die a Morte suscitari. Nolite metuere &c.*

Ad Missam Majorem, & ad Vesperum *Kyrie eleison, Christe eleison &c.*

Hæc Antiph. dicitur sero, cum reditur a fontibus. *Ego sum Alpha, & Omega, primus, & novissimus, initium, & finis, qui ante Mundi principium, & in sæculum sæculi vivo in æternum. Manus meæ, quæ vos fecerunt, clavis confixæ sunt, propter vos flagellis cæsus sum, spinis coronatus sum, aquam petii pendens, & acetum porrigebant in escam meam, fel dederunt, & in latus lanceam; mortuus, & sepultus sum, resurrexi, vobiscum sum; videte quia ego ipse sum, & non est Deus præter me; Alleluja. ℣. Quoniam apud te est fons vitæ. ℟. Et in lumine tuo videbimus lumen.*

Oremus.

Deus, qui credentes in te fonte Baptismatis innovasti, hanc renatis in Christo concede custodiam, ut nullo erroris incursu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per eundem &c.

In hoc Paschali gaudio,
Summo cum tripudio,
Benedicamus Domino,
Alleluja, Alleluja, Alleluja.
Vicit Leo de tribu Juda,
Atque Mors remansit nuda.
Deo dicamus gratias
Alleluja, Alleluja, Alleluja.

tent cum Organo ℣. *Salve festa dies*, & *Qua Deus*. Deinde Chorus respondeat idem, scilicet *Salve*, & *Qua Deus*, tantum æquali voce, & tunc aliquantulum procedunt cum Cruce, & Cereis. Postea Cantor cum duobus canit alios Versus, & Chorus movens se sicut prius respondet *Salve*, & cætera ,& sic pedetentim vadunt usque ad januas. Cum autem Episcopus, vl Archipresbyter fuerit in januis, incipiat in introitu Ecclesiæ cantare hanc Antiph. *Regina Cœli*, & hanc Antiph. cum Organo cantantes omnes redeunt in Chorum. Notandum vero quod hodierna Processio illud nobis recolit, quod Rex gloriæ cum exercitu redemptorum de Infernalibus claustris ad Cęlestia Regna migravit, & in significatione Baptismi nos, & loca aqua benedicta conspargimus, non ut rebaptizemur, sed ut gratiam Divini nominis cum memoria Baptismatis invocemus. Aqua etiam munditiam vitæ significat, & luminaria quæ præcedunt, opera bona, secundum illud: (a) *Sint lumbi vestri præcincti, & Lucernæ ardentes &c.* Crux vero, quæ præcedit; *Ut Carnem Crucifigamus cum vitiis, & concupiscentiis*, docet. In aspergendo cantatur *Vidi aquam*: quod sumptum est de Ezechiele. (b) Aqua de Templo egrediens, est fons Baptismi de latere Christi procedens, sed cum fuerit lanceatus in lævo, hic dicitur a latere dextro, quia de Divina Christi Natura, quasi de dextro latere Spiritus Sancti aqua invisibilis procedit, quia aqua visibilis, quasi de latere lævo, idest de humanitate, lanceata profluxit, tribuit virtutem salvandi.

De Ordine Officii ad Majorem Missam. CXCVI.

FActa Processione cum omnes reversi fuerint in Chorum, statim Sacerdos Canonicus incipit Tertiam *Deus in adjutorium*. Hymnus *Rex Christe Clementissime*, (c) & *Quæsumus ave*; & *Gloria tibi Domine*. Antiph: *Et respicientes*. Psalm. *Legem pone*. Dictis Psalmis non dicitur Capitulum, nec Versiculus, sed tantum cantatur Graduale *Hæc dies*, sine versu. Oratio *Deus qui hodierna*. Postea Cantor cum duobus in Choro incipit trophum, & cum Organo. Finito tropho, incipiunt Officium *Resurrexi*, & statim Fratres cum aliis qui stant ad sedes, cantando simul introitum finiunt usque ad Versum, & Cantor canit versum cum duobus in eodem loco, & cum Organo. Postea Chorus repetit Officium *Resurrexi*, & Cantor cum suis cantat *Gloria Patri*, & cum Organo, & iterum Chorus repetit

[a] Luc. XII. 35.

[b] Arbitror Scriptorem nostrum indicare versiculum 1., & 2. capitis XLVII. Ezechielis, qui versiculi sic se habent: *Et convertit me ad portam Domus; & ecce aquæ egrediebantur subter limen Domus ad Orientem .... aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem Altaris ... Et ecce aquæ redundantes a latere dextro &c.*

[c] Recole Annot. capitis CXCII. *Est extrema portio &c.*

petit Officium *Resurrexi*. Deinde Cantor ibidem incipit *Kyrie eleison*, scilicet illud, ubi sunt Prosæ *Cantemus cuncti*, & cum Organo. Postea cantant alii, ex alia parte Chori. Interim autem Episcopus cum Archipresbytero, Diacono, & Subdiacono dicit Tertiam, & eâ dictâ veniunt ante Altare, & faciunt Confessionem more solito. Postea Episcopus ascendens ad Altare, & deosculans apertum librum Evangelii positum super Altari in dextro latere a Diacono, dat pacem Archipresbytero, & Archipresbyter post pacem acceptam, osculatur pectus Episcopi, & similiter faciunt Diaconus, & Subdiaconus. Deinde Subdiaconus dat turibulum cum prunis Diacono, & sumens incensum offert illud Episcopo, osculando manus ejus, & postquam Episcopus thus posuerit in turibulo, & benedixerit, turificat Altare desuper, & ante. Postea Diaconus recipit turibulum, iterum osculaudo manus ejus, & dat incensum Episcopo, & undique incensat Altare, & postea dat Archipresbytero, & Subdiacono, & tunc Subdiaconus recipiens turibulum facit incensum ipsi Diacono, & postea reddit turibulum Acholyto, vel Custodi. Deinde Episcopus ascendens superiorem sedem Episcopalem, ibi dicit: *Gloria in Excelsis* stans revolutus versus Altare. Postea ibidem manens, conversus ad Populum dicit: *Pax vobis*, quæ proprie die ista est salutatio Episcopalis, & respondetur: *Et cum Spiritu tuo*. Oratio *Deus qui hodierna die*. Sequitur Epistola. *Expurgate*.

De consuetudine cantandi Epistolam, & Ordine sequentis Officii. CXCVII.

EX longa, & antiqua consuetudine, tali die in nostra Ecclesia ad Missam Majorem Epistola cantari consuevit a tribus hoc modo. Tres Cantores induti Pluvialibus, vel duo tantum cum Subdiacono, ascendunt Pulpitum dicta Oratione, & unus incipit Epistolam Hebraice canere, & solus cantat totum primum Versum: Postea alius cantat Græce suum versum, demum tertius cantat suum versum Latine, & sic faciunt usque ad ultimum versum. Ultimum autem versum, scilicet *Sed in Azymis*, omnes simul cum Organo cantant. Finita Epistola, vadunt ad manum Episcopi, & statim Cantor facit cantari Graduale *Hæc dies*, & ℣. *Confitemini*, a duobus in Choro, & ipse cum tribus ascendit majus Pulpitum, & cantato Graduali, cantant ibi exultanter, & cum Organo *Alleluja*, *Pascha nostrum*, & Prosam *Epulemur*, & postea repetito Alleluja cum Organo, cantant Antiph. *Angelus autem Domini*, & cum Organo. Inter hæc Subdiaconus repræsentat turibulum cum igne, & tus Domino Episcopo, ut ponat illud, & benedicat. Diaconus vero desuper Altare accipit librum Evangelii, & ab Episcopo flexis genibus petit benedictionem dicens: *Jube Domine benedicere*, & Episcopus dicit *Dominus sit in corde, & in labiis tuis, ut competenter annunties Evangelium Christi*; & statim Diaconus accepta benedictione, osculatur manum Episcopi. Postea cum

Can-

Cantor inceperit Antiphonam, præcedentibus Cereis accensis, & Subdiacono cum turibulo, Diaconus vadit super Pulpitum, Sacerdote, vel Archipresbytero, & Episcopo ipsum comitantibus, & aperto libro, postquam dixerit *Dominus vobiscum*, turificat librum, & postquam signaverit se, & librum signo Crucis, incipit legere, & a dextris, & a sinistris ejus stant qui tenent Cereos ardentes, & Subdiaconus retro cum turibulo. Finito Evangelio, & eo osculato, & odorato incenso, accipit Diaconus turibulum, & offert Episcopo odorandum, & Subdiaconus accipiens librum, postea offert Evangelium Episcopo deosculandum, & statim Episcopus facit sermonem Populo; quia indignum est valde, ut ea die laudes debitas taceat lingua Carnis, qua videlicet Caro resurrexit auctoris, & cum etiam Mulieres in Evangelio prædicent, Doctores Ecclesiæ tacere non debent. Facto Sermone ab Episcopo, Diaconus facit Confessionem Populo, & postea Episcopus indulgentiam faciens, licentiat Populos cum benedictionis signo. Deinde cum reversi fuerint ad Altare, Episcopus dicit *Credo in unum*. Postea suo loco Cantor cum aliis in Choro solemniter, & cum Organo cantant *Sanctus*, *Sanctus*, & *Agnus Dei* similiter. Consumatis Sacramentis Altaris, & dicta Benedictione Episcopali, & *Agnus Dei*, & pace data Clero, & Populo, post acceptam Communionem a Domino Episcopo, & Archipresbytero, & Diacono, & Subdiacono, Fratres communicandi cum magna humilitate, & cordis puritate bini, & bini veniant communicare, & interim Diaconus habeat Calicem præparatum cum Sanguine, subtus involutum mundissimo linteamine, ut si aliquid distillaverit, in ipso recipi possit; & unusquisque Fratrum ea hora, qua ad suscipiendum Dominicum Corpus accedit, velut in præsenti Christum positum se invitantem audiat, *accipite, & manducate ex hoc omnes, hoc est enim Corpus meum*, & quilibet veraciter de Sanctissima, ac Venerabili manu ipsius, omnium bonorum plenitudinem ex hoc munere se credat accepisse. Post receptam Communionem unusquisque Fratrum de Sanguine modicum quid accipit, & Custos stet juxta Diaconum habens vinum in vitreo vase, de quo cum opus fuerit, in Calicem mittat, donec de ipso Fratres singuli consumpserint: quibus omnibus Communicatis, & Postcommunione cantata, Dominus Episcopus ad Altare accedens Missam complet:, & dicta Oratione, Diaconus solemniter dicit *Ite Missa est*, & statim pulsatur Campana, quæ ad Tertiam pulsari consuevit.

Qua-

Qualiter post Missam, & Sextam cantatam Fratres vadunt ad Mensam, & Agnum assatum, & Mensam benedicant. CXCVIII.

Finita Missa Majori, cantatur Sexta. Hymnus (a) *Rex Christe Clementissime.* Antiph. *Nolite expavescere.* Psalm. *Defecit.* Item pro Capitulo, & Responsorio, & Versiculo canitur Graduale *Hæc dies.* Item Oratio *Deus qui hodierna.* Postea Fratres Canonici cum tota familia vadunt ad comedendum in curiam Domini Episcopi, & cum omnes in sedibus ad Mensam fuerint ordinati, antequam dicatur aliqua Benedictio Mensæ, Dominus Episcopus, accepta Stola (b) Agnum assatum coram se positum benedicit secundum ordinem benedictionis, quæ continetur in libro, & ipso benedicto, aspergit aquam benedictam Episcopus super eum: hanc autem benedictionem similiter faceret Archipresbyter, vel Sacerdos Canonicus, si tali die Fratres comederent in Refectorio Canonicæ. Postea Dominus Episcopus hoc modo incipit benedicere Mensam: *hæc dies quam fecit Dominus*, & cætera. *Gloria Patri. Kyrie eleison. Pater noster, & ne nos*, & cætera. Postea Subdiaconus petita, & data benedictione ab Episcopo, legit Capitulum de Epistola. Demum de carnibus ipsius Agni dispensatore singulis portiunculam tribuente, unusquisque primum modicum quid cum reverentia gustet, & postmodum de aliis sibi appositis percipiat refectionem. Peracta comestione, & dicto a Subdiacono, Capitulo, de fine Epistolæ, in resurgendo dicitur ℣. *Benedictus qui venit*, & cætera. *Glo-*

---

[a] Recole dicta cap. CXCII.

[b] Ex libro Processionali Ecclesiæ Senensis benedictionem hanc habes diligentissime exscriptam, & ad me Missam a laudatissimo Abbate Josepho Ciaccheri. En illam: „ Qualiter post Missam Episcopus accepta Stola Agnum „ assatum coram se positum benedicat &c. „

De Benedictione Agni in Pascha.

Deus qui universæ carnis Creator, qui Noe, & Filiis suis de mundis, & immundis animantibus præcepta dedisti, quique sicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda edere permisisti, qui Agnum in Ægypto Moysi, & populo tuo in Vigilia Paschæ comœdere præcepisti, & in figura Agni Domini Nostri Jesu Christi, cujus sanguine omnia primogenita tibi, de Mundo redemisti, & in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepisti, servans populum tuum sanguine Agni prænotatum, dignare Domine Omnipotens benedicere ✠ & sanctificare ✠ hæc Carnes Agni, ut quicumque ex populis fidelibus comederint, omni benedictione Cœlesti, & gratia saturati repleantur in bonis. Per &c.

Gloria Patri. *Gratias agimus*, & cætera. Deinde Cantor alta voce incipit Antiph. *Surrexit Christus*, & cum eo vadunt omnes in Chorum, & ea finita, & dicto *Kyrie eleison*, & *Pater noster*, dicitur ℣. *Resurrexit Dominus Alleluja*, & *surrexit Dominus vere*, & cætera. Oratio de Resurrectione. *Benedicite*. *Dominus Benedicat nos*, *qui creavit*, & *pavit*. Postquam vero pulsatum fuerit ad Nonam, *dicto Deus in adjutorium* dicitur Hymnus *Rex Christe*. Antiph. *Cito euntes*. Psalm. *Mirabilia*. ℣. *Hæc dies*. Oratio *Deus, qui hodierna die*.

De Nobilitate hujus diei, & quare semper post decimam quartam Lunam Mensis Aprilis celebretur. CIC.

QUanta vero sit Resurrectionis Dominicæ solemnitas, non solum semel annua, sed etiam per omnes Hebdomadas reciproca, Beatus Leo Papa ad Dioscorum sic scribens ait: (*a*) *Resurrectionis* (dies) *Dominicæ*, *cui a Vespera* (Sabbati) *initium constat ascribi*, *tantis divinarum dispositionum Mysteriis consecrata est*, *ut quidquid a Domino est insignius constitutum*, *in hujus diei dignitate sit digestum*. (*b*) *In hac Mundus sumpsit exordium*. *In hac per Resurrectionem Christi*, & *mors interitum*, & *vita accepit principium* (*c*). *In hac Apostoli a Domino* (*d*) *ad prædicandum Evangelium omnibus Gentibus tubam sumunt*, & *imperandum* (*e*) *universo Mundo Sacramentum Regenerationis accipiunt*. *In hac* (idest in Dominica die) *sicut Joannes Evangelista dicit*: (*f*) *Congregatis in unum Discipulis*, *cum* (*g*) *clausis januis ad eos Dominus introisset*, *insufflavit*, & *dixit eis*. Accipite Spiritum Sanctum Paraclitum, & cætera. *In hac denique promissus a Domino Apostolis Spiritus Sanctus advenit*, *ut cælesti quadam regula* (*h*) *insinuata*, & *tradita*, *noverimus in illa die celebranda esse Mysteria Sacerdotalium benedictionum*, *in qua collata sunt omnia dona gratiarum*. Et in hac sicut Augustinus ait: *Populo Israel in deserto primum Dominus manna dedit*, *hodierna autem solemnitas Resurrectio Domini*, *vel Pascha vocatur*: *hac enim die Dominus resurrexit*. Quæ fuit Mensis primi decima septima, Mensis primus apud Hebræos *Nisan*, idest Aprilis, qui Menses computant secundum cursum Lunæ duodecies, quando est annus communis, vel terdecies repetitum, quando est annus embolismalis. In Mense primo resurrexit, quia ipse est principium, & post Æquinoctium, die crescente, quia post Resurrectionem tenebræ mortis cæpere minui, & dies vitæ cœperunt augeri. Et in Luna decima septima, ut per obser-

[*a*] Epistol. olim 81. in edit. Quesnel. XI. cap. I.
(*b*) *Gestum* Quesnel. (*c*) *Initium* Quesnel. (*d*) *Prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt* Quesnel. (*e*) *Inferendum* Quesnel.
(*f*) *Testatur* Quesnel. [*g*] Deest *eum*. (*h*) *Insinuatum*, & *traditum*.

obſervantiam Decalogi perduceret nos ad æterni requiem baptiſmi: & nota quod cum Judæi Paſchalem terminum præfixum habeant, ſcilicet in decimaquarta, nos ſemper in ſequenti Dominica celebramus, tum ut noſtra Feſtivitas a Judæorum feſtivitate diſcrepet, tum quia ex juſſione Angeli monemur hoc feſtum in Dominica celebrare. Hæc ſolemnitas dicitur *ſolemnitas ſolemnitatum*, eo quod alias ſolemnitates ſua nobilitate antecedit, ideoque hodie omnia lætitiæ inſignia proponuntur; nam Templum emundatur, & ornatur, velamina, quæ fuerant ante Cruces, removentur, Altaria ornamentis decorantur, & vaſculis de argento, vel ebore, ubi Reliquię reconduntur; & Miniſtri decenter ornati in Templo glorioſe decorato accedunt ad Officium celebrandum, quæ omnia ſignificant Victoriam Jeſu Chriſti. Hæc igitur ſolemnitas eſt Jubilæus Chriſtianorum, in qua diſcordes pacificentur, offenſæ remittantur; qui deliquerant, reconcilientur, debita non exigantur, Ergaſteria non aperiantur, venalia non exponantur, exceptis illis, ſine quibus cęna duci non poteſt, captivi relaxentur Paſtores, & Servi ad ſervitia non arctentur, ut libertate valeant perfrui, & in feſtivitate futuræ lætitiæ delectari.

De Ordine Officii ad Veſperum in die Reſurrectionis. CC.

HAc die ad Veſperum tempeſtive debet ſonari tribus vicibus: tertia vice pulſata, Epiſcopus induitur Pluviali, aliique Fratres ſimiliter cum eo. Mox Cantor incipit *Kyrie eleiſon*, & non dicitur *Deus in adjutorium meum*, nec *Gloria Patri*, ſed novem *Kyrie eleiſon*, more conſueto. Ad Miſſam, modulata voce, & cum Organo cantatur in noſtra Eccleſia illud *Kyrie eleiſon*, quod eſt in *Cantemus cuncti* (a). Quibus finitis Cantor incipit Antiph. *Angelus autem Domini*. Pſalm. *Dixit Dominus*. Antiph. *Erat autem*. Pſalm. *Confitebor*. Antiph. *Præ timore autem*. Pſalm. *Beatus vir*. Poſtea ℣. *Hæc dies quam*, cantatur. Deinde Sequentia *Clara gaudia* (b). Quando Sequentia cantatur, tunc Altaria incenſentur, & detur incenſum Clero, & Populo: qua cantata Cantor incipit Antiph. *Poſt Paſſionem Domini*, & tota cantatur cum Organo, ante Pſalmum, & poſt Pſalmum finitur cum Neumate, & hæc Antiphona ad Magnificet cantatur, & cum Organo per totam Hebdomadam. Oratio *Deus qui hodierna die*, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*, & Chorus ℟. *Amen*. Et ſtatim Cantor incipiat Antiph. *Surrexit Chriſtus*, quæ dicenda eſt ante Cru-

(a) Fortaſſe ſolemnem *tropum*, ſeu *trophum* indicat, qui incipiebat: *Cantemus cuncti*: quem ſubſequebantur *Kyrie eleiſon*.

(b) Sequentiam hanc allegat Clariſ. Georgius *de Liturg. Rom. Pontif.* pag. CCXXVII. Tom. II. ex Antiphonario Card. Gentili. *In Paſchate* . . . *Feria II. Clara gaudia*.

cem, & cum Organo semper. Postea ℣. *Dicite in nationibus, Alleluja*. Oratio *Deus, qui pro nobis Filium tuum*. Mox Cantor dicat Antiph. *Crucifixum in Carne*, & cum Organo, & cum ea vadunt ad Fontes, vexillo cum Cruce præcedente. Cum autem pervenerint ad Fontes dicitur Antiph. *Pax vobis: Ego*. Psalm. *Laudate pueri*. Psalm. *In exitu*. ℣. *Quoniam apud te est fons vitæ*. Oratio Paschalis dicatur pro renatis. Deinde Cantor incipit Antiph. *Ego sum Alpha, & Omega* (a), & sine Organo cantatur, & cum ea revertimur ad majores januas Ecclesiæ. In introitu autem cantatur Antiph. *Regina Cœli lætare, Alleluja*, & sine Organo. Cum autem Fratres venerint ad cancellos in ingressu Chori, ibi extra Chorum finita Antiphona dicatur ℣. *Benedicta tu in mulieribus, Alleluja*. Oratio *Deus qui salutis æternæ*. Postea Cantor cum duobus incipiat cantare *Benedicamus Domino* cum Organo, *in hoc Paschali jubilo*, ut superius dictum est. Quibus omnibus peractis, Episcopus cum Fratribus descendat in Capitulum, & dicat *Benedicite*, & ℟. *Dominus*. Clerici vero Ecclesiarum, quæ fontes non habent, dicunt eosdem quinque Dominicales Psalmos, & sub istis Antiph. *Angelus autem Domini: & Ecce Terræ motus. Erat autem. Præ timore autem. Respondens autem Angelus*. Et post Orationem de Pascha, fit Collecta de Cruce per Antiphonam, & Orationem, & postea de Sancta Maria. Eædem Vesperæ cotidie per hanc Hebdomadam repetantur, quia pro una, & eadem die tota Hebdomada reputatur. Et nota, quod in his tribus diebus consuevimus incipere Vesperum cum *Kyrie eleison*, & post tertium Psalmum cantata Antiphona *Præ timore*, & ℣. *Hæc dies*, cantatur *Sequentia*, & Sacerdos cum Pluviali turificat Altaria, super & infra, & datur Clero, & Populo, & idem Sacerdos cum Pluviali vadit ad fontes cum aliis. Post tertiam feriam non incipitur cum *Kyrie eleison*, sed cum *Deus in adjutorium meum intende*, & cotidie in Vesperis imus ad fontes, usque Octavam, & sic cum illis Antiphonis, & Psalmis, & per eundem ordinem Vesperum usque Octavam dicimus, & finimus. Sed post tertium diem usque ad Sabbatum, subcinitur *Benedicamus Domino* sine prosis, in Laudibus, & Vesperis.

Quare Vesperum incipitur per Kyrie eleison, *& Processio fit ad Fontes.* CCI.

Cum omnes Regulares horæ præferant insignia novitatis, hodiernum Vesperum hujus festivitatis claritate præ cæteris illustratur, & non ipsum per *Deus in adjutorium* inchoamus, quoniam in illa vita, non sicut hic, adjutorio indigebimus; sed per *Kyrie eleison* incipitur, quia Vespertina hora Sabbati Paschalis Baptisma fuit per *Kyrie eleison* inchoatum, & in

(a) Recole, quæ ex Processionali Senensi antea adduximus.

& in Trinitatis nomine celebratum, & propterea per hos tres dies in festivæ regenerationis jucunditate, ad Vesperum præcipue Sancta Trinitas adoratur. Vel per *Kyrie eleison* incipitur, ut quasi non existens per se Officium, Missæ Officio continuetur: nam hæc dies Vesperam non habet, quia declivium æternitas non agnovit. Tres Psalmi, qui primo dicuntur, Resurrectioni conveniunt Jesu Christi, quæ tertia die facta est. Duo qui dicuntur ad fontes, Baptismo, & baptizatis conveniunt, ut per geminam (*a*) dilectationem ad vitæ fontem perveniamus. Pulcra vero ratio est, ut fontes devote, & celeberrime visitentur, & Neophyti ad Processionem fontium deducantur; quando enim Neophytos dealbatos cum Cereis ardentibus præcedente ac prævio Crucis vexillo præsentamus, quasi Divini partus solemnitatem, & Christo victore de Diabolo Sanctam Ecclesiam obtinuisse triumphum, ac Filios ejus in Regnum Christi & Dei, & in Regnum claritatis translatos, de potestate mortis, & tenebrarum commemoramus; sancti enim Patres, ne rudibus ad fidem venientibus Baptismi Sacramentum vilesceret, hanc sacro fonti reverentiam in Pascha, & Pentecoste exhiberi statuerunt, ut cum baptizatus, qui sacro fonti, quasi Divino Parenti suo, tantam gratiam celebrari conspiceret, a spirituali regeneratione Sacri Baptismatis in se violare Sacramentum maxime pertimesceret; vel quod ad Processionem fontium per septem dies solemniter imus, ad memoriam reducimus, transitum Israel per Mare Rubrum, qui moratus est juxta litus septem diebus, & singulis veniebat ad litus cantans Domino Canticum Moysi [*b*], vel transitum per Jordanem in Jordane factum, vel Processiones Vespertinales hujus Hebdomadæ, reversionem significant captivitatis Babyloniæ, hæc est enim Hebdomada revertentium, qui in fine suæ captivitatis revertentur ad Dominum, & sic Vesperę trina statione complentur, sicut Baptismus in Trinitatis nomine celebratur.

De Officio secundæ Feriæ in Albis. CCII.

FEria secunda in Albis ad Matutinum Invitatorium *Surrexit Dominus vere*. Psalm. *Venite*, & cum Organo cantatur etiam per totam Hebdomadam. Antiphona super Psalm. *Cognoverunt Dominum*. Psalm. *Cum invocarem*. *Verba mea*. *Domine in furore*. ℣. *Hæc dies*. Lectiones in Homelia B. Gregorii Papæ de Evangelio: *Duo ex Discipulis Jesu*. ℟. *Maria Magdalenæ*. ℣. *Cito euntes*. ℟. *Surgens Jesus*. ℣. *Surrexit*. ℟. *Congratulamini*. ℣. *Tulerunt*, qui Versus, & totum ℟. tertium per totam Hebdomadam semper cum Organo cantantur. Deinde dicitur *Te Deum laudamus*, & cum Organo, & sic per duos dies (*c*) . . . Responsoria, & Versicu-

(*a*) Fortasse legendum est *dilectionem*, Dei scilicet, & proximi.
(*b*) Cap. XV. Exodi, in quo describitur submersio Ægyptiorum, hæc non inveni. (*c*) *Sequentes*, seu *subsequentes*, ut arbitror.

ficuli, qui his duobus diebus habentur, & *Te Deum laudamus* cum Organo cantamus ℣. *Hæc dies*. In Laudibus Antiph. *Et valde mane*, & cæteræ, omnes cum Pſalmis, ſicut in die Paſchæ. ℣. *Hæc dies*. Ad Benedictus Antiph. *Qui ſunt hi ſermones*. Oratio *Deus qui ſolemnitate*. Item Antiph *Surrexit* cum Organo, & ſic per totam iſtam Hebdomadam, & Oratio *de Cruce*, & poſtea Antiph. *Regina Cœli*. Oratio *Deus qui ſalutis*. Item *Benedicamus Domino Alleluja* cum proſis, & cum Organo. Item ad Primam Hymnus *Rex Chriſte clementiſſime*. Antiph. *Et dicebant*. ℟. *Hæc dies*. Oratio dicitur de Paſcha, & ita ſemper ad Primam, & Completorium, uſque ad Aſcenſionem dicitur Oratio de Paſcha. Ad Miſſam Officium *Introduxit nos Dominus*. Oratio *Deus qui ſolemnitate Paſchali*. Lectio *Stans Petrus in medio*. Graduale *Hæc dies*, cum Verſiculo, & Alleluja, *Angelus*. Evangelium *Exeuntes duo ex Diſcipulis:* & nota quod in hac ſecunda, & tertia feria poſt Miſſam Popularem, Majorem Miſſam in Eccleſia noſtra cantamus, in qua dicimus Officium, Epiſtolam, & Evangelium tantum de feria, & *Kyrie eleiſon* conſuetum in Dominicis: ad majorem Miſſam *Credo in unum* uſque Octavam non dimittimus, & in hac ſecunda, & tertia feria, ad Matutinum, & *Te Deum*, & Miſſam Majorem, & Veſperum majores Campanæ pulſantur, & celebriter aguntur omnia, ſicut in præcipus feſtivitatibus. Sequentiæ vero Paſchales tantum in majori Miſſa, & Veſperis cantantur, & viri, & mulieres ſolemnius ad Eccleſiam conveniunt, & a ſervilibus operibus his tribus diebus vacare conſueverunt. Item per totam iſtam Hebdomadam dicitur tantum una Oratio ad Miſſam, ſed in Veſperis, & Matutinis dicuntur tres: *de die*, & *de Cruce*, & *de Sancta Maria*. Item ad Tertiam, & Sextam, & Nonam, Hymnus *Rex Chriſte*. Antiph. *De Laudibus*, & Oratio *De die*, & ſic per totam iſtam Hebdomadam, & Graduale *Hæc dies quam fecit* ſine Verſiculis cantatur, in ſupradictis horis, & ad Primam, & Completorium pro Capitulo, Reſponſoriis, & Verſiculis; & ad Matutinum, & Veſperum dicitur ſimiliter pro Capitulo, & Verſiculo, per totam iſtam Hebdomadam.

De tertia Feria, & ſubſequentibus aliis in Hebdomada in Albis. CCIII.

FEria tertia ad Matutinum, Invitatorium *Alleluja, Alleluja, Alleluja*. Pſalm. *Venite*. Antiphona ſuper Pſalmos *Pax vobis: ego ſum, Alleluja*. Pſalm. *Domine, Deus meus in te*. *Domine, Dominus noſter*. *In Domino con*. ℣. *Hæc dies*. Lectiones de Homelia Evangelii *Stetit Jeſus in medio*. ℟. *Virtute magna*. ℣. *In omnem*. ℟. *Tulerunt*. ℣. *Cito*. ℟. *Expurgate*. ℣. *Non in fermento*, & totum cum Organo, Item *Te Deum*. ℣. *Hæc dies*. In Laudibus, & per omnes horas Antiphona, Hymnus, Verſiculi ſicut ſupra in ſecunda feria. Ad Benedictus Antiph. *Stetit Jeſus*. Ad Miſ-

ſam,

fam Officium *Aqua Sapientiæ*. Oratio *Deus qui Ecclesiam*. Lectio *Surgens Paulus*. Graduale *Hæc dies*, *Alleluja*, *in Resurrectione*. Evangelium *Stetit Jesus*.

Feria quarta, ad Matutinum pulsatur sicut in Dominicis diebus. Invitatorium *Alleluja*, quod usque Dominicam, & *Venite*, & tria Responsoria, & *Benedicamus Domino* sine prosis, cantantur cum Organo. Antiphona super Psalm. *Gavisi sunt Discipuli*, *Alleluja*. Psalm. *Salvum me fac Deus*. *Usquequo*. *Dixit insipiens*. ℣. *Hæc dies*. ℟. *Ecce vicit leo*. ℣. *Et unus*. ℟. *Isti sunt Agni novelli*. ℣. *In conspectu*. ℟. *De ore prudentis*. ℣. *Quam dulcia*, & totum cum Organo. Lectiones de Homelia Evangelii *Manifestavit*. ℣. *Hæc dies*. In Laudibus Antiph. *Et valde*: & per omnes horas diei dicuntur cotidie usque ad Sabbatum, & ℣. *Hæc dies*. Ad Benedictus Antiph. *Mittite in dexteram*. In solutione Capituli post Primam dicitur *Pretiosa*. Ad Missam Officium *Venite Benedicti*. Oratio *Deus qui nos resurrectionis*. Lectio *Aperiens Petrus*. Evangelium *Manifestavit se Jesus*. Hac die Vesperę incipiuntur cum *Deus in adjutorium*.

Feria quinta Invitatorium *Alleluja*. Antiph. *Quem quæris*. Psalm. *Domine quis habitabit? Conserva*. *Exaudi Domine*. ℣. *Hæc dies*. Lectiones de Homelia diei. ℟. *Super lapidem*. ℟. *Christus Resurrexit*. ℟. *Surrexit Pastor*, totum cum Organo. Ad Benedictus Antiph. *Maria stans ad Monumentum*. Ad Missam Officium *Victricem manum tuam*. Oratio *Deus qui diversitatem*. Lectio *Angelus Domini locutus est ad Philippum*. Evangelium *Maria autem stabat ad Monumentum*.

Feria sexta Invitatorium *Alleluja*. Antiph. *Noli flere Maria*. Psalm. *Cæli enarrant*. Psalm. *Exaudiat te*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Hæc dies*. Lectiones de Homelia diei. ℟. *Maria stans*. (a) ℟. *Dum fleret*. ℟. *Surrexit Dominus*, & cum Organo ℣. *Hæc dies*. Ad Benedictus Antiph. *Undecim Discipuli*. Ad Missam Officium *Eduxit eos Dominus*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus qui Paschale*. Epistola *Christus semel pro peccatis*. Evangelium *Undecim autem*.

Sabbato Invitatorium *Alleluja*. Antiph. *Tulerunt Dominum*. Psalm. *Dominus regit me*. Psalm. *Domini est terra*. Psalm. *Judica me*. ℣. *Hæc dies*. Lectiones de Homelia diei. ℟. *Undecim Discipuli*. ℟. *Dixit Angelus*. ℟. *Data est mihi*, cum Organo. ℣. *Hæc dies*. Ad Benedictus Antiph. *Currebant autem duo*. Ad Missam Officium *Eduxit Dominus*. Oratio *Concede quæsumus Omnipotens Deus*. Epistola *Deponentes omnem malitiam*. Alleluja *Hæc dies*, & *Alleluja*, *super lapidem*. Evangelium *Una Sabbati Maria*; & sic qualibet die postea ad Missam duo *Alleluja* cantantur. Primum Alleluja *Surrexit*, aliud de Dominica, vel de Feria, vel de aliquo Festo si fuerit, & sic non dicitur *Graduale*, sed duo Alleluja tantum, & *Alleluja Surrexit* canitur usque ad Ascensionem.

Qua-

(a) Fortasse *Stabat*.

Quare in Sabbato unum Alleluja, & in Hebdomada in Albis tractus, & Alleluja dicatur. CCIV.

NOtandum, quod triplex eſt Cantus Eccleſiæ, unus triſtitiæ, ut a Septuageſima uſque Paſcha, alius lætitiæ, ut in Paſcha, tertius gloriæ conſumatæ, ut in Pentecoſte. Sicut autem Filii Iſrael in nono anno per Cyrum ſunt a Babylonica ſervitute liberati, ſic nos in ſexta ætate ſæculi per Chriſtum ſumus a Diaboli ſervitute redempti, nobiſque reddita eſt innocentiæ Stola per remiſſionem Baptiſmi. Ideo in Sabbato Sancto unum Alleluja cantamus, jam ſpe quietis æternæ, & recuperationis Patriæ gratulantes, & ſicut pars cum Zorobabel (a) reparavit, pars vero in captivitate remanſit, ſic pars cum Chriſto fidelium Defunctorum reſurrexit, pars in expectationis conſolatione remanſit; pars quoque viventium pervenit ad fidei gratiam, pars perſtitit in perfidia: ſed & illi qui Hieruſalem ſunt reverſi, quamvis lætitiam habuerunt, tamen pro uxoribus, & filiis, & pro ſociis, & pro apparatu, ſollicitudine non caruerunt, ſic & nos in præſenti Eccleſia laboramus, & ingemiſcimus, & quamdam corporis ſollicitudinem gerimus. Propterea cum Alleluja tractum in Sabbato, & in Hebdomada Graduale cantamus. Completo decimonono anno omnes ſunt reverſi, & ideo gaudium geminaverunt. Propterea in Sabbato Albarum Alleluja duplicamus, ſignificantes quod finito noſtri exilii tempore captivitas abſolvetur, Stola geminabitur. Sed Graduale *Hæc dies*, cum ſit luctus laborantium, non videtur quod recte in die Paſchali cantetur, in qua æternum gaudium repræſentatur; ſed propter baptizatos canitur, qui arripuerunt laborem militiæ, & non pervenerunt ad Alleluja æternæ lętitiæ. Grandis enim labor, & gravis ſupereſt, ut partem habeant in Reſurrectione ſecunda, & cantatur Graduale ſex diebus, propter ſenarium operum; exinde continuabitur Alleluja; ſed quia in hoc labore ſpem habemus futuræ lætitiæ, & gaudium præſentis juſtitiæ, ideo licet cantus ſit gravis, tamen verbum dicitur exultandum (b), tam in ipſo, quam in Verſibus ejus, qui per totam diſpertiuntur Hebdomadam.

Quæ-

(a) Fortaſſe *remeavit*, ſeu *recuperavit* [veteres ſedes].

[b] Fortaſſe exaltandum, Muſicæ enim notæ exaltant verbum, ideſt voce elata, ac ſonora perſonant. Fortaſſe etiam reſpicit ad vocem *exultemus* ... *Exultemus, & lætemur in ea*.

Quare hæc Hebdomada dicitur in Albis, *&* *quare tractus cum Alleluja post secundum Alleluja dicantur.* CCV.

HÆc Septimana vocatur *in Albis*, eo quod baptizati olim his diebus candidis vestibus utebantur a die Baptismi usque in hodiernum diem, ad significandam, ut prædiximus, innocentiæ Stolam: & debent per dies septem portari, ut in præsenti septenario operum munditiam conservemus, quibus in Octava glorificationem in requie adipiscemur: his enim vestibus innuimus quales in præsenti vita esse debemus (*a*), scilicet mundi, & qualia corpora sumus denique recepturi. Hac tota septimana baptizati ad Ecclesiam deferuntur, ut corpore Salvatoris alantur, ad instar Filiorum Israel, qui post transitum Maris manna sunt educati ante ingressum Terræ Promissionis, quos sicut Columna præcessit, sic istos Cereus antecedit: & attende quod hi octo dies totam vitam repræsentant Christianam. Dies Baptismi est introitus Fidei, in quo Baptizati unum concinunt Alleluja, quia Stolam suam lavant in *Sanguine Agni* (*b*), sed tractus sequitur, quoniam adhuc peregrinantur. Ille tractus tamen est laudationis (*c*), *quia cantabiles sunt* eis *justificationes Domini in loco peregrinationis*. Vel repræsentat vitam veteris Adæ, quia fuit in statu lætitiæ, ideoque Alleluja cantatur, sed hæc lætitia non fuit sempiterna, ideoque Tractus sequitur. Sequentes sex dies, in quibus Graduale, & Alleluja cantantur, totam vitam præsentem, vel propter sex opera, vel propter sex repræsentant ætates hominis, in quibus in actione, & contemplatione laboratur. *In sudore vultus sui homo* pane vescitur: Sed Alleluja post Graduale cantatur, quia labor, & tristitia in gaudium convertentur. Omnes pene Versus Graduales de Psalmo *Confitemini* assumuntur, quoniam hic Psalmus de trina lætitia loquitur: hoc autem Sabbatum futuram vitam significat, in quo geminatur Alleluja propter Christi, & nostram Resurrectionem, vel propter binas stolas, quas induent, Corpus, & Anima. Vel quia tunc erit lætitia sempiterna: quia lætitia, unum Alleluja: quia sempiterna secundum concinitur Alleluja. Hodie terminatur Septuagesima, quam superius captivitati Babyloniæ comparavimus. Item nota quod in Missis duplex Alleluja canitur, & non sine causa, significant enim duplex gaudium, quod sunt habituri Sancti in alia vita, unum quod fruuntur visione Dei, qui est vita æterna, scilicet cognoscere ipsum, sicut & cogniti sunt, (*d*) aliud gaudium erit Stola corporis, scilicet immortalitas, & incor-

---

(*a*) Augustinus, seu alius quispiam antiquus Doctor Serm. I. in Octava Paschæ, qui est 157. *de tempore*: alias 172. *in Append.* = *Paschalis solemnitas hodierna festivitate concluditur: & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.*

(*b*) Apocaly. VII. 14. (*c*) Psal. CXVIII. 54. (*d*) I. Cor. 13. 12.

corruptibilitas, & in omnibus horis Alleluja sæpius frequentatur. Ab hoc Sabbato usque ad Sabbatum post Pentecosten: quia hi quinquaginta dies annum Jubilæum, idest jubilatione plenum, scilicet futuram vitam figurant, [illegible] non cantabitur Graduale, quia tunc cessabit omnis actio, & erimus [illegible] sola Dei laude. Sicut autem in præcedenti quinquagesima præsens vita, sic in ista futura exultatio figuratur, unde in illa jejuniis, & Orationibus intendimus, in ista jejunia relaxamus, & laudibus indulgemus. Primam figuravit Christi Passio, secundam Resurrectio: vel in præcedenti, actio, in ista intelligitur contemplatio.

Qualiter immutetur Officium Sabbato in Albis ad horam Tertiam. CCVI.

Consuetudo est nostræ Ecclesiæ, quod Sabbato in Albis ad horam Tertiam Hymni feriales, Capitulum ℟., & ℣. de Resurrectione incipiantur, & horæ dicantur hoc modo. Ad Tertiam Hymnus *Nunc sancte*, & cantatur eo tono quo *Rex sempiterne* dicitur, & ad Sextam, & Nonam similiter Hymni feriales dicuntur, & semper in fine *Gloria tibi Domine, qui surrexisti a Mortuis* dicitur. Ad Tertiam Antiph. *Pax vobis: ego sum*. Capitulum *Christus resurgens a Mortuis*. ℟. *Resurrexit Dominus, Alleluja. Sicut dixit vobis, Alleluja*. ℣. *Surrexit Dominus vere Alleluja, & apparuit Simoni*. Oratio *Concede quæsumus*. Ad Sextam Hymnus *Rector*. Antiph. *Gavisi sunt Discipuli Alleluja*. Capitulum *Expurgate*. ℟. *Surrexit Dominus vere. Alleluja, & apparuit*. ℣. *Surrexit Dominus de Sepulcro*. Ad Nonam Hymnus *Rerum Deus*. Antiph. *Noli flere Maria*. Capitulum *Epulemur, non in fermento*. ℟. *Surrexit Dominus de Sepulcro*. ℣. *In Resurrectione tua Alleluja*: & nota quod a Pascha usque ad Octavam Pentecostes in Antiphona ℟. ℣., Officiis, Offertorio, & Communione semper in fine, sive sit festum, sive non, jungitur Alleluja, quod significat tempus jubilationis, quod erit post Resurrectionem.

De Ordine Officii ad Vesperum in Sabbato de Albis. CCVII.

Sabbato præcedente Dominicam post Albas, ad Vesperum Antiph. *Angelus autem Domini*. Psalm. *Dixit Dominus*. Antiph. *Erat autem*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Præ timore*. Psalm. *Beatus Vir*. Capitulum *Omne quod natum*. Hymnus *Ad Cœnam Agni providi*: & hic Hymnus cantatur tantum ad Vesperum, & solemnius canitur in Sabbatis, & Dominicis quàm aliis diebus. ℣. *Mane nobiscum Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Post Passionem Domini*: & hæc Antiph. semper in Sabbatis cantatur ad Magnificat usque ad Ascensionem. Oratio *Præsta quæsumus Omnipo-*

nipo-

nipotens Deus, ut qui Paſchalia. Poſtea ante Crucem cantetur Antiph. *Surrexit*, & cum Organo, & Oratio *de Cruce*. Deinde Fratres vadunt ad Fontes cantando Antiph. *Crucifixum*, & ibi circa Fontes dicitur Antiph. *Pax vobis*. Pſalm. *Laudate pueri*. *In exitu*, & Oratio pro renatis. In reverſione Antiph. *Ego ſum Alpha, & Omega*. In ingreſſu Eccleſiæ Antiph. *Regina Cęli*. ℣. *Benedicta tu*. Oratio *Deus, qui ſalutis*, & ſic ante Cruces extra Chorum more ſolito Veſperum finiatur, & cantetur *Benedicamus Alleluja*, cum ſuis proſis.

De Ordine Completorii ab Octava Paſchæ uſque ad Aſcenſionem. CCVIII.

AD Completorium incipit *Allelujatica*, quod non eſt aliud, niſi quod plura Alleluja in loco Antiphonę cantantur, (a) eo tono quo ipſa Antiphona cantaretur, & eſt notandum quod ab hac die uſque in Vigiliam Aſcenſionis noſtra Eccleſia hunc ordinem in Completoriis ſervare conſuevit. Pulſato ſigno in Capitulo, & lecta Lectione, more ſolito Fratres vadunt in Eccleſiam, & facta Confeſſione dicitur *Converte nos Deus ſalutaris*, & cætera. Poſtea poſt Antiphonam dicuntur tria *Alleluja*. Deinde Pſalm. *Cum invocarem*, & cæteri. Hymnus *Rex Chriſte Clementiſſime*. Capitulum *Non in fermento*, vel *Chriſtus reſurgens a Mortuis*. ℟. *In Reſurrectione tua Chriſte. Alleluja, Alleluja, Cœli et.* ℣. *Cognoverunt Diſcipuli Dominum, Alleluja: In fractione panis, Alleluja*. Antiph *Quem quæris Mulier, Alleluja. Viventem cum Mortuis, Alleluja*. Pſalm. *Nunc dimittis*. Oratio *Præſta quæſumus Omnipotens Deus, ut qui Paſchalia*. Completorium autem vel aliud Officium Sanctæ Mariæ, uſque ad Octavam Pentecoſtes dimittere conſuevimus in noſtra Eccleſia.

(a) Vide exemplum hujus moris pag. 867., & 868. Tomi III. Oper. S. Gregorii edentibus Eruditiſs. PP. S. Mauri editionis Venetæ an. 1744. Antiph. *In omnem terram Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja*. Antiph. *Clamaverunt juſti Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja*. Antiph. *Conſtitues eos Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja*. Antiph. *Dediſti hæreditatem, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja*. Et ſic deinceps, Lege, obſecro, totam paginam 368. Hodieque, ex parte ſaltem, ſervamus hunc morem in prima Antiphona ad Laudes Dominicæ intra tempus Paſchale.

De Dominica post Albas. CCIX.

DOminica post Albas. Invitatorium *Alleluja, Alleluja, Alleluja*, in tono feriali: Hymnus *Rex sempiterne Domine (b)*. In primo Nocturno Antiphona Allelujatica, cantatur eodem tono veluti *Ego sum, qui sum*. Psalm. *Beatus vir*, usque *Conserva*. ℣. *Resurrexit Dominus Alleluja*. In secundo Nocturno Antiph. Allelujatica, eodem tono quo dicitur *Postulavi Patri meo*. Psalm. *Conserva* usque *Cœli enarrant*. ℣. *Surrexit Dominus vere Alleluja*. In tertio Nocturno Antiph. Allelujatica eo tono quo cantatur *Ego dormivi*. Psalm. *Cœli enarrant* usque *Deus, Deus meus respice*. ℣. *Surrexit Dominus de Sepulcro, Alleluja*. Sex Lectiones leguntur de Actibus Apostolorum, & incipiunt ab eo loco ubi dicitur *Stans autem Petrus*; & est sciendum quod Actus Apostolorum ideo post Octavam Paschæ leguntur, quia B. Augustinus in libro super Joannem Cap. VI. ex hoc Canonico libro Testimonium proferens (b) *Omni anno in Ecclesia recitari, Anniversaria solemnitate post Passionem Domini*, asserit. Tres ultimæ Lectiones de Homelia B. Gregorii. *Cum esset sero, die*. ℟. de Resurrectione, ordinate cantentur, sicut sunt in Antiphonario, a die Resurrectionis in antea. Nonum ℟. *Dum transisset*, quod omnibus Dominicis diebus cum suis prosis usque ad Ascensionem ultimo loco cantatur. Item *Te Deum Laudamus*. ℣. *Surrexit Dominus vere, Alleluja*. Postea in Laudibus Antiph. *Alleluja*, eo tono quo dicitur *Et valde mane*. Capitulum *Omne quod natum est*. Hymnus *Aurora lucis rutilat*. ℣. *In Resurrectione tua Christe*. Ad Benedictus Antiph. *Post dies octo*. Oratio *Præsta quæsumus*. Deinde Antiph. *Surrexit Christus*. ℣. *Dicite in nationibus Alleluja*, & Oratio *de Cruce*. Postea Antiph. *Regina Cœli*. ℣. *Benedicta tu*, & Oratio *Deus qui salutis*: & nota quod hæc Antiphona *Surrexit*, omnibus Dominicis diebus in Laudibus cantatur cum Organo usque ad Ascensionem. Ad Primam Hymnus *Jam lucis orto*, & eo tono, quo canitur *Rex Christe Clementissime*. *Gloria tibi Domine qui surrexisti*. Antiph. *Alleluja*, eo tono, quo cantatur Antiph. *Et dicebant*. Capitulum *Christus resurgens a mortuis*. ℟. *Christe Filii Dei vivi, miserere nobis Alleluja, Alleluja*. *Qui resurrexisti a mortuis, miserere nobis Alleluja*. *Gloria Patri*. ℣. *Surrexit Dominus ve-*

[a] Idem videtur Hymnus, qui in vetustis Breviariis incipit. O *Rex æterne Domine*: in Hymnario edito a Cassandro pag. 234., & Tomo II. Oper. Ven. Card. Thomasii (pag. 370.) *Rex æterne Domine*, citaturque ab Aureliano Episcopo *in Regula*.

[b] In Tract. VI. in Cap. I. Joan. n. 18. edit. Patrum S. Mauri hæc docet S. Augustinus = *Actus Apostolorum testes sunt, ille liber canonicus omni anno in Ecclesia recitandus. Anniversaria solemnitate post passionem Domini nostis illum librum recitari, ubi scriptum est &c.*

vere. Oratio *Deus, qui per unigenitum tuum: per eundem*. Hoc Capitulum, ℟. ℣., & Oratio usque ad Ascensionem non mutantur ad Primam, sive fiat Officium de Pascha, vel de aliquo Festo.

De Missa Matutinali, & Ordine Processionis, & Missa Majoris in Dominica post Albas. CCX.

AD Missam Officium *Quasi modo geniti*. *Gloria in Excelsis*. Oratio *Præsta quæsumus*, & *Deus, qui pro nobis Filium tuum*, & *Deus, qui salutis æternæ*. Epistola *Omne quod natum est*. Alleluja. *Surrexit Christus*, & *Alleluja Post dies octo*, cum Organo. Nota quod hæc Alleluja *Surrexit*, in qualibet Missa de Dominica, vel de aliquo festo semper primo canitur, & postea illa de Dominica, vel de Festo, usque ad Ascensionem. Evangelium *Cum esset sero*. *Credo in unum*. Præfatio *Te quidem*, & sic Missa Matutinalis peragatur. Postea congrua hora ad Processionem cum incipit aqua spargi Altaribus, & Clero, Cantor in Choro incipit cantare Antiph. *Vidi aquam*. ℣. *Salvum me*, & a Choro repetitur. *Vidi aquam*. *Gloria Patri*. *Vidi aquam* iterum. Postea sparsa aqua Altaribus, & Clero, Cantor incipit Antiph. *Surrexit Christus*, & cum ea incipiunt ire, & ea dicta dicitur Antiph. *Crucifixum in Carne*, & semper cum Organo, & sic fit Processio, per eandem viam, & eo ordine, quo in die Sanctæ Resurrectionis. Sed in Platea non fit Chorus ante januas, vel aliqua statio sicut tunc, sed continve reditur in Ecclesiam, & in ingressu dicuntur ℣. *Salve festa dies*. *Qua Deus infernum*. *Tempora florigero*, & *majore poli*. Cum autem fuerint reversi in Chorum, incipitur Tertia. Hymnus *Rex Christe*. Antiph. *Et respicientes*. Capitulum *Christus resurgens ex mortuis*. ℟. *Resurrexit Dominus, Alleluja*. ℣. *Surrexit Dominus vere, Alleluja*, & Oratio de Pascha. Deinde Cantor cum duobus incipit Officium *Resurrexi*, & Chorus repetit postea. ℣. cantatur cum Organo, & *Gloria Patri* similiter. Oratio *Deus, qui per Unigenitum*. Lectio *Expurgate*. *Alleluja*, *Surrexit Christus, qui creavit omnia*, & totum sine Organo. Postea Alleluja *Angelus Domini*, & Sequentia de Pascha cum Organo, & cum cantatur Sequentia, duplentur squillæ (a): & ea finita repetitur solum Alleluja, sine ℣. cum Organo. Evangelium *Maria Magdalena*. Officium *Angelus Domini*. Postcommunio *Pascha nostrum*. Finita Missa majori, cantatur Sexta. Hymnus *Rex Christe Clementissime*. Antiph. *Nolite expavescere*. Capitulum *Expurgate vetus*. ℟. *Surrexit Dominus vere*. ℣. *Surrexit Dominus de Sepulchro*, & Oratio de Pascha. Ad Nonam Hymnus *Rex Christe Clementissime*, Antiph. *Cito euntes*. Capitulum *Epulemur non in fermento veteri*. ℟. *Surrexit Dominus de Sepulchro*. ℣. *In Resurrectione tua*. Et hunc morem supra-

Bb 2

(a) *Tintinnabula*. Vide Gloss. Du-cange ad Vocem *SKELLA*.

supradictum conservamus in omnibus Dominicis diebus usque ad Ascensionem ad Processionem, ad Missam maiorem, & ad Tertiam, & Sextam, & Nonam, nisi fieret majoritas Officii de aliquo Festo, quod in ipsa Dominica occurreret. Alii vero Clerici, qui non cantant Majorem Missam *de Resurrectione*, dicunt Hymnos feriales, & Antiphonas ad Tertiam, Sextam, & Nonam, ut supra posuimus in Sabbato.

De Ordine Officii in Vesperis. CCXI.

AD Vesperum super Psalmum Antiph. *Angelus autem*. Psalm. *Dixit Dominus*. Antiph. *Erat autem*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Præ timore*. Psalm. *Beatus*. Capitulum *Omne quod natum*. Hymnus *Ad Cœnam Agni*. ℣. *Mane nobiscum*. Antiph. ad Magnificat *Cum sero*. Oratio *Præsta quæsumus*, postea Antiph. *Surrexit* canitur cum Organo ante Cruces. ℣. *Dicite in nationibus*, & Oratio *de Cruce*. Demum vadunt ad Fontes cantando cum Organo Antiph. *Crucifixum*: Et ibi sub Antiph. *Pax vobis* dicuntur Psalmi *Laudate pueri*, & *In exitu*: & tunc aquæ Baptisterii per secretum foramen a Fontibus dilabuntur. Dicta Antiph. post Psalm. dicitur ℣. *Quoniam apud te est fons vitæ Alleluja*, & Oratio de Pascha pro renatis. Post Orationem statim Cantor incipit Antiph. *Ego sum Alpha, & Omega*, & eam cantantes æquali voce, redeunt in Ecclesiam, & in ingressu dicitur Antiph. *Regina Cœli*, & Oratio *Deus qui salutis*, & sic ante Cruces extra Chorum finitur Vesperum, & cantatur solemniter *Benedicamus Domino Alleluja*.

Quare hoc Pascha habet Octavam, & unde dicitur Pascha Annotinum. CCXII.

CUm autem hæc solemnitas illam Octavam significet, quæ sequetur septenarium hujus vitæ, cur habet Octavas, cum etiam ejus celebritas protendatur, non tantum per octo dies, sed etiam usque ad diem Pentecostes? ℞. Quia resurrectio futura significata est per Circumcisionem, quæ octavo die mandata est. Cujus vere Circumcisionis octo sunt Beatitudines, quarum Octava redit ad primam, ut quasi in cyphra Domini de qua dicitur (*a*) *Exurge g. m. ex. p. cum cy. personet cœleste Diapason*, & ideo

---

[a] An denotat mitem, pauperem, & persecutionem passum, & reliquos quos Matthæus V. 3., & seqq.: enumerat, si ex una ad aliam Beatitudinem deducantur, & rursus ad primam revertantur, & in ea octo Beatitudinum serie veluti circumeant, gaudium percepturos? Judicet Lector.

& ideo ad repræsentandum has Beatitudines, solemnibus octo dierum Officiis celebramus Octavas Dominicæ Resurrectionis, quæ est causa, & signum futuræ nostræ Circumcisionis: (a) & nota quod in antiquis libris post hanc Dominicam *Annotinum Pascha* intitulatur, (b) quod anniversarium dicitur; olim etenim qui in præcedenti Pascha baptizati fuerant, in sequenti anno diem suæ regenerationis solemniter reducentes ad memoriam celebrabant secundam nativitatem, de qua dixit Dominus Nicodemo (c): *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Nicodemus figuram tenet eorum, qui credunt, aut fidem acceperunt: sed nondum fideliter operantur. Tales sunt Neophyti, qui per hoc Evangelium solemnizant. Quod forte sumitur a Gentilibus, qui diem, in quo ad miseriam nascebant, natalitium observabant. Multo magis ille observandus est, vel celebrandus, in quo regeneramur ad gratiam, ut regnemus in gloria.

De

(a) Circumcisio constituebat populum Deo peculiarem, & deditum: & tales nos si volumus, nunc erimus: sed certe erimus in cœlesti beatitudine.

(b) Cum *de Paschate annotino* a multis agatur, agitur præsertim in Lexico *mediæ, & infimæ latinitatis* a Ducange elaborato, & ab Optimis Monachis S. Mauri aucto [ad Voces *Pascha annotinum*]. Seligo quæ tradit Micrologus *de Eccles.* obser. cap. 56., & hæc sunt. *Romani annotinum Pascha, quasi anniversarium Pascha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Pascha baptizati erant, in sequenti anno, eadem die ad Ecclesiam convenere, suaque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus solemniter celebraverunt.* Id facile confirmamus non modo auctoritate reliquorum Scriptorum, qui ibi allegantur, verum etiam auctoritate Brixiani Missalis Seculo XI. vel XII. exarati, quod benignitate humanissimi Constantii Zinelli Juris Utriusque Doctoris nostra possidet Bibliotheca. En quæ in eo proxime post *Dominicam Octav. Pascha* occurrunt:

In Pascha annotina.

Deus cujus providentia nec præteritorum momenta deficiunt, nec ulla superest expectatio futurorum, tribue permanentem peracta, quam recolimus, solemnitatis effectum, ut quod recordatione percurrimus, semper in opere teneamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Secret.

Clementiam tuam Domine suppliciter exoramus, ut Paschalis muneris Sacramentum, quod fide recolimus, & spe desideramus, intenti perpetua dilectione capiamus.

Præf. *Equum & salutare.* *Te quidem Domine.*

Ad Commun.

Tua nos quæsumus Domine, quæ sumpsimus, sancta purificent, & operationis suæ remedio perficiant esse placatos.

[b] Joan. III. 5.

De Ordine Officii in secunda Feria post Albas, & aliis ferialibus diebus usque ad Ascensionem. CCXIII.

SEcunda feria post Octavam Paschæ ad Matutinum post secundam pulsationem Cantica graduum repetimus: at Matutinum Sanctæ Mariæ usque in secundam feriam post Octavam Pentecostes non dicimus. Matutinos autem tunc & deinceps in ferialibus hoc modo cantamus. Invitatorium *Alleluja*, *Alleluja*, *Alleluja*, & sine Organo. Hymnus *Rex sempiterne*. Psalmi dicuntur singulis diebus usque ad Ascensionem de Matutino feriali sub una Antiph. *Allelujatica*, nisi sit festum novem Lectionum, & cantatur illa Antiphona Allelujatica sub notis primæ Antiphonę de Nocturno feriali, & dicitur totum Matutinum de feria, sub illa Allelujatica qualibet die, quandocumque dicitur. Postea Versiculi dicuntur de Resurrectione. Lectiones vero omnes leguntur de Actibus Apostolorum usque ad sequentem Dominicam, nisi esset aliquod Festum. Responsoria ordinate cantantur illa, quæ habentur in historiis Paschalibus Hebdomadæ, sed tantum per istam Hebdomadam. Item *Te Deum laudamus* in Ecclesia nostra cantatur cotidie usque Octavam Pentecostes, sive sit festum, sive non. In Laudibus Antiph. *Alleluja*, *Alleluja* in tono, quo dicitur Antiphona *Et valde*. Psalm. *Dominus regnavit*. *Jubilate*. *Deus, Deus meus*. *Benedicite*. *Laudate*. Capitulum *Christus resurgens*. Hymnus *Aurora*. Antiphonæ ad *Benedictus* ex his per ordinem cantantur, quæ intitulantur *in Evangelio* in Dominicis diebus, & has dicimus mane ad *Benedictus*, & sero ad *Magnificat* per totam Hebdomadam. Oratio de Dominica, postea dicatur Antiph. *Crucifixus surrexit a Mortuis*. ℣. *Dicite in nationibus*. Oratio *Deus, qui pro nobis*. Demum Antiph. *Regina Cœli*. ℣. *Benedicta tu*. Oratio *Deus, qui salutis*. Postea Antiph. *Lux perpetua*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio *Deus qui nos fecisti festa Paschalia (a)*. Hanc Antiphonam, & Orationem cotidie in Laudibus, & ad Vesperum dicimus in ferialibus diebus, sed non in Sabbatis ad Vesperum, nec in Dominicis diebus, vel festivitatibus Sanctorum aliqua hora. Vigilias autem pro Defunctis usque in secundam feriam post Octavam Pentecostes non dicimus, nisi pro anniversario, vel obitu alicujus rogaremus. Ad Primam Antiph. *Alleluja*, *Alleluja* in tono Antiph. *Et dicebant*. Capitulum *Christus resurgens*. ℟. *Christe Fili Dei vivi*. *Qui surrexisti a Mortuis*. Oratio *Deus per Unigenitum tuum*. Similiter *Veritas tua Deus semper ma.*

De

[a] Adiice hæc ex Orationibus editis Tomo II. Oper. Ven. Card. Thomasii pag. 471. *celebrare, fac nos quæsumus in cælesti regno gaudere &c.*

De Missa, & ordine Officii per alias horas diei. CCXIV.

Missa cotidie dicetur de Dominica, & cum *Gloria in Excelsis* cantatur usque Octavam Pentecostes, sive Missa dicatur de Dominica, sive de Festo. *Credo in unum Deum* non dicitur in Ecclesia nostra, nisi in Dominicis diebus, & festivitatibus Apostolorum, & Sanctæ Crucis, & omnibus Festivitatibus nostræ Ecclesiæ usque ad Ascensionem. Post primam Missam, alia Missa *pro Defunctis* dicitur, & in hac secunda feria, & in aliis ferialibus diebus ad Tertiam, & Sextam, & Nonam Hymni, Antiphonæ, ℟., ℣. ut superius diximus in die Sabbati. In hac secunda feria, incipimus benedictionem Mensæ cousuetam, & dicimus Psalmum *Miserere mei Deus*. His autem diebus leguntur ad Mensam quatuor Libri Evangeliorum. Ad Vesperum Psalmi feriales dicuntur, sicut feria ipsa requirit sub una Allelujatica de tono suæ primæ ferialis Antiphonæ. Capitulum *Christus semel pro peccatis nostris*. Hymnus *Ad Cœnam Agni providi*, & hic Hymnus in ferialibus diebus cantatur sicut *Rex sempiterne*. ℣. *Mane nobiscum Domine*. Ad Magnificat dicimus unam de Antiphonis de Dominicali Evangelio ipsius Hebdomadæ. Orationes eo ordine dicantur in Vesperis, quo dicuntur in Matutinis. In Completoriis nihil mutetur, nisi quod superius dictum est in die Sabbati. In omnibus autem Hymnis diurnis, & Nocturnis usque ad Ascensionem semper in fine jungitur *Gloria tibi Domine, qui surrexisti a Mortuis*, excepto in vita Sanctorum, in quo cantus aptari non potest: & ipsum non dicimus nisi in Festivitatibus quorundam Sanctorum. Hunc ordinem nostra Ecclesia roborat, ut cotidie in omnibus horis, ut dictum est, usque ad Ascensionem celebriter peragatur.

Quod post Pascha nec jejunare, nec genuflectere tenemur ex præcepto. CCXV.

Post Pascha usque ad Pentecosten, licet traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxaverit, tamen si qui Monachorum, vel Clericorum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi, quia & Antonius, & Paulus, & cæteri Patres antiqui, etiam in his diebus leguntur in Eremo abstinuisse, neque abstinentiam solvisse, nisi tantum die Dominico. Quis enim parsimoniam non laudet, & non prædicet? Jejunium res Sancta, opus celeste, janua regni, forma futuri, quod qui sancte agit, Deo jungitur, Mundo alienatur, spiritualis efficitur; per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, Diaboli tentamenta vincuntur. Augustinus

tamen

tamen dicit, in Libro de celebratione Sancti Paschæ. (a) *Quinquaginta dies celebrantur post Domini Resurrectionem, jam in figura non laboris, sed quietis, & lætitiæ: propter hoc & jejunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signum Resurrectionis:* (scilicet stare) quod & omnibus diebus Dominicis, & festivis observatur, & Alleluja cantatur.

De secunda Dominica post Pascha. CCXVI.

IN Sabbato præcedente secundam Dominicam post Pascha, ad Vesperum Antiphona super Psalmos Allelujatica, in tono quo cantatur ferialis Antiph. *Benedictus*. Capitulum *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. ℟. *Audivi vocem in Cælo*. Hymnus *Ad Cœnam Agni*. ℣. *Mane nobiscum Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Post Passionem*. Oratio *Deus, qui in Filii tui*. Item Antiph. *Crucifixum*, quæ in Sabbatis, & Dominicis diebus cantatur ad Vesperum, & cum Organo, usque ad Ascensionem. Postea ℣. *Dicite in nationibus*. Demum Antiphona, Versiculus, & Oratio *de Sancta Maria*, & *Benedicamus Domino Alleluja*, cum Organo, & ita semper usque ad Octavam Pentecostes cantamus illud cum Organo in Sabbatis, & Dominicis diebus ad Vesperum. Hunc autem ordinem Officii tenemus in Sabbatis ad Vesperum usque ad Ascensionem. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluja, Christum Dominum resurgentem a Mortuis*. Psalm. *Venite*. Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, & Versiculi, ut superius notatum est in Dominica post Albas. Sex Lectiones leguntur de Apocalypsi, quæ cum Historia *Dignus es Domine* per xv. dies legitur, & cantatur. Et nota quod ante Resurrectionem Lex, & Prophetæ legeban-

---

(a) Librum, qui hic allegatur in editione Operum Augustini, qua nunc utimur, minime invenies: locum tamen hunc invenies in Opusculo quod inscribitur: *Ad inquisitiones Januarii* liber II. alias Epist. LV. (olim 119.) etenim cap. XV. aliàs num. 28. hujusce Opusculi, seu Epistolæ hæc habes: *Dies quinquagenarius habet alterum Sacramentum, quod septies septem quadraginta novem fiunt, & cum reditur ad initium, qui est octavus, qui & primus dies, quinquaginta complentur: qui celebrantur post Domini Resurrectionem, jam in figura non laboris, sed quietis, & lætitiæ. Propter hoc & jejunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis.* Et deinceps, idest n. 32. *Ut autem stantes in illis diebus, & omnibus Dominicis oremus, utrum ubique servetur, ignoro.*

His affinia sunt, quæ Sermone, seu *enarratione* in Psalmum CXLVIII. [in ipso fere exordio, seu n. 1.] docet: hæc scilicet sunt: *Illud quod est ante Pascha, significat tribulationem, in qua modo sumus: quod vero nunc agimus post Pascha, significat beatitudinem, in qua postea erimus. Ante Pascha ergo quod celebramus, hoc & agimus: post Pascha autem quod celebramus, significamus quod nondum tenemus. Propterea illud tempus in jejuniis, orationibus exercemus: hoc vero tempus relaxatis jejuniis, in laudibus agimus.*

bantur: post Resurrectionem vero Apocalypsis, & Epistolæ Canonicæ, quæ sunt Apostolorum scripta, leguntur, & cantibus jubilatur. Lex etenim, & Prophetæ Christi Passionem, & Resurrectionem prædixerunt, sed Apostoli jam factas annuntiaverunt, & testificati sunt, ideoque Responsorium illud cantatur *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium*. Rationabiliter autem legitur Apocalypsis, & canitur, eo quod in ea visio Christi, & Angelorum collocutio memoratur. In illa enim vita, quæ Paschale significatur tempus, animæ visione Trinitatis, & Angelorum consortio gratulabuntur. Ultimæ tres Lectiones leguntur de Homelia Beati Gregorii Papæ ex Evangelio *Ego sum Pastor bonus*. ℟. de Historia *Dignus es Domine*. Nonum ℟. *Dum transisset Sabbatum*. In Laudibus Antiphona, Hymnus, & Versiculi sicut supra in Dominica post Albas. Item Capitulum de Dominicali Epistola: Ad Benedictus Antiph. *Ego sum Pastor*. Oratio de Dominica: postea Antiph. *Surrexit* cum Organo, & Oratio *de Cruce*, & Antiphona, & Oratio *de S. Maria*, & *Benedicamus Domino Alleluja*, cum Organo, quod usque ad Ascensionem semper Dominicis in Laudibus sic cantatur. Ad Missam, Officium *Misericordia Domini*. Oratio *Deus, qui in Filii tui*. Epistola *Christus passus est pro nobis*. *Alleluja Surrexit*, & Alleluja *Ego sum Pastor*, & cantatur cum Organo. Postea hora congrua fit Processio, & Major Missa cantatur, & per horas diei Hymni, Antiphonę, Responsoria, Versiculi per omnia dicuntur, sicut dictum est superius, in prima Dominica post Pascha. Ad Vesperum quinque Psalmi Dominicales de Vesperis dicuntur sub una Antiphona Allelujatica in tono Antiphonæ *Angelus Domini*. Capitulum *Christus passus est*. ℣. *Mane nobiscum Domine*. Ad Magnificat Antiphona de Evangelio, & per totam Hebdomadam ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* una ex his per ordinem cantatur, quæ sunt de Evangelio. Oratio *Deus qui in Filii tui*. Item Antiph. *Crucifixum*, & Oratio *de Cruce*, & Antiph. *Regina Cœli*. Oratio *Deus, qui per Filium tuum*.

De Feria secunda in secunda Hebdomada post Pascha. CCXVII.

Secunda Feria ad Matutinum, Invitatorium: *Christum de Morte resurgentem venite adoremus Alleluja*: & hoc Invitatorium per xv. dies cantatur in ferialibus diebus. In Nocturno Hymni, Allelujatica, Psalmi, ut in Matutino feriali, & Versiculi per totam Hebdomadam, sicut dictum est in superiori secunda Feria. Lectiones leguntur de Apocalypsi, & Responsoria de Historia *Dignus es Domine*. In Laudibus, & horis diei totum fit, sicut dictum est in secunda feria post Octavam.

De tertia Dominica post Pascha. CCXVIII.

IN Sabbato præcedenti tertiam Dominicam super Psalmos ad Vesperum Antiphona Allelujatica in tono feriali. Antiph. *Benedictus*. Capitulum *Obsecro vos tanquam advenas*. Hymnus *Ad Cœnam Agni*. ℣. *Mane nobiscum*. Ad Magnificat Antiph. *Post Passionem*. Oratio *Deus qui errantibus*, & Antiph. *Crucifixum*, & Oratio *de Cruce*. Antiph. *Regina Cęli*, & Oratio *Deus, qui*. Ad Matutinum, Invitatorium, *Alleluia Christum Dominum resurgentem*: Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versiculi, ut in superiori Dominica. Sex Lectiones de Apocalypsi. Tres ultimæ de Homelia Beati Augustini ex Evangelio *Modicum & jam*. Responsoria de Historia *Dignus es Domine*. Nonum Responsorium *Dum transisset*. In Laudibus, Antiphonæ, Psalmi, Versiculus, Hymnus, ut in superiori Dominica. Ad Benedictus Antiph. *Modicum*. Oratio *Deus, qui errantibus*, postea *de Cruce*, & *de Sancta Maria*, per Antiphonam, & Orationem, ut supra dictum est. Ad Primam nihil mutatur de eo quod dictum est supra. Ad Missam Officium *Jubilate*. Oratio *Deus, qui errantibus*. Epistola *Obsecro vos, tanquam advenas*. *Alleluja Surrexit*, & *Alleluja Modicum*, quod solum canitur cum Organo. Evangelium *Modicum & non videbitis me*. Postea in Processione, & Missa Majori, & horis diei agatur per omnia, ut supra in Octava Paschæ. Ad Vesperum Antiphona super Psalmos, Allelujatica in tono Antiphonę *Angelus Domini*. Hymnus *Ad Cœnam*. ℣ *Mane nobiscum*. Ad Magnificat Antiphona de Evangelio Dominicæ, & de eodem Evangelio, ut supra diximus, per totam Hebdomadam dicuntur Antiphonæ ad Benedictus, & ad Magnificat. Postea fit *de Cruce*, & *de S. Maria* per Antiphonam, & Orationem, ut supra, & *Benedicamus Domino Alleluja*.

De quarta Dominica post Pascha. CCXIX.

IN Sabbato præcedente quartam Dominicam post Pascha, Antiphona super Psalmos *Alleluja* in tono Antiphonæ *Benedictus*. Ad Vesperum Capitulum *Omne datum*. ℟. *Viderunt te aquæ, Deus*. Hymnus *Ad Cœnam*. ℣ *Mane nobiscum Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Post Passionem Domini*. Oratio *Deus, qui fidelium mentes*. Postea more solito Antiphona, Versiculus, & Oratio *de Cruce*, & *Benedicamus Domino Alleluja*. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluja Christum Dominum*. Hymnus, Antiphona, Psalmi, Versiculi, ut in præcedenti Dominica. Sex Lectiones de Epistolis Canonicis, quæ finiendæ sunt usque ad Ascensionem. Tres ultimæ de Homelia Beati Augustini ex Evangelio *Vado ad eum*. Responsoria de Hi-

Historia *Si oblitus*: & bene junguntur hæc Responsoria Epistolis Canonicis, quia David prophetavit Passionem, & Resurrectionem, quam Apostoli prædicaverunt. Nonum ℟. *Dum transisset*. In Laudibus Antiphonę, Psalmi, Hymnus, ut in superiori Dominica. Ad Benedictus Antiph. *Vado ad eum*. Ad Missam Officium *Cantate*. Oratio *Deus qui fidelium*. Epistola *Omne datum*. *Alleluja Surrexit*, & *Alleluja Laudate* cum Organo. Evangelium *Vado ad eum*. Postea congrua hora fit Processio, & Major Missa, & horæ diei dicuntur, ut supra in Dominica post Albas. Ad Vesperum super Psalmos Antiphona Allelujatica. Capitulum *Omne datum*. Hymnus *Ad Cœnam*. ℣. *Mane nobiscum*. Antiph. *de Evangelio*, & Oratio *Deus, qui fidelium*. Postea Antiphona, & Oratio *de Cruce*, & *de Sancta Maria* similiter.

De Feria secunda in quarta Hebdomada. CCXX.

Feria secunda ad Matutinum, Invitatorium *Dominus, qui fecit nos jam surrexit*. *Venite adoremus, Alleluja*. Psalm. *Venite*. Hymnus *Rex sempiterne*. Antiphona Allelujatica in tono primæ Antiphonæ de Nocturno feriali. ℣. *de Resurrectione*. Lectiones de Epistolis Canonicis, & Responsoria de Historia *Si oblitus*. Cætera fiunt sicut dictum est supra in feria secunda post Octavam.

De quinta Dominica post Pascha. CCXXI.

In Sabbato præcedente quintam Dominicam ad Vesperum Antiphona super Psalmos *Alleluja* in tono feriali. Antiph. *Benedictus*. Capitulum *Estote factores verbi*. Hymnus *Ad Cœnam Agni*. ℣. *Mane nobiscum*. Ad Magnificat Antiph. *Post Passionem*. Oratio *Deus, a quo bona*, postea Antiph. *Crucifixum*, & Oratio *de Cruce*: postea Antiph. *Regina Cęli*, & Oratio *Deus, qui per Filium tuum*. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluja Christum Dominum* Hymnus *Rex sempiterne*. Antiphona super Psalmos, ut in Dominica post Albas. Sex Lectiones de Epistolis Canonicis, tres ultimæ de Homelia Beati Augustini, ex Evangelio *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis*. Responsoria de Historia *Si oblitus*, & nonum ℟. *Dum transisset*. In Laudibus Antiph. *Alleluja*. Capitulum *Estote*. Hymnus *Aurora*. ℣. *In Resurrectione*. Ad Benedictus Antiph. *Usque modo non petistis*. Oratio *Deus, a quo bona*. Item Antiph. *Surrexit*, & Oratio *de Cruce*. Postea Antiph. *Regina Cœli*, & Oratio *Deus, qui per Filium tuum*. Deinde ad Primam, & alias horas, Antiphonę, Responsoria, Versiculi sicut in Dominica post Albas. Ad Missam Officium *Vocem jucunditatis*. Oratio *Deus, a quo bona cuncta*. Epistola *Estote factores*. Alleluja *Surrexit*,

xit, & Alleluja *Exivi a Patre*, cum Organo. Evangelium *Amen*, *Amen dico vobis*. Item ad Processionem, & Missam Majorem, & Vesperum totum fiat, ut supra dictum est in secunda Dominica post Pascha: & ad Magnificat Antiph. *de Evangelio*.

De Litaniis faciendis per Ecclesias cum Crucibus, & Vexillis, & quare. CCXXII.

ILlius Evangelicæ promissionis scilicet (*a*) *Petite, & accipietis*, memor Sanctus Maumertus Viennensis Episcopus, in hac Hebdomada propter instantem necessitatem ad instar Ninivitarum, tres Litaniarum dies instituit, omni Ecclesiæ jejuniis, & Orationibus celeberrimos, & dicitur *Litania* græce, quod latine sonat *supplicatio*, eo quod in Litaniis Domino supplicamus, ut nos ab omni adversitate, & subitanea Morte defendat, & Sanctos rogamus, ut pro nobis ad Dominum intercedant. Celebrat etiam illas Ecclesia his temporibus, tum pro periculis vitandis, quæ hoc tempore majora, & frequentius ceteris temporibus anni solent contingere, tum pro gloria, & gaudio Resurrectionis, & Ascensionis, tum quia Altissimum sibi propitium, & placatum reddere desiderat, tum quia Dominicum Corpus, quod in Pascha suscepit, non ita forte digne, ut debuit, tantum Sacramentum accepit, & acceptum non adeo bene custodivit, ut decet. Propterea per hos tres dies Ecclesia devote facit Litanias: cum Crucibus, Vexillis, & Reliquiis circuit Ecclesias, suppliciter Sanctos rogando, ut ipsi pro nostris excessibus apud Deum interveniant, ut quod nostris meritis non valemus, eorum intercessionibus impetremus. In omnibus Litaniis hæc insignia deferuntur, Cruces, & Vexilla, quorum usum a Constantino sumpsit Ecclesia, qui cum in somnis, Crucis signum vidisset, eique dictum fuisset: [*b*] *Vince in hoc*, jussit Crucem in Vexillis bellicis insigniri. Quod autem Crux major a bajulo Crucis de Altari tollitur, recolit quia de Christi humeris tulit eam Simon Cyreneus. (*c*) Quarundam Ecclesiarum consuetudinis est etiam Draconem deferre primis duobus diebus ante Crucem, & Vexillum, cum longa, & inflata cauda (*d*): tertio vero die post Crucem, & Vexilla, cum cauda depressa. Hic est Diabolus, qui nos per tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia fallit, aut fallere cupit. In primis duobus erat quasi Dominus Orbis, ideo-

(*a*) Jo. XVI. 24.
[*b*] De hoc argumento vide, quæ olim tradidi *de Cultu Sanctorum* Differ. IX. cap. 49. n. 5., quibus reliqua in eodem capite exposita adiicere commode poteris.
[*c*] Matth. XXVII. 32. Marc. XV. 21.
[*d*] Draconis Symbolo fuisse Dæmonem expressum, docet Euseb. *de Vita Constantini* lib. III. cap. 3. *Divina oracula in prophetarum libris Draconem illum, & sinuosum Serpentem appellarunt*. Vide etiam Durand. VI. 102. 7. 8. 9.

deoque Princeps, vel Deus Mundi vocatur, inde est quod in primis duobus diebus, cum inflata cauda procedit, in tempore vero gratiæ per Christum victus fuit, nec audet regnare patenter, sed homines seducit latenter. Inde est quod in ultimo die sequitur cum cauda depressa.

Quare Minores Litaniæ institutæ fuerint a Beato Mamerto. (a) CCXXIII.

SUnt autem duæ Litaniæ, Major, & Minor. Major celebratur in Festo Sancti Marci, de qua tunc dicetur. Minor Litania dicitur respectu superioris a minori auctoritate instituentis, & loci. (*b*) Beatus namque Mamertus eam Viennæ instituit, unde Amalarius: (*c*) *His temporibus fuit in Vienna Urbe terræmotus maximus, ubi multæ Ecclesiæ, & Domus concussæ sunt, & subversæ, Bestiæ multæ oberrantes: Lupi, Ursi, Cervi (d) portam Civitatis ingressi, per totum annum plurimos devoraverunt, & in Vigilia Paschæ, dum Sanctus Mamertus Episcopus in ea Urbe Missam celebraret, Palatium quoque Regale quod in ea erat Civitate, Divino igne succensum est. Igitur Ascensione Domini appropinquante, indixit triduanum jejunium, & cessavit tribulatio. Deinceps omnes Ecclesiæ hoc exemplum imitatæ sunt.* Agamus, & nos hos dies cum summa reverentia, & devotione, cum abstinentia carnis, & humilitate cordis, non ut tantum visibilium Luporum persecutionem evadamus, sed ut etiam invisibilium, idest Spirituum, tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis pretiosis induatur, quia in sacco, & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates, & commessationes, quæ fiunt in vulgari Plebe. Nemo

---

[*a*] Confer hæc obsecro cum iis, quæ copiose docet Durandus lib. VI. cap. 102. *de Rogationibus*. Multa vero eadem prorsus & in eo capite, & a nostro Scriptore tradita esse comperies: non in omnibus tamen Scriptores isti conveniunt.

[*b*] Amalarii monita hæc sunt. *A quo primo initium præsens jejunium sumpsit, Gregorius Turonen. manifestat in gestis Francorum, ita dicens: In his temporibus fuit in Vienna Urbe terræmotus maximus, ubi multæ Ecclesiæ, & Domus multorum concussæ fuerunt, & subversæ: ubi bestiæ multæ oberrantes, Lupi, ut si acerbi ingressi per portam Civitatis, devorantes plurimos per totum annum hoc faciebant. Nam veniente solemnitate Sancti Pascha, Sanctus Mamertus, qui in ea Urbe erat Episcopus, dum Missarum solemnia ipsa Vigilia celebraret, Palatium quoque Regale, quod in ea Civitate erat, Divino igne succensum est. Cumque hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini, indixit jejunium vir Sanctus Dei triduanum in populo cum gemitu, & contritione,* & paulo post: *Tunc cessavit ipsa tribulatio, & subversio: Deinceps omnes Ecclesiæ Dei, & Sacerdotes hoc exemplum imitantes usque ad præsens, ipsas triduanas Litanias ubique celebriter colunt. De Eccles. Officiis* lib. I. cap. 37.

[*d*] In multis editis *acerbi*: qui locus hoc nostro Codice commode emendatur.

Nemo ibi equitare præsumat, sed discalciatis pedibus omnes incedant: Nequaquam mulierculæ choros ducant, sed omnes in commune *Kyrie eleison* decantent, & cum contritione cordis, Dei misericordiam pro peccatis exorent, pro pace, pro peste, & pro conservatione frugum.

Quare Litaniis indictum fuerit jejunium triduanum. CCXXIV.

SAnctus Mamertus in Litaniis triduanam Processionem, & triduanum indixit jejunium propter pestes supradictas, ad similitudinem Ninivitarum, quorum Rex discalciatus, & sacco indutus triduanum jejunium indixit, omnibus hominibus Civitatis, etiam pueris, & animalibus: & ita iram Domini placaverunt. (*a*) Triduanum autem consueto more indicitur, propter tres ordines Ecclesiæ, scilicet Noe, Job, & Daniel, qui omnes indigent Pœnitentia, & illud triduum elegit, quod est inter promissam sponsionem *petite, & accipietis*, (*b*) & Dominicam Ascensionem, ut sicut Ninivitas a submersione liberavit, sic nos a cladibus eripiat, & quasi cęlum ascensurus, memoratæ sponsionis petitionem exaudiat, nobisque demum Cœlum ascendere tribuat. Tempus etiam vernale tam Apostolicus in sua, quam Episcopus in suis Litaniis elegit, eo quod tunc fructus terræ sunt in flore, & teneritate, (*c*) & ideo facile corrumpuntur per temporis incommoditatem: quod ut Deus avertat, preces facimus, & Litanias, unde per panem, & piscem, & ovum de quibus legitur in Evangelio (*d*) hæc tria quidam exponunt, scilicet fructum terræ, fructum aquarum, fructum animalium. Moraliter vero per piscem, fidem, per ovum, spem, per panem, intellige charitatem, quæ hoc tempore sunt petenda, ut a vitiis resurgendo, his virtutibus roborati Cęlum cum Domino scandere valeamus. Rursum bellicosum tempus elegit, in quo rogat Ecclesia, ut qui destruxit consilium Achitophel, (*e*) destruat eorum consilia, qui tota die constituunt prælia, & pacem violant in Ecclesia. Cumque ex institutione Beati Mamerti, laudabilis triduani jejunii consuetudo in Gallicana dumtaxat Ecclesia servaretur, denique fuit Romæ canonizata, & sic particularis facta est universalis. Illud notabile est, quod hæ triduanæ Litaniæ sunt antiquiores Litania Majori: hæ namque tempore Zenonis Imperatoris institutę fuere. (*f*) Illa vero tempore Mauritii, quis quem præcesserit Chorographia (*g*). Item in omnibus Litaniis jejunandum est cibo Quadragesimali, non Divinæ auctoritate Scripturæ, sed institutis Majorum, quæ sunt tenenda pro lege. In omnibus est etiam ambulandum in pœnitentiali, & flebili habitu, quasi ad repræsentandum Mulieres, quę (*h*) plan-

(*a*) Proph. Jon. III. 6. &c. (*b*) Jo. XVI. 24. Porro hanc Evangelii portionem canimus Dominica V. post Pascha, quam subsequuntur Rogationes.
(*c*) Duran. VI. 102. n. 4. (*d*) Matth. XIV. 17. &c. (*e*) Reg. III. 15. 12.
(*f*) Duran. VI. 102. (*g*) Supple *tradit*, *docet*, aut aliud affine.
(*h*) Luc. XXIII. 27. 28.

plangentes ſequebantur Dominum; pro imminentibus enim periculis juxta mandatum Domini plangendum nobis eſt *(a) ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. *(b)* In omnibus etiam omnes debent a ſervilibus operibus vacare Viri, & Mulieres, etiam Servi, & Ancillæ, & donec Proceſſio terminetur, Proceſſioni adeſſe, ut ſicut omnes peccaverunt, ſic & omnes pro venia ſupplicent: omnes ad Deum corda cum manibus elevent, ideſt ſtudium Orationis erigant cum merito bonæ operationis. Nos his tribus diebus a Carnibus, & ſagimine conſuevimus abſtinere, & ſecunda, & tertia feria uſque poſt reditum Litaniarum comeſtionem differre, & tamen feria quarta pro reverentia Aſcenſionis jejunare, non ex aliqua coactione, vel auctoritate, ſed ex Chriſtiana tantum devotione. *(c)*.

De feria ſecunda ſcilicet prima die Litaniarum, & Officio ipſarum. CCXXV.

FEria ſecunda in quinta Hebdomada poſt Albas. Ad Matutinum, Invitatorium *Dominus qui fecit nos, jam ſurrexit*. Hymnus *Rex ſempiterne*. Antiph. Allelujatica in tono primæ Antiphonæ de Matutino feriali, & Pſalm. *Dominus illuminatio*, & cæteri omnes, ſub illa Antiphona. Omnes Lectiones de Epiſtolis Canonicis leguntur, nam Homelia de afflictione tantum ad Menſam legitur. Reſponſoria de Hiſtoria *Si oblitus*. ℣. *Reſurrexit*. In Laudibus Antiph. Alleluja, Capitulum de Dominicali Epiſtola, Hymnus *Aurora*. ℣. *In Reſurrectione*. Ad Benedictus Antiph. de Evangelio Dominicæ, & Oratio de Dominica. Poſtea de afflictione dicitur Antiph. *Omnis qui petit*. ℣. *Converte nos Deus ſalutaris noſter*. Oratio *Præſta quæſumus Omnipotens, Deus ut qui in afflictione*. Deinde poſt Matutinum, ſoluto Capitulo, fiat brevis ammonitio ab Archipresbytero, vel Præpoſito Fratribus, quàm ordinate quàmque ſtudioſe peragant Officium Litaniarum, & quomodo Cantor diſcrete, & ſcienter quæ incipienda ſunt, vel ipſe incipiat, vel alios incipere faciat, & ad ejus nutum omnes diligenter adtendant. Omnes etiam Fratres ante aliquot dies moneantur de ipſo Officio Litaniarum providendo, et diligenter memoriæ commendando; ne coram populo totius Civitatis, his tribus diebus facturi

---

(a) Ibidem. [b] Duran. VI. cap. 102. n. 10., & 11.

(c) Volo tamen noverit Lector, quæ hoc de Argumento doceat Amalarius paulo ante allegatus: *Ubi dicit, omnes Eccleſiæ Dei, non extra Gallias poſſumus eas intelligere: Ubi erant hi, de quibus Ambroſius dixit, qui quotidie ſtatuiſſent carnem edendam uſque in Pentecoſten, ibi non fiebat jejunium juxta morem noſtrum, neque ubi Hieronymus, neque ubi Auguſtinus erat. Quod ſi fieret, non tam aperte prædicarent relaxationem jejunii infra quinquaginta dies. Romana conſuetudo unum diem, ideſt ſeptimo Kalendas Maii interponit, quem vocat in Litania majore, non in jejunio; Litania autem, ut prædiximus, deprecatio eſt apud nos*.

pauca utilitas ex eorum recensione ad vetustas Senensis Urbis Ecclesias dignoscendas insit =

Fer. II. Ad celebrandas Rogationes in Choro incipit Cantor Antiph. *Sanctus Deus, Sanctus, fortis, Sanctus & immortalis, qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis*. Psalm. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis*. Iterum Chorus ℟. *Sanctus Deus*. ℣. *Propitius esto Domine peccatis nostris, Alleluja*. ℟. *Propter nomen tuum Domine, Alleluja*. ℣. *Exaudi nos Deus salutaris noster, Alleluja*. ℟. *Et propter gloriam nominis, Domine*. ℣. *Dignare me, laudare te &c*. ℟. *Da mihi virtutem*. ℣. *Domine exaudi*. ℟. *Et clamor*.

Misereri jam quæsumus Domine populo tuo, intercedente Beata, & Gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, & continuis tribulationibus laborantem celeri protectione lætifica. Per eundem &c.

Sine Benedicamus cum extra Ecclesiam pervenitur ad gradus dicitur Antiphona, & itur duobus diebus ad dexteram.

Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Exurge, quare obdormis, Domine &c. Evovae *Gloria Patri*. *Exurge. Clementissime exaudi Domine populum tuum. Deus auribus nostris audivimus. Patres nostri ann.* Evovae *Gloria Patri*.

Ad Portam Salariam, vel in exitu Civitatis.

Antiph. *De Hierusalem exeunt reliquiæ, & salvatio de Monte Sion; propterea protectio erit huic Civitati, & salvabitur propter David famulum ejus, Alleluja*.

Antiph. *Cum jucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini, nam & Montes; & Colles exilient expectantes vos cum gaudio, Alleluja*.

Antiph. *Ego sum Deus Patrum vestrorum, dicit Dominus, videns vidi afflictionem populi mei, & gemitum ejus audivi, & descendi liberare eos, Alleluja, Alleluja*.

Istæ dicuntur in eundo per viam.

Populus Sion convertimini ad Dominum Deum vestrum, & dicite ei, potens es Domine dimittere peccata nostra, ut non inveniant nos iniquitates nostra, Deus noster, Alleluja.

Domine Deus noster, qui cum Patribus nostris mirabilia magna fecisti, & nostris glorificare temporibus, qui misisti manum tuam de alto, & liberasti nos, Alleluja.

Antiph. *Confitemini Domino filii Israel, quia non est alius Deus præter eum, ipse liberavit nos propter Misericordiam suam; aspicite quæ fecit nobiscum, & enarremus omnia mirabilia ejus, Alleluja*.

Antiph. *Exclamemus omnes ad Dominum dicentes: peccavimus tibi Domine, patientiam habe in nobis, & erue nos a malis, quæ quotidie accrescunt super nos, Alleluja*.

Antiph. *Domine imminuti sumus propter peccata nostra hodie, sed in anima contrita, & Spiritu humilitatis suscipiamur, sed fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, quia non est confusio confidentibus in te, Alleluja, Alleluia*.

Antiph. *Iniquitates nostræ Domine multiplicata sunt super capita nostra, delicta nostra creverunt usque ad Cœlos, parce Domine, & inclina super nos miseri-*

 ricor-

ricordiam tuam. Multa sunt, Domine, peccata nostra, tibi peccavimus, patientia Israel; libera nos Domine in tempore angustia nostra.

Antiph. *Peccavimus, Domine, & tu iratus es nobis, & non est, qui effugiat manum tuam, sed supplicamus, ut veniat super nos misericordia tua, qui Ninive pepercisti, miserere nobis.*

Ista ad quaslibet Ecclesias dicitur, cum appropinquat etc.

Antiph. *Parce Domine, parce populo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ut non in æternum irascaris nobis, Alleluja, Alleluja.*

Antiph. *Cognoscimus Domine, quia peccavimus, veniam petimus, quam non meremur, manum tuam porrige lapsis, qui latroni confitenti Paradisi januam aperuisti, in tribulatione clamamus ad te, Domine, noli nos perdere, pro quibus dignatus es de Cœlis descendere, subveni & libera in tempore angustia.*

Ad S. Peregrinum.

Antiph. *Hic vir despiciens Mundum &c.*

Oremus.

Exaudi Domine gemitum populi tui, ut intercedente B. Peregrino Martyre tuo, non plus apud te valeat offensio delinquentium, quam misericordia tua indulta fletibus supplicantium. P. D. J. C.

Ad S. Christophorum Mart.

Antiph. *Hic est vere Martyr &c.*

Oremus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone, ut a cunctis perturbationibus liberati, intercedente Beato Christophoro Martyre tuo, tranquilla tibi servitute famulemur. Per &c.

Ad S. Donatum, populo extra Ecclesiam expectante, dicit Archipresbyter has preces in januis Ecclesiæ.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis. Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris. ℟. Agnus Dei. ℣. Gloria Patri. ℟. Agnus Dei. ℣. Sicut erat &c. ℟. Agnus. ℣. Exaudi Deus. ℟. Orationem populi tui. ℣. Exaudi Christe. ℟. Deprecationem nostram.

Pater de Cœlis Deus	*Miserere nobis.*	*Lux Gentium*	*Mis.*
Spiritus Sancte Deus	*Mis.*	*Misericordia Captivorum*	*Mis.*
Charitas Potestatum	*Mis.*	*Navigantium Gubernator*	*Mis.*
Archangelorum æternitas	*Mis.*	*Orphanorum Pastor*	*Mis.*
Bonitas Patriarcharum	*Mis.*	*Pacis Conditor*	*Mis.*
Charitas Sacerdotum	*Mis.*	*Quies Indultorum*	*Mis.*
Divitia Prophetarum	*Mis.*	*Remissio Peccatorum*	*Mis.*
Electio Apostolorum	*Mis.*	*Sanitas Infirmantium*	*Mis.*
Fides Martyrum	*Mis.*	*Tutela Virginum*	*Mis.*
Gloria Confessorum	*Mis.*	*Viduarum Gubernator*	*Mis.*
Hæreditas Levitarum	*Mis.*	*Excitatio Mortuorum*	*Mis.*
Juste Judex	*Mis.*	*Initium Sæculorum*	*Mis.*
Fili Redemptor	*Mis.*	*Zelus, & Corona Martyrum*	*Mis.*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. An-

Antiph. *Puer Donatus, nobili ortus prosapia, dum noste Christum quaereret, a parentibus dejectus est. Ora pro nobis B. Donate. Ut digni.*

Oremus

Parce Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus castigatus, interveniente B. Donato Martyre tuo atque Pontifice, in tua miseratione respiret. Per &c.

Ad Ecclesiam S. Michaelis.

Antiph. *Michael Archangele veni in adjutorio populo Dei.* ℣. *In conspectu Angelorum.*

Oremus.

Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & interveniente B. Michaele Archangelo tuo flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per &c.

Ad Sanctum Ægidium.

Antiph. *Amavit eum Dominus &c.* ℣. *Justum deduxit.*

Oremus.

Auxiliare quæsumus Domine, quærentibus misericordiam tuam, & intercedente Beato Ægidio Confessore tuo, da veniam confitentibus, parce supplicibus, ut qui nostris meritis flagellamur, tua miseratione salvemur. Per &c.

Ad S. Laurentium facta admonitione populi fit Confessio.

Antiph. *Laurentius bonum opus operatus est &c.*

Oremus.

Mentem familiæ tuæ quæsumus Domine, intercedente Beato Laurentio Martyre tuo, & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per &c.

Ad S. Vincentium.

Antiph. *Sancte Vincenti Martyr Christi pretiose, adesto nostris precibus pius, ac propitius.* ℣. *Gloria, & honore &c.*

Oremus.

Adesto Domine quæsumus supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, intercessione B. Vincentii Martyris tui ab omnibus adversitatibus liberemur. Per &c.

Ad S. Petrum de Camollia.

Antiph. *Tu es Pastor Ovium &c.* ℣. *Tu es Petrus &c.*

Oremus.

Adesto Domine populis tuis in tua protectione fidentibus, & tua se dextera suppliciter inclinantes, intercedente B. Petro Apostolo tuo, perpetua defensione conserva. Per &c.

Ad S. Bartholomæum.

Antiph. *Postquam ad Licaoniam prædicavit Beatus Bartholomæus, ad Indos veniens convertit eos ad Christum, & per Martyrium penetravit cælos, ubi cum Deo perpetue gloriosus exultat.* ℣. *In omnem terram &c.*

Oremus.

Praesta quaesumus Omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente B. Bartholomaeo Apostolo tuo, tua pietatis indulgentiam consequamur. Per &c.

Ad Mansionem Templi.

Antiph. *Salva nos Christe Salvator per virtutem S. Crucis, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis.* ℣. *Per signum &c.*

Oremus.

Parce Domine, parce populo tuo, & nullis jam patiaris adversitatibus fatigari; quos pretioso filii tui sanguine redemisti. Qui tecum &c.

Ad S. Basilium.

Antiph. *Sacerdos, & Pontifex, & virtutum artifex, bonus Pastor in populo, qui placuisti Domino.* ℣. *Tu es Sacerdos in aeternum &c.*

Oremus.

Deus, qui culpas delinquentium districtè feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuses, ut qui pondus tua animadversionis cognovimus, intercedente Beato Basilio Confessore tuo atque Pontifice, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per Dominum &c.

Ad S. Petronillam Antiphona, et ibi cantatur Missa.

Antiph. *Veni sponsa Christi.* ℣. *Specie &c.*

Offertorium.

Exaudivit de templo sancto suo vocem meam, Alleluja, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus, Alleluja, Alleluja. Psalm. *Diligam te Domine, Alleluja.* ℣. *Confitemini Domino, quoniam &c.* ℣. *Propitius esto Domine peccatis nostris, ne quando dicant Gentes, ubi est Deus eorum.*

Officium.

Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum, qui astitit ad dexteram pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam. Alleluja.

Post Communio.

Petite & accipietis, quaerite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit, & qui quaerit, invenit, & pulsanti aperietur, Alleluja.

Oremus.

Purifica quaesumus Domine tuorum corda Fidelium, intercedente Beata Petronilla Martyre tua, ut a terrena cupiditate mundati, & praesentis vitae periculis eruantur, & perpetuis donis firmentur. Per &c.

In secunda die *de Oratione de Sancto Martino &c.*
Secunda die ad dexteram item ad Sanctum Desiderium.

Antiph. *Iste Sanctus.* ℣. *Gloria, & honore &c.*

Oremus.

Peccata nostra, quaesumus Domine, memor humanae conditionis absolve, & intercedente Beato Desiderio Martyre tuo atque Pontifice, quicquid eorum retributione meremur, averte. Per &c.

Ad

Ad S. Paulum.

Antiph. *Sancte Paule Apostole &c.*

Oremus.

Deus, qui culpas nostras piis verberibus percutis, ut nos a nostris iniquitatibus emundes; da nobis interveniente B. Paulo Apostolo tuo, & de verbere tuo proficere, & de tua citius consolatione gaudere. Per &c.

Ad S. Martinum *Agnus Dei &c.* ut supra dictum fuit ad S. Donatum, usque *Spiritus Sancte Deus*. Postea dicantur breves Litaniæ in januis Ecclesiæ.

Antiph. *Sacerdos Dei Martine, Pastor egregie. ℣. Martinus Episcopus migravit a saeculo. ℟. Vivit in Christo, ora pro nobis Deum, gemma Sacerdotum.*

Oremus.

Deus qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius; ut intercessione B. Martini C. t. atque Pont. contra omnia adversa muniamur. Per &c.

Ad S. Justum.

Antiph. *Sancti, & Justi &c. ℣. Justorum Animæ &c.*

Oremus.

Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut qui iram tuæ indignationis agnovimus, precibus, & meritis Sanctorum tuorum Justi, & Clementis, misericordiæ tuæ indulgentiam consequamur. Per &c.

Ad S. Georgium.

Antiph. *Ora pro nobis B. Georgi &c.*

Lecta prius Lectione de Sermone Rogationum fit admonitio, & Confessio ad Populum.

Oremus.

Omnipotens Deus misericordiam tuam nobis placatus impende, ut qui, te contemnendo, culpam incurrimus, precibus S. Georgii Mart. tui, confitendo veniam consequamur. Per &c.

Ad S. Mauritium.

Antiph. *Filiæ Hierusalem &c.*

Oremus.

Ab omnibus quæsumus Domine peccatis nos propitiatus absolve, ut percepta venia peccatorum, interveniente B. Mauritio Martyre cum Sociis suis, liberis tibi mentibus serviamus. Per &c.

Ad S. Leonardum.

Antiph. *Ecce venit* [fortasse *verus*] *Israelita, in quo dolus non est. ℣. Just. deduc. &c.*

Oremus.

Majestati tuæ, quæsumus Domine, Sanctissimi Confessoris tui Leonardi nos pia jugiter commendet oratio, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per &c.

Ad

Ad S. Angelum de Castello Montonis.

Antiph. *Archangele Michael, constitui te Principem super omnes Animas suscipiendas.* ℣. *Stetit Angelus juxta Aram Templi &c.*

Oremus.

Quæsumus Omnipotens Deus afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis averte, ut qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, interveniente B. Michaele Archangelo tuo, tua consolatione liberemur. Per &c.

Ad S. Clementem.

Antiph. *Orante S. Clemente apparuit ei Angelus Domini.* ℣. *Magna est &c.*

Oremus.

Clamantium ad te Domine, preces dignanter exaudi, & sicut Ninivitis in afflictione positis pepercisti, ita & nobis, precibus B Clementis Mart. tui atque Pontificis, in præsenti tribulatione succurre. Per &c.

Ad S. Eugeniam Antiphona: et ibi cantetur Missa.

Antiph. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.* ℣. *Adjuvabit eam &c.*

Oremus.

Concede quæsumus Omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, intercessione Beatæ Eugeniæ Martyris tuæ liberati a malis omnibus, secura tibi mente serviamus. Per &c.

Tertia die ad S. Quiricum.

Antiph. *Iste est, qui pro lege Dei sui morti se tradidit, non dubitavit mori, ab iniquis interfectus est.*

Oremus.

Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut qui nostris excessibus incessanter affligimur, per intercessionem B. Quirici Martyris tui a malis omnibus liberemur. Per &c.

Ad S. Petrum de Castello Veteri.

Antiph. *Solve, jubente Deo, terrarum Petre Catenas,*
Qui facis ut pateant Cœlestia Regna Beatis. ℣. *Constitues eos Principes.*

Oremus.

Deus, qui B. Petrum Apostolum a vinculis absolutum illæsum abire fecisti, nostrorum quæsumus absolve vincula peccatorum, & omnia mala a nobis propitiatus exclude. Per &c.

Ad S. Mustiolam.

Antiph. *O quam pulchra est casta &c.*

Oremus.

Afflictionem populi tui quæsumus Domine intende placatus, ut indulta venia peccatorum, intercedente B. Mustiola Martyre tua, de tuis semper beneficiis glorietur. Per &c.

Ad S. Christinam.

Antiph. *Hæc est Virgo sap. &c.*

Oremus.

Deus, qui sperantibus in te misereri potius eligis, quàm irasci, da nobis dignè flere mala, quæ fecimus, ut intercedente Beata Christina Mart. tua consolationis tuæ gratiam invenire valeamus. Per Dominum &c.

Ad S. Agatham.

Antiph. *Agatha Sancta dixit: si feras mihi promittis, audito Christi nomine mansuescunt.* ℣. *Adjuvabit eam Deus vultu suo &c.*

Oremus.

Indulgentiam nobis Domine, Beata Agatha Martyr imploret, quæ tibi grata extitit virtute Martyrii, & merito castitatis. Per &c.

Ad S. Theodorum.

Antiph. *Posuisti Domine super caput ejus &c.*

Oremus.

Intende Domine quæsumus preces nostras, & quia non operando justitiam, correptionem meremur, afflicti in tribulatione clamantes, intercedente B. Theodoro Martyre tuo, in tua misericordia respiremus adjuti. Per &c.

Item cum reversi fuerint ad arcum *de Castro Veteri*, Cantor cum duobus dicit tribus vicibus:

Domine Miserere. Kyrie eleison.

Postea dicit Archipresbyter hanc Orationem:

Deus, qui Angelorum munitionibus Sanctam Hierusalem visitas, & propitius protegis, in qua Fidelium Animæ requiescunt, Respice propitius Omnipotens, & misericors Deus super hanc Civitatem, in qua fidelis populus commoratur: non irruat in eos fames, nec pestis, nec gladius, nec ulla calamitas inimicorum sævientium, non accedat eis mors amarissima: repelle Domine a famulis & famulabus tuis omnem languorem, & omnem infirmitatem. Extende potentissimam dexteram tuam, Deus, super hanc Civitatem, & reple eam abundantia, & misericordia, justitia, & veritate, & sit in ea Pax, & Charitas sempiterna: Visita eam Domine præsenti tempore, nec umquam deseras eam, constitue eam firmissimam in sempiternum, Rex Regum, Domine Deus. Per Christum Dominum Nostrum.

Deinde redeunt ad Plebem cantantes hoc ℟.

Civitatem istam tu circumda Domine, & Angeli tui custodiant muros ejus, exaudi Domine populum tuum cum Misericordia. Avertatur obsecro, Domine, furor tuus a Populo tuo, & a Civitate ista. Exaudi.

Et sic cantatur Missa de Vigilia Ascensionis in plebe, et fit admonitio, et Confessio ad Populum.

Hactenus Processionale Senense. Porro monitus sum, hodieque eundem fere ritum in

mine, & aliam Antiphonam post illam *Parce Domine*, & has duas Antiphonas semper cantent ad quaslibet Ecclesias, cum appropinquatur ad eas. Cum autem fuerint ingressi Ecclesiam, sit puer, vel Custos paratus, qui portat librum Processionalem, & quandocumque fuerit necessarium per singulas Ecclesias Episcopo, vel Archipresbytero repræsentet, & statim ibi Cantor in Ecclesia Sancti Peregrini dicit Antiph. *Hic vir despiciens Mundum*. ℣. *Gloria, & honore*, & Episcopus, vel Sacerdos dicit Orationem, quæ posita est in libello. Postea in exitu Ecclesiæ quidam dicunt Antiph. *Cum jucunditate exibitis*, & sic faciunt semper in exitu singularum Ecclesiarum, quandocumque faciunt Litanias. Deinde imus ad Ecclesiam Sancti Christophori, & quia propinquæ sunt Ecclesiæ, illas solas prædictas Antiphonas cantamus, scilicet *Cognoscimus Domine*, & *Parce Domine*, & ibi in Ecclesia dicta Antiphona, & propria Oratione, quæ continetur in libro, imus ad Ecclesiam Sancti Donati, & tunc in eundo incipimus Psalterium a capite, & ubi dimittimus ad unam Ecclesiam, cum exiverimus, reincipimus ibidem. Cum autem pervenerimus ad Ecclesiam Sancti Donati, antequam ingrediatur Episcopus, vel Archipresbyter, ibi circa januas, intus a Clericis facto Choro, dicit breves Litanias, scilicet *Agnus Dei, qui tollis peccata, suscipe deprecationem nostram*, & cætera, sicut sunt in libello. Postea simili modo singulas Ecclesias circuendo aut cantantes, aut Psalmos dicentes, cum pervenerint ad Ecclesiam Sancti Laurentii, fit ibi sermo ab Episcopo, vel Archipresbytero, & communis Confessio Populo. Postmodum inde exeuntes, & per alias Ecclesias similiter euntes vadunt usque ad Ecclesiam Sanctæ Petronillæ, & ibi dicta Antiphona, & Oratione in ingressu, & tandem coadunato Populo, cantatur Missa de afflictione hoc modo. Officium *Exaudivit de Templo*, & non dicitur *Gloria in Excelsis*, sed una tantum Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut qui in afflictione*, nisi esset ea die aliquod festum, de quo in Missa Oratio interponeretur. Epistola *Confitemini alterutrum*, *Alleluja Confitemini*, & *Alleluja propitius*. Evangelium *Quis vestrum habet amicum*, & non dicitur *Credo in unum*. Finita Missa, Vexillis, & Crucibus præcedentibus, omnes ad propria revertuntur, & Clerici revertentes canunt Tertiam, & Sextam. Mulieres vero *Kyrie eleison* cantando, Deum laudare laborant. Postea Nona, & Vesperum dicuntur more solito, & ad Magnificat dicitur Antiphona de Evangelio, & Oratio de Dominica; non enim fit Collecta de afflictione per Antiphonam, & Orationem, nisi in Laudibus post Orationem de Dominica.

De

in Ecclesia Senensi servari. Non ab-similem servabat antiquitus Bononiensis Ecclesia, hodieque servat nobilissima Mediolanensis, extatque in nostra Bibliotheca editus ea de re a Sancto Cardinale Carolo Borromæo libellus. Consule etiam, quæ docet egregius Mabillon *Liturg. Gallican.* lib. II. pag. 152. Martene *de Antiq. Eccl. Rit.* lib. IV. cap. 27. pag. 513. & seqq. Tomi III. edit. *Antuerp.* seu potius *Mediolan.* Oper. Ven. Card. Thomas. To. IV. pag. 105. 109. 110. To. V. 113. To. VI. 303. 414., & 415.

De secunda die Litaniarum. CCXXVII.

Tertia feria, scilicet secunda die Litaniarum, totum Nocturnale Officium more solito de Resurrectione, ut dictum est in secunda feria, compleatur, nisi festo trium Lectionum interrumperetur, & ad Benedictus post Orationem de Dominica fit Collecta de afflictione per hanc Antiph. *Quis vestrum habet amicum*, & Oratio *Præsta quæsumus*, postea de Dominica, prius Missa tempestivius solito cantata, quia longior restat via: Eo modo pulsetur ad Litanias, ut hesterna die, & eodem ordine incipiuntur in Choro, & ad gradus eadem Cantor incipit, & a dextra similiter euntes primo vadunt in Ecclesiam Sancti Desiderii, & ibi dicta propria Antiphona, & Oratione ordinate vadunt per singulas Ecclesias, aliquando Psalmos, aliquando Antiphonas canendo usque ad Ecclesiam Sancti Martini, & ibi antequam ingrediantur Ecclesiam, Episcopus vel Archipresbyter dicit easdem breves Litanias, sicut heri dictæ fuerunt *ad Sanctum Donatum*. Illis finitis, & dicta Antiphona, & Oratione de Sancto Martino, quæ est in libello, & semper sine *Dominus vobiscum*, sicut dicuntur omnes Orationes per singulas Ecclesias in ingressu, vadunt *ad Sanctum Justum, & ad Sanctum Georgium*, & ibi lecta prius Lectione de Sermone Rogationum, fit brevis ammonitio, & Confessio ad Populum. Deinde per alias Ecclesias ambulantes, orando, & psallendo Psalmos, & Antiphonas vadunt usque ad Ecclesiam Sanctæ Eugeniæ, & in ingressu dicta propria Antiphona, & Oratione, cantatur Missa *de afflictione*, eodem modo ut dictum est in secunda feria, & semper in Missa ab Episcopo, vel Archipresbytero, vel aliquo Canonico, fit brevis ammonitio, & Confessio Populo. Post celebrationem Missæ, omnes ad propria redeuntes, & Clerici Tertiam, & Sextam horam canendo, & viri, & mulieres in suis jubilationibus Deum laudare conantur.

De tertia die Litaniarum in Vigilia Ascensionis. CCXXVIII.

Feria quarta in Vigilia Ascensionis, ad Matutinum Invitatorium *Dominus, qui fecit nos, jam surrexit*. Hymnus *Rex sempiterne*. Antiph. Allelujatica, super Matutinum feriale. ℣. *Surrexit Dominus de sepulchro*. Lectiones de Homelia Beati Augustini in Vigilia de Evangelio. *Sublevatis oculis in Cœlum dixit: Pater*. Responsoria de Historia *Si oblitus*, & ℣. *de Resurrectione*. In Laudibus Antiph. Allelujatica. Capitulum de Dominicali Epistola. Ad Benedictus Antiphona de Evangelio Dominicæ, & Oratio de Dominica, postea de afflictione Antiph. *Petite, & dabitur*, & Oratio *Præsta quæsumus*. Deinde hora congrua cantatur Missa

Vigilia. Officium *Omnes gentes*. Oratio *Adesto D. sup.* (a) & dicitur tantum una Oratio, nisi sit festum. Postea *Gloria in Excelsis*, & Epistola *Multitudinis credentium*, & cantatur tantum unum Alleluja. *Non vos relinquam*. Evangelium *Sublevatis oculis*, & non dicitur *Credo in unum*. Præfatio *Qui post Resurrectionem suam*. Post Missarum celebrationem, hora congrua pro Litaniis faciendis, ut factum est aliis duobus diebus, fit pulsatio campanarum, & Clero, & Populo in Majori Ecclesia congregato, eodem ordine in Choro incipiuntur Litaniæ, & cum pervenerint ad gradus, vadunt ad sinistram, & ibi Cantor easdem incipit, & eodem ordine cantat, & alii cum eo, & sic canendo, & Psalmos dicendo vadunt primo ad Ecclesiam Sancti Quirici, & postea per singulas Ecclesias ordinate euntes, vadunt usque ad Ecclesiam Sancti Matthæi, & ibi antequam ingrediantur Ecclesiam, Episcopus vel Archipresbyter, facto Choro dicit in januis breves Litanias, sicut fecit ad Sanctum Donatum; quibus finitis, & dicta Antiphona, & Oratione propria Sancti Matthæi, omnes redeunt, Clerici Tertiam, & Sextam cantando, & viri, & mulieres prout sciverint, Deo laudes in jubilatione referunt, gratias agunt, & ad Christi præconia se invicem exhortantur. Cum autem reversi fuerint ad arcum *de Castro veteri*, faciunt ibi stationem, & qui Cruces, & Vexilla portabant, quiescunt, & ibi extra Portam totus Clerus, & Populus expectatur, & omnibus coadunatis, Cantor cum duobus stans sub limine portæ, canit tribus vicibus *Domine Miserere*, & Chorus respondet *Kyrie eleison*, & qualibet vice altius repetitur, & respondetur; postea Episcopus, vel Archipresbyter ibi ante Portam dicit hanc Orationem *Deus qui Angelorum*: qua finita redeunt ad Plebem cantantes ℟. *Civitatem istam*, & cum Organo, & sic in Plebe cantatur Missa de Vigilia Ascensionis, cum *Gloria in Excelsis*, sed sine *Credo in unum*, & Præfatio *Qui post Resurrectionem*. Postea facta Sermonis ammonitione, & Confessione ad Populum, Missa terminatur cum *Ite Missa est*, & usque ad Nonam jejunium prolongatur, nam in Vigilia Dominicę Ascensionis jejunium celebrari devotio obtinuit, ratio vel auctoritas non indicit: ait enim Beatus Ambrosius. (b) *Ideo majores tradidere nobis Pentecosten omnes quinquaginta dies*

(a) Arbitror eam hic Orationem indicari, quæ pag. 474. Tom. II. Oper. Ven. Card. Thomasii exhibetur sub hoc titulo. *Ad priores Vesperos. Vigilias in nocte, & Missam in die*: Et hæc est: *Adesto Domine supplicationibus nostris, ut sicut humani generis Salvatorem consedere tecum in tua Majestate confidimus, ita usque ad consummationem sæculi: manere nobiscum (quemadmodum est pollicitus) sentiamus. Qui tecum vivit.*

(b) In exposit. in Evang. Luc. lib. VIII. n. 25. edit. Patr. Benedict. Porro editio hæc Ambrosii verba sic exhibet: *Et ideo Majores tradidere nobis Pentecostes omnes quinquaginta dies, ut Pascha celebrandos; quia octava hebdomadis initium Pentecosten facit .... Ergo per hos quinquaginta dies jejunium nescit Ecclesia; sicut Dominica, qua Dominus resurrexit, & sunt omnes dies tamquam Dominica.* Affinia tradit idem Ambrosius in Apologia David [cap. VIII. n. 42.] quam consulas, volo.

dies celebrandos, ut Pascha, quia initium Octavæ Hebdomadæ Pentecostes facit. Et paulo post: *Ergo per hos quinquaginta dies jejunium nescit Ecclesia, sicut Dominica, qua Dominus resurrexit, & sunt omnes dies tanquam Dominica*. Sed quia propter Litanias Officium differtur usque ad Nonam, non multum est, si tantæ solemnitati subsequenti, hæc devotio jejunii observetur.

Quid faciendum sit, quando Festum alicujus Sancti venerit in his duobus diebus Litaniarum. CCXXIX.

NOtandum est, quod si in his duobus diebus Litaniarum, festum alicujus Sancti occurrerit, totum Nocturnum, & diurnum Officium fiet de Festo, & ad Matutinum in Laudibus post Orationem de festo fiet Collecta *de afflictione* per Antiphonam, & Orationem. Postea Missa cantabitur de Festo cum *Gloria in Excelsis Deo*, in qua interponetur Oratio *de afflictione*. Deinde factis Litaniis ad Ecclesias, ubi Missa *de afflictione* cantari consuevit, dicetur ibi Missa sine *Gloria in Excelsis*, & interponetur Oratio de festo, & si feria quarta in Vigilia Ascensionis festum novem Lectionum occurrerit, omnia fiant, ut in aliis festis præter Homeliam, & Missam *de Vigilia*, in qua dicetur Oratio *de Festo*, sed de festo trium Lectionum hodie fit tantum commemoratio. Si autem aliquod festum in die Ascensionis occurrerit, in sequentem feriam differetur, & in die Ascensionis ad Vesperum, post Orationem de Ascensione, fiet Collecta de Festo per Antiphonam, & Orationem.

De Benedictione Mensæ, & Vespero, & Completorio in Vigilia Ascensionis. CCXXX.

IN Vigilia Ascensionis post Nonam, cum ventum fuerit ad Mensam, fit Benedictio tali modo. ℣. *Ascendens Christus in altum*, & cætera. *Gloria Patri*, & cætera. *Kyrie eleison. Pater noster*, & cætera. *Jube Domne*, & cætera. Data benedictione legitur Homelia de Vigilia, vel Capitulum de Epistola Ascensionis. Cum surrexerint, dicatur. ℣. *Ascendit Deus in jubilatione*, & cætera. *Gloria Patri*, & cætera. Oratio *Gratias agimus*, & cætera. Psalm. *Omnes gentes*, & imus in Ecclesiam cum eo, *Gloria Patri*, & cætera. *Kyrie eleison. Pater noster*, & cætera. ℣. *Ascendo ad Patrem. Nimis exaltatus est*. Postea dicitur Oratio de Ascensione usque *per omnia sæcula sæculorum* Amen. *Benedicamus Domino*, & cætera. *Benedicat nos qui creavit, & pavit*, & cætera. Et non dicitur *De profundis* hac die, nec sequenti: & sic facimus usque Vigiliam Pentecosten. Item ad Vesperum sub una Allelujatica omnes Psalmi de Vespero illius feriæ dicantur *Nisi Dominus* cum aliis, nisi festum novem Lectionum oc-

 cur-

currerit. In Vesperis tamen post Capitulum de Ascensione non consuevimus de alio facere commemorationem. Capitulum *Primum quidem*. ℟. *Omnis pulchritudo*, & tunc Altaribus, Clero, & Populo detur incensum. Hymnus *Festum nunc celebre*, (a) sine Organo. ℣. *Ascendens Christus in altum, Alleluja*, ad Magnificat Antiph. *Pater manifestavi nomen tuum*, quę tota primo æqualiter, & postea cum Organo canitur. Oratio *Concede quæsumus Omnipotens Deus*. Postea *Benedicamus Domino Alleluja* cum Organo: & nota quod ultra hanc diem non fit commemoratio de Cruce, quam facere consuevimus in Matutinis, & Vesperis, sed tantum *de Sancta Maria* a sexta feria post Ascensionem usque Vigiliam Pentecosten. Item ad Completorium Antiph. *Rogabo Patrem*. Psalm. *Cum invocarem*, & cæteri. Capitulum *Viri Galilæi quid statis*. Hymnus *Oramus Domine*. (b) ℟. *Nimis exaltatus est, Alleluja*. *Super Cœlos, Alleluja*. ℣. *Dominus in Cœlo, Alleluja*. Antiph. *Illi autem profecti*. Psalm. *Nunc dimittis*. Oratio *Concede quæsumus*, & hunc ordinem servamus ad Completorium usque in Vigiliam Pentecostes.

De Matutinali Officio in Ascensione Domini. CCXXXI.

DOminicæ Ascensionis solemnitas celeberrimo cultu in omni Officio venerabilius habetur. Ad Matutinum itaque Cantor cum duobus Fratribus cantat Invitatorium *Alleluja, Christum Dominum*, & totum cum Organo, & Chorus repetit æqualiter post *Venite*: quo dicto, ibidem ante Altare in Choro incipiant Hymnum *Festum nunc celebre*, & sine Organo, & dicto primo versu vadunt ad manum Episcopi, si fuerit præsens. In primo Nocturno Antiph. *Elevata est*. Psalm. *Domine, Dominus noster*. Antiph. *Dominus in templo*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *A summo Cœlo*. Psalm. *Cœli enarrant*. ℣. *Ascendens Christus in altum*. In secundo Nocturno Antiph. *Exaltare*. Psalm. *Domine in virtute*. Antiph. *Exaltabo te*. Psalm. ipse. Antiph. *Ascendit Deus*. Psalm. *Omnes gentes*. ℣. *Ascendo ad Patrem*. In tertio Nocturno Antiph. *Nimis exaltatus est*. Psalm. *Dominus regnavit*. Antiph. *Dominus in Sion*. Psalm. *Dominus regnavit, irascantur*. Antiph. *Dominus in Cœlo*. Psalm. *Benedic anima mea*. ℣. *Ascendit Deus in jubila*. Sex Lectiones de Actibus Apostolorum ab eo loco *Primum quidem Sermonem*, vel primæ tres de Actibus, & tres in medio de Sermonibus illius diei, tres ultimæ de Homelia Gregorii, ex Evangelio *Recumbentibus undecim discipulis*, & omnes Lectiones hodie leguntur super majus

---

(a) Hymnum hunc, qui Rabano tribuitur, habes pag. 374. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii, & pag. 237. Oper. Cassandri.
(b) Est portio superioris Hymni
Oramus Domine, conditor inclyte &c.

majus Pulpitum. Responsoria de propria Historia *Post passionem Domini*, & alia sicut sunt in Antiphonario, & tantum Versus cantantur cum Organo. Nonum ℟. *Ego Rogabo Patrem*, & totum cum Organo. Item *Te Deum laudamus*. ℣. *Ascendens Christus in altum*. In Laudibus Antiph. *Viri Galilæi*, & cæteræ. Capitulum *Primum quidem*. Hymnus repetitur ab eo loco *Oramus Domine conditor*. (a) ℣. *Dominus in Cælo*. Ad Benedictus Antiph. *Ascendo ad Patrem*. Oratio *Concede*, & *Benedicamus Domino Alleluja* cum Organo. Ad Primam Hymnus *Oramus Domine*. Antiph. *Cumque intuerentur*. Capitulum *Viri Galilæi*. ℟. *Christe Fili Dei vivi: qui scandis super sidera. Miserere nobis, Alleluja, Alleluja. Gloria Patri*. ℣. *Ascendit Deus in jubilatione*. Oratio *Concede*. Postea Fratres exeunt in Capitulum, & ibi pulsato signo, & ætate Lunæ prædicta, dicit Archipresbyter ℣. de Ascensione, scilicet *Ascendens Christus in altum, Alleluja*. ℣. *Ascendit Deus in jubilatione. Ascendo ad Patrem. Benedicite*. Respondetur, *Dominus. Vias vitæ*, & cætera; & sic solvitur Capitulum tantum hac die Ascensionis Dominicæ.

De Missa Matutinali, & Processione in die Ascensionis. CCXXXII.

AD Missam Officium *Viri Galilæi*. Epistola *Primum quidem sermonem*. *Alleluja, ascendit Deus*: & *Alleluja, non vos relinquam* cum Organo. Evangelium *Recumbentibus undecim*. Et nota quod hoc Alleluja *Ascendit Deus*, in qualibet Missa, sive de festo, sive de Dominica, semper primo dicitur, & postea *Alleluja* de festo vel de Dominica, & hoc facimus usque ad Pentecostes. Hac die Missa Mortuorum dimittitur post Missam Matutinalem, in qua de Processione facienda, & Missa Majori a Domino Episcopo canenda, & sermocinatione ipsius, Populus ammonetur. Postea congrua hora Episcopus cum Canonicis in Ecclesiam Sancti Joannis venit, & ibi Clero totius Civitatis coadunato, idem Episcopus, vel Archipresbyter, induit se Alba Planeta, cum Diacono, & Subdiacono indutis Dalmatica, & Tunica ad Majorem Missam cantandam. Quo facto, & ordinata Processione, quando redire debent in Majorem Ecclesiam, Cantor alta voce incipit Antiph. *Hodie secreta Cæli caro Christi* (b), & cum

(a) Est portio Superioris Hymni *Festum nunc celebre*: nam quarta Strophe ad hunc modum incipit

Oramus Domine conditor inclyte &c.: quod jam dixi.

(b) En rursus quæ ex libro Processionali ad me misit sæpe laudatus Joseph Abbas Ciaccheri:

In die Ascensionis de plebe redeuntes in Majorem Ecclesiam, cantant hanc Antiphonam omnes æquali voce:

Hodie secreta Cæli caro Christi petiit, hodie factum est magnum Angelorum gaudium,

cum eo statim alii omnes canunt eandem Antiphonam æquali voce, & sic præcedente Cruce, & Vexillo, & Cereis accensis, tandiu iterant prædictam Antiphonam, donec veniant ad januas Majoris Ecclesiæ, & tunc Episcopus, vel Archipresbyter incipit Antiph. *O Rex gloriæ*, & Canonici, & totus Clerus concinunt cum Organo, & cum hac Antiphona redeunt in Chorum: & nota quod per hanc Processionem Dominum cum discipulis de Hierusalem in Monte Oliveti processisse commemoramus, vel nos eum sequi debere figuramus, eodem videlicet introitu, & eadem via, scilicet per viam obedientiæ, propter quam exaltavit illum Deus, & dedit *illi nomen, quod est super omne nomen*. (*a*) Quod repræsentavit, cum duxit eos foras in *Bephaniam*, (*b*) quæ interpretatur *obedientia*. Egredientes autem Ecclesia, et ad Ecclesiam redeuntes recolimus Apostolos egressos de Hierusalem; sed licet illi sine Christo, nos tamen cum Cruce Crucifixi, quia dixit, (*c*) *Vobiscum ero usque ad consummationem sæculi*. Quidam autem faciunt hanc Processionem post Tertiam cantatam sine aqua benedictæ aspersione, præter morem aliarum Processionum, tum ut Missa conjungatur Officio, tum quia nullus sequitur, nisi sanctificatus Baptismate in Spiritu Sancto.

De Tertia, & Missa Majori, & hora Nona & Vespero. CCXXXIII.

PEracta Processione cum omnes reversi fuerint in Choro, statim Septimanarius incipiat Tertiam, in qua canitur Hymnus *Oramus Domine*, et hunc Hymnum hac die tantum per omnes horas diei cantamus. Item Antiph. *Elevatis manibus*. Capitulum *Et convescens præcepit*. ℟. *Ascendens Christus in altum Alleluja, Alleluja*. ℣ *Ascendit Deus in jubilatione*. Oratio *Concede*. Deinde Cantor cum duobus in Choro ad Missam Majorem incipit trophum *Hodie Redemptor*, et totum cum Organo. Deinde Chorus canit Officium *Viri Galilæi*, æqualiter, et Cantor Versiculos cum Organo. Postea cantat illud *Kyrie eleison*, ubi sunt prosæ, *Lux, & origo*, et totum cum Organo, sine prosis. Post Epistolam cantatur in Choro a duobus, *Alleluja, ascendit Deus*, et tunc Cantor cum tribus ascendit majus pulpitum, et ibi cum Organo canunt *Alleluja, non vos relin-*

---

dium, quia Filius Excelsi jam immortalis in Regnum Patris sui gloriosus advenit, Alleluja, Alleluja.

In Ingressu Ecclesiæ.

O *Rex Gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes Cælos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis. Alleluja.* [a] Philipp. II. 9. (b) Legimus Bethania. [c] Matth. XXVIII. 20.

relinquam, qua finita, cantatur Antiph. *Ascendo ad Patrem*, et tunc Episcopus, Archipresbyter, Diaconus cum libro Evangeliorum, et Subdiaconus cum turibulo, præcedentibus cum Cereis accensis, Custodibus, ascendunt pulpitum, et ibi dicto Evangelio, et facta prædicatione, revertitur Episcopus cum aliis ad Altare, et dicit *Credo in unum*. Præfatio *Qui post Resurrectionem*, postea *Sanctus*, *Sanctus*, et *Agnus Dei* solemniter cum Organo suo loco cantatur. Finita Missa, statim dicatur Sexta. Antiph. *Exaltate Regem*. Capitulum *Igitur qui convenerant*. ℟. *Ascendit Deus in jubilatione*. ℣. *Ascendo ad Patrem*. Postea Fratres, qui ministraverunt Episcopo, et Cantor vadunt cum eo ad Mensam, alii vero qui remanent, eunt ad Mensam Canonicæ, et benedicunt mensam eodem ordine, quo prediximus in Vigilia. Item ad Nonam Antiph. *Videntibus illis*. Capitulum *Et accipietis virtutem*. ℟ *Ascendo ad Patrem*. ℣. *Nimis exaltatus*: Et nota quod supradicta Capitula, Responsoria, et Versiculi, ut supra per horas posuimus, cotidie dicuntur usque ad Pentecosten, nisi fiat festum novem Lectionum de aliquo Sancto. Hac die debet tempestive pulsari ad Vesperum, in quo cantantur Antiphonæ de Laudibus, Psalmi feriales dicuntur, videlicet *Memento Domine David*. *Ecce quam bonum*. *Laudate*. *Confitemini* (in quo Psalmo per unumquemque versum in fine dicatur *quoniam bonus: quoniam in sæculum Misericordia ejus*) et Psalm. *Super flumina*, et semper illas Antiphonas dicimus in Vesperis, quas in Laudibus, usque ad Octavam. Capitulum *Primum quidem*. Deinde sequentia *Rex Omnipotens die*, (a) et tunc fiat incensum Altaribus, et Clero, et Populo. Hy-

[a] Hujus sequentiæ, seu prosæ meminit Cl. Domin. Georg. *de Liturg. Rom. Pontific.* Tomo II. [pag ccxiii] Quoniam porro eam paucissimi codices habent, eam tibi Lector, exhibeo, diligentia accuratiss. Abbatis Josephi Ciaccheri ex Missali Vetustissimo Imperialis Biblioth. Senensis (n.793.) exscriptam, & ad me missam.

In die Ascensionis.

Sequentia.

Rex omnipotens die hodierna,
Mundo triumphali redempto, potentia,
Victor ascendit Cælos, unde descenderat.
Nam quadraginta postquam surrexerat,
Diebus sacris confirmans pectora
Apostolorum pacis cara relinquens oscula:
Quibus & dedit potestatem laxandi crimina,
Et misit eos in Mundum baptizare cunctas animas,
In Patris, & Filii, Sancti Spiritus clementia.
Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis,
Ne abirent, sed expectarent promissa munera.
Non post multos enim dies mittam vobis Spiritum Paraclitum in terris,
Et eritis mihi testes in Hierusalem Judaæ, sive Samaria,

Et

Hymnus *Festum nunc*. ℣. *Ascendens Christus*. Ad Magnificat Antiph. O *Rex Gloriæ* cum Organo. Oratio *Concede quæsumus*. Postea *Benedicamus Domino Alleluja*, cum Organo.

Quando festum novem Lectionum in die Ascensionis, vel sexta Feria, vel in utraque simul, vel infra Octavam venerit. CCXXXIV.

SI Festum novem Lectionum in sexta feria post Ascensionem occurrerit, totum Vesperum in die Ascensionis fiat de Ascensione, et in fine commemoratio per Antiphonam, et Orationem de festo. Si autem festum novem Lectionum in die Sanctæ Ascensionis venerit, ea die in Vesperis dicta Oratione de Ascensione, fit Collecta de Festo per Antiphonam, et Orationem, et in sexta feria totum Officium fiet de ipso festo, si sit celebre festum, unde legendam propriam habeamus, propter quam tres Lectiones in medio Nocturno de Ascensione, et in Laudibus, et Missa post Orationem de festo fiet Collecta de Ascensione. Sed si duæ festivitates continuæ fuerint novem Lectionum, scilicet in die Ascensionis, et sexta feria sequenti, tunc in Vesperis die Ascensionis post Orationem de Ascensione, fiet Collecta per Antiphonam, et Orationem de utraque festivitate, et postea in sexta feria totum Officium fiet de festo utriusque, ita quod majoritas fiat de uno festo magis celebri, et Collecta de altero per Antiphonam, et Orationem, et de Ascensione tres Lectiones in medio in Matutinis, sicut dictum est superius, et Collecta per Antiphonam, et Orationem, in Vesperis, et Missa. Et est sciendum, quod si alia die infra Octavam Ascensionis festum novem Lectionum occurrerit, totum Officium de festo peragatur, excepto quod in medio tres Lectiones de Ascensione facimus, et in Matutinis, et Vesperis fiet commemoratio de

Et cum hoc dixisset, videntibus illis elevatus est, & nubes clara
Suscepit eum ab eorum oculis: intuentibus illis æthera,
Ecce steterunt amicti duo viri in veste alba
Juxta, dicentes quid admiramini Cælorum alta?
Jesus enim hic, qui assumptus est a vobis, ad Patris dexteram.
Ut ascendit, ita veniet quærens talenti commissi lucra.
O Deus maris, poli, arvi, hominem quem creasti, quem fraude subdola
Hostis expulit Paradiso, & captivum secum traxit ad tartara,
Sanguine proprio redemisti nos Deo:
Illuc, & releves, unde premissi corruit Paradisi gaudiis.
Judex cum veneris judicare saculum,
Da nobis quæsumus sempiternam Requiem
In Sanctorum Patria, in qua tibi cantemus, Alleluja.

de Ascensione per Antiphonam, et Orationem. Si autem festum trium Lectionum aliqua die venerit infra Octavam, commemorationem tantum per Antiphonam, et Orationem facimus de ipso festo.

De Officio infra Octavam Ascensionis. CCXXXV.

Infra Octavam Ascensionis sexta feria ad Matutinum Psalmi Graduales repetuntur. Invitatorium *Alleluja, Christum Dominum ascendentem*. Hymnus, Antiphonæ, Responsoria, Versiculi, & Psalmi, ut in Ascensione. Sex Lectiones leguntur cotidie *de Actibus Apostolorum*, ubi in Hebdomada post Octavas Paschæ dimissum est. Tres ultimæ de Homelia Ascensionis, & ubi una die dimittitur, altera ibi reincipiatur, donec tota Homelia finiatur. Cotidie in Ecclesia nostra usque ad Pentecosten novem Lectiones facimus, & Responsoria de Historia *Post Passionem Domini*, usque ad Octavam reiterantur. In Laudibus nihil mutetur de illo, quod dictum est in die Ascensionis. Ad Primam, Hymnus *Jam lucis orto sydere*, eo tono quo cantatur *Rex Christe Clementissime*. Antiph. *Cumque intuerentur*. Capitulum *Et convescens precepit eis*. ℟. *Christe fili*. *Qui scandis*. *Gloria Patri*. Oratio *Concede*, & sic cotidie dicimus Primam usque Pentecosten, sive sit festum, sive non, præter Antiphonam, quando est festum novem Lectionum, quæ de festo dicitur, & totum aliud dicitur de Ascensione. Missam autem de Ascensione cum *Gloria in Excelsis Deo*, cotidie cantamus, & unam tantum Orationem dicimus in Missa usque ad Octavam, nisi fiat Collecta de aliquo festo. *Credo in unum*, & Præfatio *Qui post Resurrectionem* cotidie dicuntur, nisi Missa de aliquo festo dicatur; tunc enim nec *Credo*, nec Præfatio de Ascensione dicetur. Per horas diei Antiphonæ de Laudibus dicuntur, & Hymni feriales eo tono, quo canitur *Rex Christe Clementissime*, & ad omnes Hymnos in fine jungitur. *Gloria tibi Domine*, *Qui scandis super sydera*. Responsoria, & Versiculi, & Oratio de Ascensione. Ad Vesperum Antiph. *Viri Galilai*. Psalm. *Dixit Dominus*. Antiph. *Cumque intuerentur*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Elevatis*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Exaltate*. Psalm. *Laudate pueri*. Antiph. *Videntibus illis*. Psalm. *Voce mea*, & sic cotidie usque ad finem Octavæ Ascensionis, semper ultimus Psalmus qui est de feria illius diei, omni die in Vesperis cum supradictis Psalmis dicatur. Ad Magnificat Antiph. *O Rex Gloriæ*: & hæc Antiphona cotidie dicitur ad Vesperum usque ad Octavam cum Organo. Postea dicitur Antiph. *Regina Cœli lætare, Alleluja, quia quem meruisti portare, Alleluja, jam ascendit, sicut dixit, Alleluja*. Oratio *Deus, qui salutis*, & sic usque ad Pentecosten.

De sexta Feria post Octavam Ascensionis. CCXXXVIII.

Feria sexta post Octavam Ascensionis, ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus, Antiphonę, Psalmi, Responsoria, & Versiculi, ut in die Octavæ Ascensionis. Sex Lectiones de Actibus Apostolorum, tres ultimę de Homelia illius diei Beati Augustini Episcopi *Manendo quippe*, de Evangelio Joannis *Si manseritis in me*. (a) Postea *Te Deum Laudamus*. Ad Laudes Antiphona de Ascensione. Capitulum de Dominica. Ad Benedictus Antiph. - - - - - - . Oratio de præcedenti Dominica, & Collecta *de Sancta Maria* per Antiphonam, & Orationem, ut prædictum est. Postea dicatur Missa de Dominica præcedenti cum *Gloria in Excelsis*: & Epistola de Dominica, & Evangelium *Si manseritis in me*. *Credo in unum*, & Præfatio *qui post Resurrectionem*. Item per horas diei dicentur Antiphonæ, Capitula, Responsoria, & Versiculi de Ascensione, & Oratio de Dominica. Deinde ad Vesperum Antiphonæ de Laudibus cum prædictis Psalmis, & ultimo Psalmo de ipsa feria. Ad Magnificat Antiph. *Manete in dilectione*.

De Officio Nocturnali, & Missa in mane Sabbato Pentecostes. CCXXXIX.

Sabbato in Vigilia Pentecostes, ad Matutinum Invitatorium *Alleluja Christum Dominum ascendentem*. Hymnus, Antiphonæ, Versiculi, Responsoria ut in Octava Ascensionis. Sex Lectiones *de Actibus Apostolorum*, & tres de Homelia Beati Augustini ex Evangelio *Si diligitis me*. In Laudibus Antiph. *Viri Galilæi*, & cæteræ. Ad Benedictus Antiph. *Rogabo Patrem*. Item ad Missam in mane dicitur Officium de Dominica *Exaudi Domine*, & dicitur *Gloria in Excelsis Deo*. Oratio de Dominica, & Epistola de Dominica, & Alleluja, Evangelium *Qui credit in me*, vel de Dominica *Cum venerit*, & *Credo in unum*. Præfatio *Qui post Resurrectionem*, Officium, & Communio de Dominica. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam Antiphonæ, Responsoria, Versiculi de Ascensione, & Oratio de Dominica, sed ante Baptismum cantabitur Nona, post Baptismum autem cantabitur Missa, ut positum est in Vigilia. Quando non dicunt Missam post Baptismum, sed tantum in mane, dicunt tunc ad Missam Officium de Dominica *Cum Gloria in Excelsis*, & Oratio, & Epistola de Dominica *Alleluja ascendit*, & *Alleluja dum venerit*, & Evangelium *Si diligitis me*, & *Credo*, & Præfatio *Qui post Resurrectionem*. Officium *Emitte*. Postcommunio *Ultimo festivitatis die*. Si autem festum novem Lectionum his duobus diebus fuerit, totum Officium fiat de festo in Matutino, & Missa, & horis diei, & non fiat Collecta de Ascensione, sed tantum *de Sancta Maria*, in Matutinis, & Vesperis. Ff 2 *Qua-*

(a) Tract. LXXXI. n. 3. extatque in Rom. Brev. III. Noct. *Martyr. Temp. Pasch.*

Quare in Sabbato Pentecostes tantum quatuor Lectiones leguntur ante Baptismum. CCXL.

JEjunium Sabbati Pentecostes terminus est continuę Paschalis festivitatis, & Baptismus nostræ salutis. In qua die universa eo modo complenda sunt, quo in Sabbato Resurrectionis, excepto quod tunc duodecim, modo quatuor tantum a nobis Lectiones leguntur. (a) Quatuor autem hodie Lectiones leguntur, quia quatuor Fidelium genera, scilicet simplices, intelligentes, provecti, & sapientes erudiuntur quatuor modis, scilicet per Historiam, Allegoriam, Tropologiam, & Anagogem. Lectiones autem Cantica subsecuntur in persona Cathecuminorum, quia Cathecumini futuri sunt de numero CLX quatuor millium, qui cantant canticum novum, vel quod potius quia exultant, quoniam ab Ægyptiorum oneribus liberantur, sed quia quandiu sumus in corpore, hæc exultatio debet esse in tremore, & laboriosa Carnis mortificatione, ideo cantus efferimus in tractus, qui sunt lugentium, & significant præsens exilium. Item prima Lectio *Tentavit;* & quia ab Abraham spiritualis generationis exordium sumpsimus, qui per obedientiam semini suo benedictionem promeruit, ideo post hanc sequitur Canticum, quia per fidem Abrahæ præparamur ad gaudium: quæ lectio bene congruit præsenti diei, quia in effusione Sancti Spiritus data est Gentibus benedictio, de qua Dominus ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, (b) & huic congruit Oratio *Deus, qui Abrahæ*. Secunda Lectio *Scripsit Moyses*, datam legem declarat, quæ hodie data est, & novam significat, quæ in cordibus Fidelium diffusa est. Unde Canticum sequitur, in quo æterna lætitia repromittitur. Tertia lectio *Apprehendent septem Mulieres*, & cætera, dona Spiritus Sancti prænuntiat, quæ bonis moribus quemlibet virum informant, unde Canticum sequitur: siquidem bonos mores gaudium comitatur. Quarta Lectio *Audi Israel* virtutes, quæ dona comitantur, insinuat, uti sapientiam, prudentiam, lumen, & pacem. Unde Canticum sequitur: quia pro his, & in his æternaliter gratulabimur. Prima resonat Historiam, secunda Allegoriam, tertia Tropologiam, quarta vero Anagogen. Et vide quod hoc interest inter Lectiones Paschales, & istas Pentecostales, quod distat inter Adam, & Abraham. Ibi recolitur humani generis periclitatio usque ad internicionem per inobedientiam Adæ, hic humani generis restitutio usque ad salvationem per obedientiam Abrahæ: in quibus omnibus Cathecumini sunt instruendi. Sed in omnibus tituli subticentur, quoniam auctores Scripturæ adhuc a Cathecuminis ignorantur.

De

(a) Roman. Ecclesia constanter sex Lectiones recitari jubet.
(b) Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18.

De Ordine Officii ante Baptismum, & de Baptismo in Sabbato Pentecostes.
CCXLI.

Consuetudo nostræ Ecclesiæ hac die talis est, quod ante horam nonam, post horam sextam Campana Sancti Ansani pulsatur per maximam moram, ut Clerici ad Officium Baptismi conveniant, & qui baptizandi fuerint, ad Baptismum. Postea hora congrua pulsatur ad Nonam, & interim, dum cantatur hora nona, Septimanarius induitur vestimentis albis, & desuper Pluviali, & cantata hora nona, idem Sacerdos super Altare Beatæ Mariæ Virginis incipit hanc Orationem, sine *Dominus vobiscum*, dicens. *Oremus*. *Da nobis quæsumus Domine*, & eodem modo dicantur omnes sequentes Orationes. Postea dicto *per omnia sæcula sæculorum*, & responso *Amen*, legitur Lectio in Choro, & Lector non pronuntians aliquem titulum, incipit hoc modo *Tentavit Deus*, & sic omnes aliæ Lectiones leguntur sine titulo. Deinde cantatur Tractus *Cantemus Domino*. Item Oratio *Deus, qui in Abrahæ*. Secunda Lectio *Scripsit Moyses*. Tractus *Vinea*. Oratio *Omnipotens*. Tertia Lectio *Apprehendent*. Tractus *Ad tende*. Oratio *Deus qui in primis*. Quarta Lectio *Audi Israel*. Tractus *Sicut Cervus*. Oratio *Deus, qui nobis per*. His omnibus peractis, statim Sacerdos septimanarius, vel Archipresbyter, qui debet celebrare Baptismum, induit deteriores vestes cum Pluviali, & Custos præparat omnia necessaria ad Baptismum, scilicet Oleum, Chrisma, & Librum Officiorum, & sic cum Vexillis, Crucibus, & Cereis accensis, statim vadunt ad fontes, & in eundo cantant Versus *Rex Sanctorum Angelorum* (a). Cum autem fuerint circa fontes, faciant primo loco Litaniam septenam, deinde quinam, postea trinam, semper in qualibet vice incipientes facere divisionem in Litaniis *a Sancta Maria* (b). Finitis omnibus Litaniis, statim benedicantur fontes secundum ordinem qui continetur in Libro, & alius Cereus magnus, qui remansit in Sabbato Paschali, hodie in fontibus deponatur. Post benedictionem fontis, ante immixtionem Olei, vel Chrismatis statim Custos extrahit de aqua fontis cum urceo quodam, & ipsam postea mittit in concha Ecclesię, & habet eam ad aspersionem Populi usque ad Octavam, & ad Processionem similiter; pueri etiam Clericorum, qui sunt præsentes, similiter de aqua in suis vasis extrahunt quamcumque volunt, & tunc Sacerdos aspergit Clerum, & Populum cum aspersorio de ipsa aqua. Postea inmisso Oleo, & Chrismate in aqua fontis, Archipresbyter vel septimanarius Sacerdos baptizat omnes Infantes, qui fuerint baptizandi.

Qua-

(a) Hunc habes adnot. (a) ad Caput CLXXVII. cum recole.
(b) Recole tradita adnot. (b) ad idem Caput.

Quare fiat Baptisma in Sabbato Pentecostes. CCXLII.

(a) QUa vero ratione Baptismus in Pentecoste, sicut in Pascha fiat, Sanctus Leo Episcopis per Siciliam constitutis scribit dicens: (b) *Additur sane huic observantiæ & (c) Pentecostes ex adventu Spiritus Sancti sacrata solemnitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo, & cum ad alios dies alia festa pertineant, hac semper ad eumdem, qui Resurrectionis Domini est, in singulis occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, & eos, quos a die Paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, invitans, ut ne (d) quibuslibet necessitatibus impediti desiderii sui effectum. dono Spiritus Sancti consequantur. Ipse enim Unigenitus Dei in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter se, & Spiritum Sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura, dicens:* Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum (e) dabit vobis, ut (f) maneat vobiscum, Spiritum veritatis, *& iterum* Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcumque dixero (g) vobis: *& iterum*, cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. *Cum utique (h) veritas Christus sit, & Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis sit, (i) nomenque Paracliti utrique sit proprium, non dissimile est festum, ubi (k) idem est Sacramentum.* Hæc S. Leo. Fit etiam hodie Baptismus solemnis, quia Beatus Petrus tria millia hominum baptizavit, ut legitur in Actibus Apostolorum (l): & quia baptizati generatio, propria est Spiritus Sancti operatio. Vel quia sicut hodie descendit in Apostolos, quem descensum Dominus appellavit Baptismum dicens: *(m) Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*, sic in Baptismate descendit, licet invisibiliter in baptizatos. Ideoque hoc Sacramentum ad diem Dominicum, & horam Tertiam pertinet, sed in Sabbato ponitur propter Mortem Christi, vel quia nanciscimur requiem per hoc Sacramentum.

De

(a) Consule Durand. VI. 106. [b] Recole quæ ad Cap. CXIX. tradidi. Quæ hic allegantur habes Cap. III. Epistolæ XVI., aliàs 4.
(c) In edit. Quesnel. *etiam*.
(d) In edit. Quesn. deest *ne*; quod tamen hic aptissime videtur positum.
[e] Quesn. constanter *Paracletum*. (f) *Vobiscum sit Spiritus* Quesn.
(g) *Dixi* Quesn. (h) *Itaque* Quesn. (i) Deest *sit* in edit. Quesn.
(k) *Unum* Quesn. (l) Act. Apost. II. 41. [m] Ibid. I. 5.

De celebratione Missæ post Baptismum in Sabbato Pentecostes. CCXLIII.

OMnibus baptizatis, Sacerdos exuit vestes, cum quibus baptizavit, & in (a) Plebe induitur candidis vestibus, & desuper rubeá Planeta, & cum Diacono, & Subdiacono indutis Dalmatica, & Tunica, ordinata Processione a Cantore, idem Archipresbyter vel Episcopus in Choro plebis incipit Litanias, & sic dicendo, præcedentibus Vexillis, & Cereis accensis, cum Litaniis brevibus redeunt in Chorum majoris Ecclesiæ, & statim Cantor cum Organo solemniter canit *Kyrie eleison*. *Lux, & origo*, & interim Sacerdos cum Diacono, & Subdiacono vadit ad Altare, & dicto *Introibo*, & Confessione more solito facta, & *Kyrie eleison* cantato, incipit *Gloria in Excelsis Deo*. Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus*. Epistola *Factum est cum Apollo*. *Alleluja Confitemini*, & Tractus *Laudate*. Evangelium *Si diligitis me*, & ante Evangelium portetur lumen, & incensum. Officium *Emitte spiritum Credo in unum*: postea non est omittendum, quia cum hoc Symbolum derivatum sit a Symbolo Apostolorum, fidem quam habebant, insinuat. Item Præfatio *Qui ascendens super omnes Cælos*, & cotidie dicitur usque ad Octavam Pentecostes. Commun. *Ultimo festivitatis die*, & sic *Missa* cum *Ite Missa est* finiatur. Notandum autem, quod in hoc Sabbato, & in Sabbato Resurrectionis secundum antiquos Missa inchoatur per *Kyrie*, quia non adhuc erant Introitus facti, vel ut de renatis Ecclesię lætitia declaretur, de quibus, quia gaudent Angeli, *Gloria in Excelsis* subjungitur, vel quoniam Apostoli erant laudantes, & benedicentes Deum, priusquam susceperunt Spiritum Sanctum. Cantatur postea Alleluja in memoriam innocentiæ primitivæ; quia tamen non fuit sempiterna, in tractum convertitur, qui laborem significat, quem Neophyti habituri sunt in præsenti vita.

De

[a] Inter eas significationes, quas vox *Plebs*, seu *Plebes* excipit, ea fortasse hic præstat, quæ eam Ecclesiæ partem, in qua Baptismus conferebatur, quæque *Baptisterium*, seu Ecclesia vel *ædes Baptismalis* appellari consueverat, indicat. An mea conjectura probabilis sit, Senenses dijudicabunt. Videtur sane hic accipi vox *Plebs* ad denotandam Sacram Ædem Cathedrali proximam, & illius veluti appendicem quandam.

De Benedictione Mensæ in Vigilia Pentecostes. CCXLIV.

EXpleta Missa post Baptismum, Canonici revertuntur in Claustrum; & sonato Cymbalo, vadunt cęnatum, & primo loco ad Benedictionem Mensæ dicitur ℣. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, Alleluja: Et hoc quod continet. Gloria Patri. Kyrie eleison. Pater noster*, & cætera, & legatur de Homelia ipsius diei. Cum autem surrexerint Fratres a mensa dicant. ℣. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, Alleluja: & cœperunt loqui. Gloria Patri. Agimus tibi Deus gratias*, & cætera. Postea Psalm. *Magnus Dominus*, & cum eo vadunt in Ecclesiam. Finito Psalmo cum *Gloria Patri*, dicunt *Kyrie eleison. Pater noster, & ne nos.* ℣. *Loquebantur variis linguis Apostoli, Alleluja.* ℣. *Spiritus Paraclitus, Alleluja. Dominus vobiscum.* Oratio *Deus qui hodierna. Benedicamus Domino. Benedicat nos qui creavit*, & cætera, & sic usque Octavam mane, & sero consuevimus benedicere mensam; sed a secunda feria in antea post comestionem more solito dicimus *De profundis*, & in mane similiter post solutionem Capituli.

De Vespero, & Completorio in Vigilia Pentecostes. CCXLV.

AD Vesperum Antiphonæ super Psalmos *Viri Galilæi*, & cæterę. Psalmi *Dixit Dominus. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. Lauda Hierusalem*, & cum singulis Antiphonis de Laudibus dicantur. Si autem in hoc Sabbato festum novem Lectionum occurreret, de quo per totum diem Officium fecissemus, tunc Antiphonæ & Psalmi dicerentur tantum de festo, sed post Capitulum nulla fieret commemoratio de ipso festo, semper autem singulæ Antiphonæ ante Psalmum, & post totæ dicantur. Item Capitulum *Dum complerentur.* ℟. *Repleti sunt.* Hymnus *Veni Creator*, & cantatur alta voce sine Organo: & ibidem qui Responsoria cantaverunt, Hymnum incipiunt, & dicunt totum primum Versum ℣. *Spiritus Domini.* Ad Magnificat Antiph. *Veni Sancte Spiritus*, quæ ante Psalmum cum Organo, & post similiter, & finitur cum Neumate. Oratio *Deus qui hodierna die corda*, & *Benedicamus Domino Alleluja* cum Organo, & si præsens fuerit Episcopus, statim qui cantaverunt *Benedicamus Domino* vadunt ad manum ipsius, & sic finitis Vesperis, idem Episcopus solvit Capitulum dicens Fratribus *Benedicite*, & ℟. *Dominus (a)*. Ad Completorium Antiph. *Non vos relinquam orphanos.* Psalm. *Cum invocarem* cum aliis

(a) Idest *Dominus nos benedicat, ab omni malo defendat &c.*

aliis Hymnus *Per te sciamus*. *Gloria Patri Domino*. Capitulum *Et factus est repente*. R. *Spiritus Paraclitus*, *Alleluja*, *Alleluja*. *Docebit vos omnia Alleluja*, *Alleluja*. *Gloria Patri*. ℣. *Loquebantur variis linguis*. Antiph. *Veni Sancte Spiritus*, *reple*. Psalm. *Nunc dimittis*. Oratio *Deus qui hodierna*. Hunc ordinem in Completoriis usque ad Octavam conservamus.

De Nocturnali Officio in die Sancto Pentecostes. CCXLVI.

Die Sacratissimo Pentecostes eadem diligentia, & devotione fiant universa, sicut in Pascha, & ad suscipiendam Sancti Spiritus gratiam omni devotionis studio, cunctorum mentes, & corda præparentur. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluja*, *Spiritus Domini*, & totum cum Organo, & dicto *Venite*, iidem qui cantaverunt illud, incipiunt Hymnum *Veni Creator*, & dicto primo Versu vadunt ad manum Episcopi, si fuerit præsens. Item Antiph *Factus est*. Psalm. *Magnus Dominus*, & singulæ Antiphonæ totæ, & æquali voce finiantur ante Psalmos, & post. Antiph. *Confirma hoc Deus*. Psalm. *Exurgat Deus*. Antiph. *Emitte Spiritum*. Psalm. *Benedic anima*. II ℣. *Spiritus Domini*. Lectiones de Homelia ex Evangelio *Si quis diligit me*, & leguntur hac die super majus Pulpitum, & ad primam Lectionem Altaria incensantur, & datur Clero, & Populo incensum: & Cerei accensi ante Episcopum, vel Sacerdotem qui facit incensum, deportantur. ℞. de Historia *Dum complerentur*, & ad quodlibet ℞. dicitur *Gloria Patri*, & in primis duobus Responsoriis tantum versus cantantur cum Organo. III R. *Jam non dicam* totum cum Organo. *Te Deum Laudamus* solemniter cantetur. ℣. *Loquebantur*. In Laudibus Antiph. *Dum complerentur*, & cæteræ. Capitulum *In diebus illis*, *cum complerentur dies*. Hymnus *Per te sciamus da Patrem*. ℣. *Repleti sunt omnes*. Ad Benedictus Antiph. *Accipite Spiritum Sanctum*. Oratio *Deus*, *qui hodierna die corda*. *Et Benedicamus Domino*, *Alleluja*, cum Organo. Ad Primam Hymnus *Per te sciamus*. Antiph. *Spiritus Domini*. Capitulum *Et factus est repente de Cœlo sonus*. ℞. *Christe Fili Dei vivi Miserere nobis*, *Alleluja*, *Alleluja*. *Qui sedes ad dexteram Patris*, *Miserere nobis*, *Alleluja*. *Gloria Patri*. ℣. *Loquebantur*. Oratio *Adsit nobis quæsumus Domine*: & nota quod hoc Capitulum, Responsoria, Versiculi, & Oratio per totam Hebdomadam non mutantur ad Primam, sive sit festum, sive non. Item in Capitulo, ætate lunæ præmissa, dicuntur ℣. de Pentecoste, hac die, & secunda feria similiter, & non dicitur *De profundis*.

De Missa Matutinali, & Processione, & Missa Majori. CCXLVII.

POstea, hora congrua dicitur Matutinalis Missa populo, in qua Sacerdos solemnibus vestibus induatnr, & ut devotius celebrari possit, tempestivius incipiatur. Similiter hac die tot hostiæ consecrantur, quot communicandis sufficere videantur; debent enim omnes hodie communicare, & advenienti Spiritui Sancto, secretum corde dignum habitaculum præparare, ut in illius præsentia, carnalium cogitationum motus sedentur, tumultusque vitiorum, & ex amoris illius dulcedine suavitas compunctionis in mente generetur. In hac etiam Missa, propter præsentis diei celebritatem compendiosa, & utilis ammonitio ad Populum habeatur de Officio Processionis, & qualiter venire debeant ad communicandum, & quod qualibet occasione hodiernum Officium non dimittatur. Postea fiat Confessio more consueto. Finita Missa, Presbyter, qui hanc cantavit, Populum communicet, Fratribus eum coadjuvantibus, prout viderint expedire. Interim autem non multum differatur pulsari ad Processionem, & ad Missam Majorem: in quibus hac die talis adtenditur Ecclesiæ nostræ consuetudo. Episcopus, si fuerit præsens, cum Canonicis, & Clero totius Civitatis convenit in Ecclesia Sancti Jacobi, & ibi cum Diacono, & Subdiacono præparat se ad Missam cantandam. Cum autem parati fuerint, & Processio fuerit ordinata, statim Cantor alta voce incipiat Antiph. *Alleluja, Alleluja, Hodie omnes Apostoli*, & cum ea omnes eant ad Processionem. Cum autem venerint ante januas Ecclesiæ majoris, in platea fit Chorus a Clericis, his qui portant Crucem, & Cereos prope paratos cum Episcopo remanentibus, & tunc Cantor vadens cum duobus in januis Ecclesiæ dicit *Salve festa dies*, & cætera, ut in die Resurrectionis. Deinde per tria intervalla paullatim Chorus ad ipsos accedit. In ingressu Ecclesiæ incipit Episcopus Antiph. *Veni Sancte Spiritus*, quæ canitur cum Organo, & finitur cum Neumate. Si autem Episcopus non fuerit præsens, Archipresbyter cum Diacono, & Subdiacono sacris vestibus induuntur post Altare Beatæ Virginis, vel in Secretario, & in Choro Cantor incipit Antiph. *Alleluja*, & sic inde procedunt ad Processionem sub Ecclesia Sancti Jacobi, usque in plateam majoris Ecclesiæ, & post fiat, ut dictum est: & tunc Archipresbyter incipit Antiphonam ad introitum Ecclesiæ. (a) Cum autem omnes fuerint in Chorum reversi, statim incipitur

(a) En quæ ex Libello Processionali, ab humanissimo Abbate Josepho Ciaccheri hac de re ad me misso:

In die Pentecostes ad Processionem de Ecclesia *S. Jacobi &c.*

Antiph. cum Organo.

Alleluja, Alleluja, hodie omnes Apostoli pariter in unum congregati erant, Alleluja, Al-

cipitur Tertia, ad quam dicitur Hymnus *Per te sciamus*. Antiph. *Repleti sunt omnes*. Capitulum *Et apparuerunt illis dispertita*. ℟. *Spiritus Domini replevit*. ℣. *Loquebantur*. Oratio *Deus, qui hodierna die*. Postea Cantor in Choro incipit *Trophum* cum Organo, & Chorus Officium *Spiritus Domini replevit*. ℣. *Exurgat*, & *Kyrie* cantemus cum Organo, *Gloria in Excelsis Deo*. Oratio *Deus, qui hodierna*. Lectio *Cum complerentur*. Alleluja *Emitte Spiritum* canitur in Choro a duobus æquali voce. Postea Cantor ascendit majus Pulpitum cum tribus, & ibi cum Organo cantant *Alleluja*. *Veni Sancte Spiritus*, & Sequentia *Sancti Spiritus adsit nobis*, & post duos versus Ministri, qui sunt ad Altare cum Episcopo, vel Archi-

 pres-

Alleluja, & subito factus est sonus de Cœlo tamquam advenientis Spiritus vehementis, Alleluja, & apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum Spiritus Sanctus, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Cum autem venerint ante Ecclesiam, facto Choro, ut in die Resurrectionis Cantor cum duobus in januis Ecclesiæ super gradum dicit *Salve festa dies*, & respondetur a Choro tribus vicibus, ut moris est. Deinde cum Antiphona *Veni Sancte Spiritus* Organizantes revertuntur in Choro.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum multarum, Gentes in unitate Fidei congregasti, Alleluja, Alleluja. Evovę.

Adiicitur Sequentia, quam Durandus lib. IV. cap. 22. n. 2. tribuit Hermanno Contracto, quæ quidem Sequentia, tametsi veteribus notissima esset, adeo ut Egregius Dominicus Georgius tres codices alleget, in quibus eam invenerit (*de Liturgia Rom. Pontif.* diss. IV. *de prosis, & sequentiis* pag. CCXXVII) quia tamen typis edita perrara ea est, *ex Processionali Libello* Ecclesiæ Senensis hac in parte ab Egregio Abbate Joseph Ciaccheri transcripto, & ad me misso, & ex vetusto Missali Sacri Ordinis Hierosolymitani an. 1553. edito eam integram refero.

Sancti Spiritus adsit nobis gratia,
Quæ corda nostra sibi faciat habitacula.
Expulsis inde cunctis vitiis spiritalibus,
Spiritus alme illustrator omnium.
Horridas nostræ mentis purga tenebras.
Amator sancte sensatorum semper cogitatuum,
Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.
Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,
Purifica nostri oculum interioris hominis,
Ut videri supremus Genitor possit a nobis,
Mundi cordis quem soli cernere possunt oculi.
Prophetas tu inspirasti, ut præconia Christi præcinuissent inclyta.
Apostolos confortasti, uti trophæum Christi per totum Mundum veherent,
Quando Machinam per Verbum suum fecit Deus Cœli, Terræ, Marisque.

Tu

presbytero semper reiterant primum versum *Sancti Spiritus*, & cum Organo. Finita Sequentia, & repetito *Alleluja*, cantant Antiph. *Veni Sancte Spiritus*, & tunc Diaconus cum Episcopo, & aliis, vadit ad legendum Evangelium *Si quis diligit me*; quo lecto Episcopus, vel Archipresbyter facit sermonem ad Populum, & Diaconus Confessionem, & facta indulgentia, & data Benedictione revertuntur ad Altare, & dicitur *Credo in unum*. Prefatio *Qui ascendens super*. Deinde *Sanctus*, *Sanctus*, & *Agnus Dei* cum Organo festive cantent, & sic Missa cum *Ite Missa est* solemniter finita, statim dicatur Sexta, & dicitur Hymnus *Per te sciamus*. Antiph. *Fontes*, *& omnia*. Capitulum *Facta autem hac voce*. ℟. *Loquebantur*. ℣. *Repleti sunt*. Postea Ministri Altaris, & Cantor vadunt cum Episcopo, si Missam celebravit, ad Mensam ipsius, & benedicitur Mensa, ut supra dictum est in Vigilia. Item ad Nonam Hymnus *Per te sciamus*. Antiph. *Loquebantur*. Capitulum *Hæc dicit Dominus*. *Effundam de Spiritu meo*. ℟. *Repleti sunt*. ℣. *Spiritus Paraclitus*, *Alleluja*.

Unde Pentecostes dicatur, & quare celebretur a nobis. CCXLVIII.

Notandum, quod Filii Israel celebrabant Pentecosten, scilicet diem qua legem susceperunt. Nos autem ideo celebramus, quia tunc Spiritum Sanctum accepimus, & illi quidem legem accepere carnalem in lapideis tabulis ad significandam duritiam populi, nos autem intelligentiam spiritualem scriptam in cordibus hominum digito Dei, idest Spiritu Sancto, & dicitur Pentecostes (Quinquagesima): sed est Quinquagesima dierum triplex: Una ab *Esto mihi Domine* (a) usque ad Pascha, secunda est ad Pascha usque ad Pentecosten, tertia est a Sabbato in Albis usque ad Sabbatum post Pentecosten. Prima est Pœnitentiæ, & afflictionis.

Tu super aquas foturus eas, numen tuum extendisti Spiritus.
Tu animabus vivificandis aquas fœcundas.
Tu aspirando das spiritales esse homines.
Tu divisum per linguas Mundum, & ritus adunasti, Domine.
Idolatras ad cultum Dei revocas, Magistrorum optime.
Ergo nos supplicantes tibi exaudi, propitius Sancte Spiritus.
Sine quo preces omnes cassa creduntur, & indigna Dei auribus.
Tu qui omnium sæculorum Sanctos
Tui numinis docuisti instinctu amplectendo Spiritus,
Ipse hodie Apostolos Christi, donans munere insolito,
Et cunctis inaudito sæculis
Hunc diem gloriosum fecisti.

[a] Respicere videtur ad Introitum Dominicæ in *Quinquagesima* qui incipit ad hunc modum *Esto mihi in Deum protectorem*; quibus verbis antiquitus, nisi fallimur, interponebant vocem *Domine* ad hunc scilicet modum; *Esto mihi, Domine, in Deum protectorem*.

nis. Secunda est lętitiæ, & exultationis. Tertia est gloriæ, & glorificationis, figurat enim octavam duplicis stolæ, ideoque per illam duplicatur *Alleluja*, solus vero quinquagesimus dies a Pascha usitato vocabulo *Pentecostes* nominatur. Dicitur autem Pentecostes a Pente, quod est quinque, & coste, quod est decem, idest quinquagesimus dies a Pascha usque nunc, quia qui per quinque sensus in vinea Domini laborabunt, hi Spiritu Dei replebuntur, & in futuro merebuntur accipere denarium retributionis æternæ: & surgit hic numerus ex septenario in se ducto, superaddita unitate, septem enim Hebdomadæ sunt a Pascha usque ad hanc diem, tum quia in hac die septiformis gratia datur, tum quia meritis gratiæ septiformis per septenarium hujus vitæ, ad illam unam pervenerunt, de qua dicitur: *Unam petii a Domino, hanc requiram.* (*a*) Septem namque millibus annorum expletis, (*) per septiformem Sanctum Spiritum ad idem gaudium perveniemus. Et nota quod sicut Judæi ex legis præcepto in Pascha offerebant Manipulos spicarum, (*b*) sic in Pentecoste duos panes primitiarum. (*c*) Nos igitur ab eo die, quo Dominus resurrexit, & Corpus suum quasi novarum frugum manipulum sanctificavit, diem quinquagesimum observemus, in quo Spiritum Sanctum accipimus, & duos panes offeramus, gratias agentes pro lege tunc in lapidibus data, & pro gratia in cordibus nostris diffusa. Solemnizemus post septem Hebdomadas die quinquagesimo Jubilæum repræsentantes (*d*), ut post circulum hujus vitæ ad annum æternitatis pervenire possimus. In hac die tres ponuntur Antiphonæ, & tres Psalmi. Sed inter istos, & illos, qui dicti fuerunt in Pascha hoc interest, quod inter Baptismum quod Apostoli prius habuerunt, & illud quod acceperunt per Spiritum Sanctum in die Pentecostes, de quo Dominus (*e*) *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Jam autem baptizati erant aqua, & jam acceperant Spiritum Sanctum, & tamen dicitur eis. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*: Et paulo post (*f*) credimus Petrum jam fuisse baptizatum, quando negavit Dominum, similiter & Thomam, quando dubitavit de Domini resurrectione. Tres Psalmi in Nocturno recolunt Sepulturam Domini triduanam, præcipue in nuper baptizatis: hoc fit per septem dies propter Sacramentum præsentis vitæ, & septenum diem, quem animæ Sanctorum recipiunt, & propter septiformem Spiritum, vel quia propter septem dona Spiritus Sancti, corporibus, & animabus plena gaudia conferentur.

Qua-

[*a*] Psal. XXVI. 4. [*] Id incompertum est prorsus. Consule Serry [Exer. XI. n. VI.] & Theologos alios. (*b*) Levit. XXIII. 10.
[*c*] Ibidem 16. 17. (*d*) Levit. XXV. 10. & seq.
[*e*] Actor. I. 5. (*f*) Aliquid hic, procul dubio, deest.

Quare in Vesperis ad Fontes fiat Processio, & Tres cotidie Lectiones legantur. CCIL.

IN his septem diebus tres cotidie Lectiones leguntur, ut septem Fratres, tres procurent Sorores, septem dona, tres virtutes, Fidem, Spem, & Charitatem, ut Gregorius prosequitur in moralibus: (*a*) habita enim consideratione baptismi, quem uniformiter juxta Beatum Siricium Papam Sanctum Pascha cum Sancto Pentecosten generali Privilegio sibi vendicat (*b*), propter Neophytos per septem dies utriusque festivitatis, Paschæ scilicet, ac Pentecostes in Ecclesia præsentandos, & mane ad Officium, & ad Missarum solemnia, quia eorum in fractione specialiter memoria agitur, cum dicitur: *hanc igitur oblationem quam tibi offerimus, pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem peccatorum*, & ad Vesperas ad Processionem fontis deducendos: hac quidem ratione Beatus Gregorius Doctor, (*c*) utriusque Dominicæ Paschæ, ac Pentecostes, & per sex subsequentes dies ad trium Psalmorum, & trium Lectionum totidemque Responsoriorum brevitatem, Matutinum redegit Officium.

De

[*a*] Gregorius in Caput XLII. Job [lib. XXXV. cap. VIII. in vetusta divisione V. In edit. Patr. S. Mauri n. 15.) copiose agit de septiformis gratiæ collatione, & muneribus; sed nonnihil aliter, atque in nostro Ordine habeatur. Rursus de eodem argumento disserit Homil. II. *in Ezechiel*: n. 7. (ad verba Ezechielis: *septem vero graduum erat ascensus ejus, & vestibulum ante eam.*) Sed hic quoque nonnihil aliter septem Spiritus Sancti, dona explicat ac noster Scriptor. Eum consulas, opto. Amalarius lib. IV. cap. 23. *Unusquisque Christianus Spiritum Sanctum debet colere fide, spe, & charitate. Has tres Sorores habet unumquodque donum Spiritus Sancti; & omnium septem sunt tres hæ sorores, & singulorum &c.*

(*b*) Perquisivi in Siricii Epistolis id quod de pari Paschatis, & Pentecostes privilegio, solemnis scilicet collationis baptismatis hic traditur; & minime inveni; sed hæc tantum (Epistol. X. seu Canonibus ad Gallos Epistol. cap. 4. aliàs n. 10. colum. 692. Epistol. Roman. Pontif. edente Cl. Petro Coustant;) *Pascha tempore Presbyter, & Diaconus per Parœcia dare remissionem peccatorum, & ministerium implere consueveeunt, etiam præsente Episcopo: in fontem quoque ipsi descendunt.* Aut itaque olim in Siricii Epistola legebatur *Pascha, & Pentecostes tempore*, cum nunc legatur tantummodo *Pascha tempore*, ablata scilicet aut temporis injuria, aut certe amanuensis negligentiâ voce Pentecostes: aut Paschæ vocabulo utramque solemnitatem indicavit Siricius: jam dudum enim Paschæ vocabulo etiam Pentecostes comprehensa est.

[*c*] Num Gregorius Magnus (etenim Gregorius Magnus *Doctoris* nomine hic indica.

De Officio Vesperi in die Pentecostes. CCL.

AD Vesperum super Psalmos Antiph. *Dum complerentur*. Psalm. *Dixit Dominus*, Antiph. *Spiritus Domini*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Repleti sunt*. Psalm. *Beatus vir*. Capitulum *Cum complerentur*. Hymnus *Veni Creator*. ℣. *Repleti sunt omnes*. Ad Magnificat Antiph. *Hodie completi sunt*, quæ primo canitur æqualiter, & post cum Organo. Oratio *Deus, qui hodierna*, usque *per omnia sæcula sæculorum*. Postquam responsum fuerit *Amen*, statim Fratres vadunt ad Fontes cantando Antiph. *Alleluja, Alleluja. Hodie omnes Apostoli*, & æquali voce tantum. Cum vero fuerint circa Fontes, dicit Cantor Antiph. *Fontes*, *&* *omnia*, & sub ea dicuntur Psalmi *Laudate pueri*, & *In exitu*. ℣. *Quoniam apud te est fons vitæ Alleluja*, & Oratio pro renatis. In reversione Cantor incipit Antiphonam, *Veni Sancte Spiritus*, quæ canitur cum Organo, & finitur cum Neumate, & cum ea redeunt in Chorum, postea dicitur Antiph. *Filiæ Hierusalem*. ℣. *Sancti tui Domine*. Oratio de Sancto Justo, & Clemente *Adsit nobis, Domine, quæsumus Sanctorum*, qua finita cantatur *Benedicamus Domino Alleluja*, cum Organo. Si vero aliud Festum die Pentecostes occurreret, eadem die in Vesperis post Orationem de Sancto Justo, & Clemente, de ipso fieret Collecta per Antiphonam, & Orationem, et in sequenti die similiter. Alii autem Clerici, qui non vadunt ad Fontes, super quinque prædictos

---

dicatur) prior omnium jusserit, tres tantum Psalmos, totidemque Lectiones, ac Responsoria in Paschate, ac Pentecoste recitari, dissentiunt Critici. Plerique putant id necessitate in Cathedrales Ecclesias fuisse introductum, cum enim Episcopi, & Clerus longa Psalmorum, Lectionumque, & solemni Baptismatis collatione valde fatigati essent, nec tempus, nec virium defectio sineret, ut diu adhuc in Psalmorum, Lectionumque recitatione immorarentur, tribus Psalmis, & totidem Lectionibus, ideoque Responsoriis, Officium Matutinale concludi jusserunt, quibus tamen consuetas Matutinas Laudes adjici voluerunt; A Cathedralibus porro in alias Ecclesias, quæ Cathedralis exempla plerumque sequebantur, mos hic emanavit. Indubitatum est sane vetustissimum fuisse morem hunc, idque non paucis argumentis novimus, sed hic tantummodo Radulphum Tungrensem *de observatione canonum* propositione X., allegare libet. Hæc scilicet tradit: *In die Resurrectionis usque in Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes, usque in Sabbatum ejusdem tres Psalmos tantum Nocturnos, tresque Lectiones antiquo more cantamus, & legimus. Omnibus diebus aliis per totum annum, si festivitas est, novem Psalmos: & novem Lectiones dicimus . . . . In Dominicis diebus octodecim Psalmos, excepto die Pascha, & Pentecostes, & novem Lectiones dicimus.* Hoc de argumento consule quæ tradit Martene disserens *de Antiq. Eccles. Ritibus* lib. IV. cap. XXVI. n. VIII. [col. 512. Tomi III. edit. Antuerp. seu potius Mediolan.]

ctos Psalmos in Vesperis dicunt omnes Antiphonas de Laudibus, & alia more consueto. Nos etiam non imus ad Fontes, nisi hodie (die Pentecostes) & in sequenti Sabbato, & tunc aqua per suum cursum emittetur (a).

De Ordine Officii in Hebdomada Pentecostes. CCLI.

IN Hebdomada Pentecostes totum fit, sicut diximus in Hebdomada Paschæ, sicut enim Spiritus Sanctus Patri, Filioque in omnibus coæqualis est, ita & festivitas utriusque ab his qui recte sapiunt, pari studio celebranda est. Quidquid enim Sancta Creatrix Trinitas misericorditer egit per Personam Christi ad salutem generis humani, ad effectum perduxit, & confirmavit per Adventum Spiritus Sancti. Ad Matutinum non dicuntur Psalmi Graduales usque Octavam. Invitatorium ipsum, quod in die Pentecostes per totam Hebdomadam cantatur cum Organo in nostra Ecclesia: totum autem Matutinale Officium similiter agitur in tribus eisdem Antiphonis, & Psalmis, & Versiculis, ut in die Pentecostes, & tribus Lectionibus, & tribus Responsoriis. Unde Gregorius Papa VII. in Generali Synodo residens dixit: (b) *In die Resurrectionis usque in Sabbato in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbato ejusdem Hebdomadæ, tres Psalmos tantum ad Nocturnum, & tres Lectiones antiquo more cantamus, & legimus.* Leguntur autem singulis diebus hujus Hebdomadæ singulæ Homeliæ de Evangelio uniuscujusque diei, vel de Sermonibus, si Homeliæ authenticæ non habentur. Authenticas autem dicimus, quas Romanos Pontifices edidisse non dubitamus, vel Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Joannem Chrysostomum, vel omnium eorum Homelias, quorum opuscula in Decretis suis Papa Gelasius nominatim exprimit, & Ecclesia recipienda decrevit. Bedæ autem dictata, vel Aimonis, vel aliorum quæ Romana Decreta non nominant, pro utilitate quidem doctrinæ legenda recipimus, sed in Ecclesia non recitamus. ℟. feriatim cantentur, illa quæ remanserunt de Historia Pentecostes, singulis diebus per totam Hebdomadam, et cum fuerint expleta, reditur ad secundum ℟. ipsius Historiæ, et duo prima Responsoria per Hebdomadam cantantur æquali voce, et tertium ℟. totum cum Organo. *Te Deum laudamus* cotidie dicimus, sed sine Organo. In Laudibus Antiphonæ omnes cum Psalmis, ut in Pentecoste. Capitulum *Dum complerentur*. Hymnus *Per te sciamus*. Ad Benedictus singulis diebus propriæ habentur Antiphonæ, et Orationes. De Sancta Maria non fit commemoratio, vel aliquod Officium usque in secundam feriam post Octavam. Et si aliquid Festum trium, vel novem Lectio-

---

(a) Vide, obsecro, quæ de hoc ritu docet Vicecomes [*de Baptis.* lib. I. cap. 16. pag. 92. edit. Paris. *Fateri tamen oportet &c.*

(b) Vide quæ diximus ad Cap. CXCIII.

ctionum in hac Hebdomada venerit; de ipso facimus tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem in Vesperis, & Matutino: & in Missa de ipso dicitur Oratio tantum. Ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam Hymni feriales per totam Hebdomadam cantantur in tono, quo canitur *Per te sciamus*, & semper in fine ad omnes Hymnos jungitur *Gloria Patri Domino*, *Natoque qui a Mortuis*, & Antiphonæ per omnes horas de Laudibus. Ad Missam cotidie habetur proprium Officium, Oratio, & Epistola, & Evangelium; & cotidie per hanc Hebdomadam ad Missam *Gloria in Excelsis*, & duo Alleluja, primum Alleluja *Emitte*, secundum Alleluja, quod est in feria, & *Credo*, & Prefatio *Qui ascendens*, & *Ite Missa est* dicuntur, tum ut saluti baptizatorum congaudeamus, tum ut futuræ lætitiæ plenitudinem figuremus. Ad Vesperum omnes Antiphonas de Laudibus dicimus, cum singulis Psalmis Dominicalibus. Capitulum, Hymnus, & Versiculi, ad Matutinum, & Vesperum, per totam Hebdomadam, sicut in die Pentecostes. Ad Magnificat Antiph. *Veni Sancte Spiritus:* & cotidie post Psalmos cantatur cum Organo per totam Hebdomadam. Item ad Vesperum, & Matutinum per hanc Hebdomadam cotidie pulsatur sicut in Dominicis diebus. Completorium dicitur cotidie, ut supra positum est in Vigilia, nec in eo dicitur *Kyrie eleison*, per totam hanc Hebdomadam.

De Feria secunda, tertia, & quarta Hebdomadæ prima post Pentecostes. CCLII.

Feria secunda in Hebdomada Pentecostes ad Benedictus Antiphona *Sic Deus dilexit Mundum*. Oratio *Deus qui Apostolis tuis*. Postea Antiph. *Filiæ Hierusalem*. ℣. *Exultent justi in.*, & Oratio de Sancto Justo, & Clemente. (*a*) Ad Missam Officium *Cibavit eos*. Oratio *Deus, qui Apostolis tuis*. Postea Oratio de Sancto Justo, & Clemente. *Adesto nobis Domine, quos Sanctorum &c.* Evangelium *Sic Deus dilexit Mundum*. Postea Missa canitur pro *Defunctis*. Majorem autem Missam hac die non consuevimus dicere.

Feria tertia ad Benedictus Antiph. *Ego sum ostium*. Postea in solutione Capituli dicitur *Pretiosa in conspectu Domini*, & cætera more consueto. Ad Missam Officium *Accipite jocunditatem*. Oratio *Adsit nobis Domine*. Lectio *Cum audissent Apostoli*. Evangelium *Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per Ostium*.

Feria quarta ad Benedictus Antiph. *Ego sum panis vivus*. Ad Missam Officium *Deus, dum egredereris*. Oratio *Mentes nostras*, & non dicitur ad hanc Orationem *Dominus vobiscum*, sed tantum *Oremus*, & non *Flectamus genua*. Deinde Lectio *Diligite justitiam*, & legitur in modum Prophetiæ, & Alleluja *Pacem*. Postea dicitur *Gloria in Excelsis*. Deinde

(*a*) Ad horum Sanctorum Capellam, seu Altare divina Officia, ut arbitror, ac die celebrabantur, & eorum memoria recolebatur.

Dominus vobiscum, & Oratio sola, *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut Spiritus Sanctus*. Postea Lectio *Stans Petrus cum undecim*, & hæc legitur in modum Epistolę, & Alleluja *Veni Sancte Spiritus*. Evangelium. *Nemo potest venire ad me*. Si autem hac die aliquod festum occurrerit, post ultimam Orationem de jejunio, dicetur Oratio de festo.

Quod jejunia quatuor Temporum semper in Hebdomada Pentecostes sunt celebranda. CCLIII.

GRegorius Papa VII. Apostolicæ præsidens sedi constituit, (*a*) ut æstivale jejunium semper infra Hebdomadam Pentecostes annuatim celebretur. Beatus quoque Papa Leo Primus in Libro Sermonum, quarti Mensis jejunium, non nisi in Hebdomada Pentecostes, celebrandum esse denuntiavit: nec hoc tantum in uno Sermone, sed in pluribus, quos de Pentecostes in diversis annis fecisse legitur; ibi enim evidentissime docetur, ex Apostolica traditione hujus jejuniis observantiam descendisse, nec divisam, sed continguam in Hebdomada Pentecostes celebrari debere. Sanctus quoque Gregorius Primus, Beato Leoni optime concordat, qui in Sacramentario, & in Diurnali Antiphonario eidem jejunio nullas Orationes, vel Cantus cantandos ascribit, nisi infra Pentecosten. Et nota quod solemnitati Sancti Spiritus jejunium quatuor Temporum non derogat hodiernum, sed potius illustrat, quia delitiæ Sancti Spiritus, delitiarum Carnalium fastidium important, & quia sponso ablato Apostolis jejunandum erat, sicut Dominus prædixerat. (*b*) *Quando Sponsus auferetur ab eis, tunc jejunabunt*. Tunc repleti Spiritu Sancto, sponte jejunare cęperunt. Quocirca in præcedenti secunda feria quidam æstivalem inchoant Quadragesimam, quidam vero sanius hodiernum jejunium autumant hujus temporis Quadragesimalis initium. Cui quidam terminum statuunt in festivitate Sancti Joannis, sive sex habeat septimanas, sive nequaquam: alii festivitatem Sancti Joannis includunt, & eo usque jejunantes sine termino præfixo procedunt, ubi senarium compleant Hebdomadarum. Hanc Quadragesimam probat Hieronymus non esse necessitatis, sed voluntatis dicens. (*c*) *Nos unam facimus Quadragesimam, illi tres, quasi tres passi fue-*

(*a*) De hoc Argumento Vide quæ tradit Cl. Muratorius Tom. II. Anecdot. *de Quatuor Temporum jejuniis* cap. VII. pag. 262.

(*b*) Marci II. 20.

(*c*) Amalar. lib. I. cap. 36. hunc Hieronymi locum citat ex Epist. ad Marcellam *de fide nostra*, *& dogmate heretico contra Montani Sectatores*. Revera hæc docet Hieronymus in Epistola ad Marcellam [in edit. Veronen. XLI. olim 54. n. 3. *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto nobis orbe congruo, jejunamus: Illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. Non quo, & per totum annum excepta Pentecoste, jejunare non liceat: sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre*. Consule Durand. VI. 110.

fuerint Salvatores, non quod per totum annum jejunare non liceat excepto tempore Pentecostes, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.

Quod non dicitur Flectamus genua *in jejuniis Pentecostes.* CCLIV.

NOtandum, quod in jejunio Pentecostes, quod solemne vocatur, non dicitur *Flectamus genua*, quoniam dies gaudii sunt, & non mœroris, quod tamen apparet quia omni die ad Matutinum dicitur *Te Deum Laudamus*, & ad Missam *Gloria in Excelsis*, & *Alleluja*, & *Credo*. Unde habetur in Concilio Calcedon. *Quoniam sunt in die Dominico quidam ad Orationem se flectentes, & in diebus Pentecostes: propterea est itaque a Sancta Synodo constitutum, quoniam consona, & conveniens per omnes Ecclesias constituenda consuetudo est, ut stantes ad Orationem Domino vota reddamus.* Item Beda. *Quod non statim peracta die quinquagesima genuflectimus; sed adhuc illa septimana stantes oramus, & Deo supplicamus, hoc facimus ob significationem liberationis ipsorum, qui per dona Sancti Spiritus de morte animæ ad vitam resuscitari, & resurgere meruerunt. Congratulantes etiam novis Populis, quos tempore Pentecostes Ecclesia toto Orbe per aquam regenerationis, Deo aggregare consuevit, merito eorum saluti congaudentes, qui albis Stolis induti, nitorem purificatæ mentis Habitus splendore præmonstrant, Hymnum devotæ laudis offerimus, juxta præceptum Redemptoris, qui ait Congratulamini mihi*, & cætera. (a)

Quare Clericorum Ordinationes potius fiant in Hebdomada Pentecostes. (b) CCLV.

APostoli repleti Spiritu Sancto die Pentecostes, facti fortes, & robusti tantum gaudium habebant, quod de Corporali cibo non curabant, & nomen Christi, & Incarnationem, & Passionem, & Crucem, & Mortem, & Resurrectionem, & ad Cœlos secundum Carnem, Ascensionem ipsius, & terribilem Adventum ejus ad judicium, & pœnam malorum, & præmium justorum, omni timore carnali, & mundano remoto, audacter coram Regibus, & Principibus, & omni Populo prædicabant. Propterea Ecclesia, & viri Apostolici statuerunt, ut in Hebdomada Pentecostes, & jejunia quatuor Temporum, & ordinationes Clericorum celebrarentur, quæ merito in hac Hebdomada ordinantur, ut dona Sancti Spiritus percipere mereantur: unde Gregorius Papa VII. hoc jejunium ab Apostolis Spiritu Sancto baptizatis, cum ordinatione statutum fuisse ait,

H h 2   & mox

[a] Vide Durand. VI. 113. 2., & 8.   (b) Ibidem n. 3.

& mox ſequens ordinatio ſeptem Diaconorum oſtendit, facta Oratione ſorore jejunii, unde Dominus hæc duo ſimul conjungit dicens: *Hoc genus non ejicitur niſi in Oratione, & jejunio (a)*. Quarti vero Menſis jejunium a Gelaſio dicitur, quia Sabbatum Hebdomadæ Pentecoſtes ſæpius in quarto (b), quàm in tertio reperitur, propter quod inrationabiliter jejunium initii Quadrageſimæ poteſt dici jejunium primi Menſis, quia Sabbatum ejus ſæpius in primo Menſe quàm in Februario invenitur. Sic enim nomen habet, ſicut quilibet a loco, in quo ſæpius habitat. Quorum Menſium Profetia Zachariæ ſignificativa eſt dicens: *(c) Jejunium primi, & jejunium quarti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi, erit Domui Juda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras*. Jejunio autem Quadrageſimalis initii bene ordinatio Sacri Ordinis competit, ſiquidem poſt Baptiſmum Chriſtus a Spiritu Sancto ductus ad jejunandum, poſtea Apoſtolos ſuos ad Sacrum Ordinem elegit. Sic Apoſtoli Spiritu Sancto baptizati poſt jejunium Diaconos conſecrandos elegerunt. Moyſes quoque [d] poſt deſcenſionem Spiritus in igne ſecum loquentis, quinquageſimo die egreſſionis primo Pentecoſtes, & poſt jejunium, Aaron cum filiis conſecrandum elegit.

Amalarius: quare quarta, ſexta feria, & Sabbato jejunemus. CCLVI. *(e)*

QUarta feria ideo iejunamus, quia in ea Judæi fecerunt conſilium ut occiderent Chriſtum. Sexta eum occiderunt. Septima fuerunt Apoſtoli in triſtitia. Quarta feria leguntur duæ Lectiones, quia ordinandi ſunt ammonendi de notitia legis, & Prophetarum, & quarta æta-

---

[a] Marc. IX. 28. [b] Lib. I. Sacrament. n. LXXXII. *Denuntiatio Jejuniorum quarti, ſeptimi, & decimi Menſis*.

(c) VIII. 19. Recole quæ ad Caput XXVIII. hoc ſuper argumento diximus.

[d] Levit. VIII. Aaronis, & filiorum illius conſecratio deſcribitur. An ea quinquageſimo *ab egreſſione* die peracta fuerit, incertum habeo.

(e) Allegatum Amalarii locum perquiſivi, & inveni. Hæc porro habet Amalarius cap. 2. lib. II. quod Caput inſcribitur: *De jejunio annuo Quatuor Temporum.* = *Quibus diebus eadem jejunia celebrentur oportet memorari, ſcilicet quarta feria, ſexta, & ſeptima. Quarta, quia in ea fecerunt Judæi conſilium, ut occiderent Chriſtum: ſexta eum occiderunt: ſeptima, Romanorum more jejunio concluditur, propter triſtitiam Apoſtolorum de Morte Domini, ut Innocentius narrat in Decretalibus. Sabbato inquit* (Innocentius) *jejunandum eſſe ratio evidentiſſima demonſtrat*. Capite porro 37. libri IV. hæc tradit. *Quartam feriam obſervamus, quia, ut ait Auguſtinus* ad Caſulanum, *in ea die Congregati ſunt Judæi, & conſiliati ſunt de nece Salvatoris: Paraſceven, quia in eo paſſus eſt idem Salvator . . . . Habemus ex Ordine Romano Sabbati diem in obſervatione . . . novimus enim ex multis auctoribus, quod dies Sabbati ſicut quarta Sabbati, & ſexta, incluſa erat jejunio apud Romanos,*

ætate, Lex & Prophetæ viguerunt, vel quia utriusque pagina Testamenti sunt imbuendi, vel quia ad fidem duo populi convertuntur. Sexta feria una Lectio legitur, quia Lex, & Profetæ in uno Evangelio recapitulantur, quod in sexta ætate viget: in Sabbato leguntur quatuor, quia Psalmista quatuor enumerat benedictiones. *Domus Israel, Benedicite Domino. Domus Aaron, Benedicite Domino. Domus Levi, Benedicite Domino. Qui timetis Dominum, Benedicite Domino*. In Israel intelligitur Populus. In Aaron Præpositi. In Levi Ministri. In timentibus Dominum gens communiter. Lectio de camino ignis legitur in quibuslibet jejuniis, quia nullus ad Consecrationem vitæ accedere potest, nisi prius transeat per fornacem tribulationum, ut sic ordinandi probati sint, nam vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Tractus tempore humilitatis debet cantari, & significat gravitatem, quam habere debent ordinati, ne elati in superbia incidant in laqueum Diaboli.

De quinta, & sexta feria in Hebdomada Pentecosten. CCLVII.

Feria quinta, ad Benedictus Antiph. *Pacem relinquo*. Ad Missam Officium *Repleatur os meum*. Oratio *Illo nos igne*. Lectio *Philippus descendens*. Evangelium *Convocatis autem Jesus duodecim Apostolis*. Sexta Feria ad Benedictus Antiph. *Spiritus Sanctus docebit*. Ad Missam Officium *Deus Patrum*. Oratio *Da quæsumus Ecclesiæ tuæ*. Lectio *Viri Israelitæ audite Verbum*. Evangelium *Factum est in una dierum*: & nota quod in his jejuniis quatuor Temporum, singulariter pulsatur ad Tertiam, Sextam, & Nonam, & per intervalla horæ dicuntur, sed in nullo Officio alicujus horæ dicitur *Kyrie eleison*, & *Pater noster*, ut mos est in aliis jejuniis.

De Sabbato jejunii quatuor Temporum in Hebdomada Pentecosten. CCLVIII.

Sabbato in Hebdomada Pentecostes, ad Benedictus Antiph. *Charitas Dei*. Ad Missam Officium *Charitas Dei*, & non dicitur *Dominus vobiscum* usque ad Orationem ante Epistolam, scilicet *Deus, qui tribus pueris*, sicut mos est in Sabbatis jejunii quatuor Temporum. Sed ad Primam Orationem, scilicet *Mentibus nostris* Dicitur tantum *Oremus*, & hodie

mos, & in eo officium mutatum sæpe habemus, sicut in quarta & sexta Sabbati, & præcipue in ea benedictio datur, quia ipsa est, quam benedixit Dominus, & propriè significatio ad Spiritum Sanctum pertinet, qui est septiformis.

die non dicitur *Flectamus genua*, ad aliquam Orationem. Postea legitur Lectio prima *Effundam de spiritu meo*, & *Alleluja*, *Spiritus Domini replevit*. Item Oratio *Illo nos igne*, & Prophetia secunda *Loquere Filiis Israel*, *& dices ad eos: Cum ingressi fueritis*, & *Alleluja*, *Spiritus Sanctus docebit*. Item Oratio *Deus*, *qui ad animarum*. Lectio tertia *Audi Israel quæ ego præcipio tibi*. *Alleluja*. *Spiritus Sanctus docebit*. Item Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus*, *ut salutaribus*. Lectio quarta *Loquere Filiis Israel*, *& dices ad eos*, *si in præceptis meis*. *Alleluja*, *Spiritus est Deus*. Item Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus*, *sic nos ab epulis*. Lectio quinta *Angelus Domini*, & omnes supradictæ Lectiones leguntur deflexa voce in modum Prophetiæ. Ubi autem cantari consuevit Hymnus trium puerorum, canitur Alleluja *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum*, quo cantato Sacerdos dicit *Gloria in Excelsis*. Postea revolvens se ad Populum dicit *Dominus vobiscum*, & Oratio *Deus*, *qui tribus pueris*; & si ea die fuerit aliquod festum, dicetur postea Oratio de festo. Postea legitur Epistola. Deinde *Alleluja*, *Laudate Dominum*, & *Alleluja*, *Dum complerentur*, & sic ad singulas Prophetias dicitur unum *Alleluja*, post Graduale, & ad Epistolam dicuntur duo *Alleluja*. Evangelium *Surgens autem Jesus de Sinagoga*. Item *Credo in*, & Præfatio *Qui ascendens*. (a) Et nota quod in hac die terminatur Quinquagesima. Unde & hodie frequentatur *Alleluja*, & cantatur pro Gradualibus *Alleluja*, nec flectuntur genua, pertinet enim ad Octavam, & illud quidem generale est, quod quoties in die de tempore gratiæ materia laudis assumitur, aut dies ad tertiam (b) refertur, genua non flectimus, sed in Orationibus stantes collatam nobis gratiam, & conferendam gloriam profitemur, ut cum olim essemus servi incurvi, nunc fracto jugo incedamus erecti, ut in Dominicis diebus, & Sanctorum Natalitiis, & Paschalibus. Inclinare tamen capita possumus, ut mulieres devotas ad Monumentum imitemur. (c)

De

(a) Hæc habet Durandus nostro Scriptore procul dubio posterior lib. VI. cap. 113. n. 8. *Et memento quod hac die terminatur Quadragesima: & ideo hodie frequentatur, & cantatur pro Graduali Alleluja nec Flectuntur genua, pertinet enim ad octavam. Generale quidem est quod quoties de tempore in die gratia materia laudis assumitur, aut dies ad octavam refertur, genua non flectimus, sed in Orationibus stantes collatam nobis gratiam, & conferendam gloriam profitemur, ut cum olim essemus servi curvi, tunc fracto jugo incedamus erecti, ut in Dominicis diebus, & Sanctorum Natalitiis, & Paschalibus inclinare tamen capita possimus, & Mulieres devotas ad monumentum venientes imitemur.*

(b) Fortasse ad *gloriam*. Durandus *ad octavam*.

(c) *Cum timerent autem, & declinarent vultus in terram*. Luc. XXIV. 5.

De Ordine Officii ad Vesperum in Sabbato post Pentecosten. CCLIX.

IN Sabbato præcedente primam Dominicam post Pentecosten ad Vesperum dicuntur tres Antiphonæ de Laudibus super tribus primis Psalmis Dominicalibus, ut in die Pentecostes. Capitulum *Cum Complerentur*. Hymnus *Veni Creator*. ℣. *Spiritus Domini*. Ad Magnificat Antiph. *Veni Sancte Spiritus*. Oratio *Deus qui hodierna*, quæ omnia eodem ordine dicimus, quo in die Pentecostes. Finita Oratione imus ad fontes cantando Antiph *Alleluja, hodie omnes Apostoli*, & ibi incepta Antiphona *Fontes*, dicuntur duo Psalmi, & tunc fontis obstructum foramen in fundo reseratur, & aqua Baptismi per illud foramen emittitur; (a) sed aliquantulum de ipsa aqua in minoribus fontibus reservetur ad succurrendum his, qui in mortis periculo usque ad sequens Pascha Baptisma requirunt, & illa aqua sic sæpe renovetur, ne putens tanto Sacramento, quod absit, indigna fiat. Sed quandocumque renovatur, semper parum prioris aquæ dimittatur in fonte, ut nova consecretur in ipsa coadunatione, & immixtione. Sic omnibus peractis, & dicta Oratione ad fontes, usque *per omnia sæcula sæculorum*, & Responso *Amen*, Cantor incipit ℟. *Dominus, qui eripuit me*, & ipsum cum Organo cantantes revertuntur in Chorum: quo finito dicitur ℣. *Vespertina*. Oratio *Ascendat*. Oratio *Deus in te sperantium*. Deinde *Benedicamus Domino*, cum Organo; & sic finitur solemnitas Pentecostes. Clerici autem Ecclesiarum, quæ fontes non habent, dicunt totum Vesperum ut in die Pentecostes, scilicet Versiculos, Psalmos Dominicales sub quinta Antiphona de Laudibus, & dicto Capitulo, & Hymno, Versiculo, Antiphona, & Oratione de Pentecoste dicunt ℟ *Dominus, qui eripuit me*, & ℣. *Vespertina*, & Orationem *Deus in te sperantium*, & sic finiunt solemnitatem Pentecostes. Postea sero, in hora competenti Fratres pulsato signo more solito vadunt in Ecclesiam, & facta Confessione, reincipiunt Completorium feriale sic, *Converte nos Deus salutaris noster*, & cætera, sicut supra positum est in prima Dominica post Octavam Episaniæ. [b]

Quare de Pentecoste non celebratur Octava. CCLX.

HÆc festivitas octo dies non habet, sicut Pascha, sed septem diebus expletur, quia gratia Spiritus Sancti in septiforme dividitur. Unde viris Ecclesiasticis placuit, ut Sabbato Pentecoste observatio hujus festivitatis finiretur. Unde Sanctus Beda ait: *quia enim Spiritus Sanctus septiformis est gratiæ, jure solemnitas Adventus ejus per septem dies laude Hymnorum debita, simul & Missarum celebratione colitur*. Sequitur autem con-

(a) Recole dicta ad Caput CCL. annot. (a. pag. 240.
[b] Recole dicta Cap. LXXVIII. , & LXXXIV.

consuetudinarius Ordo in Dominica, quæ *Octava Pentecostes* intitulatur, quæ non ideo Octava Pentecoste dicitur, quia in ea solemnitas transacta, quæ per septem dies tantummodo, propter septiformem Spiritus Paracliti gratiam, a Sanctis Patribus diffinitur, per Officium suum iterum repetatur, sed quia omnis dies Dominicus, decursis septem, octavus celebratur. Nec immerito in hac, de qua loquimur, Dominica transactæ solemnitatis Officii cursus non iteratur. Ne enim fieri id debeat, juxta præcedentium Romanorum Pontificum institutionem, ratione simul, & auctoritate vacuatur, & sic in omnibus Officiorum observantia concordabit.

De prima Dominica post Pentecostem, & Matutinum in Dominica usque ad Adventum. CCLXI.

DOminica prima post Pentecostem ad Matutinum Invitatorium *Laudemus Jesum Christum*; & hoc Invitatorium dicitur omnibus diebus Dominicis usque Kalendas Augusti in quibuscumque majoritas Officii de Dominica celebratur. Hymnus *Nocte surgentes*. In primo Nocturno Antiph. *Servite Domino*. Psalm. *Beatus vir*, & cæteri. ℣. *Memor fui*. In secundo Nocturno Antiph. *Bonorum meorum*. Psalm. *Conserva me*, & cæteri. ℣. *Quoniam tu illuminas*. In tertio Nocturno Antiph. *Non sunt loquelæ*. Psalm. *Cœli enarrant*, & cæteri. ℣. *Exaltare Domine*, & ita omnes Antiphonæ suo ordine finiantur, sicut supra posuimus in prima Dominica post Octavam Epiphaniæ, & eas cum Psalmis, & Versiculis dicimus usque ad Kalendas Octobris. Sex Lectiones leguntur de libris Regum, quos hodie incipimus. *Fuit vir unus*, & cætera. Tres ultimę de Homelia Beati Gregorii de Evangelio: *Homo quidam erat dives*. Responsoria de Historia *Deus omnium exauditor est*, & cætera, ut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *de Trinitate*: scilicet *Benedicat nos Deus*, quod scilicet est primum ℟. in illa Historia *de Trinitate*, & dicitur tantum hac Dominica ultimo loco. Postea *Te Deum Laudamus*. ℣. *Excelsus super omnes gentes Dominus*. In Laudibus Antiphona *Regnavit Dominus*, & cæteræ. Capitulum *Deus Charitas est*. Hymnus *Ecce jam Noctis*. Et nota quod hi duo Hymni, scilicet *Nocte surgentes*, & *Ecce jam Noctis*, ob brevitatem sui, cantantur tantum Dominicis diebus usque Kalendas Octobris. Item ℣. *Dominus regnavit, decorem*. Ad Benedictus Antiph. *Homo quidam erat dives*. Oratio *Deus in te sperantium*. Ad Primam Antiph. *Adesto Deus unus*. Psalm. *Deus in Nomine tuo*. *Beati immaculati*, & *Quicumque vult*. Capitulum *Omnis enim quicumque invocaverit*. ℟. *Christe Fili Dei vivi*. ℣. *Exurge Christe*. Oratio *In hac hora*. Ad Missam Officium *Domine in tua Misericordia*. Oratio *Deus in te sperantium*. Epistola *Deus Charitas est*. *Alleluja, Verba mea*, cum Organo, & dicitur per quinque Dominicas: & nota quod ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini, diebus Dominicis ad Missam consuevimus cantare cum Organo hæc Allelu-

leluja, & non plura. Scilicet *Verba mea*. *Alleluja*, *Eripe me*, *Alleluja*, *Domine refugium*, *Alleluja*, *Laudate Dominum*, & *Alleluja Memento*. Infra Hebdomadam vero cantantur æqualiter Alleluja, quæ reperiuntur in Antiphonario. Evangelium *Homo quidam erat dives*, & *Credo in unum*. Præfatio *de Trinitate*. *Qui cum Unigenito*, quæ ab hac Dominica usque ad Adventum Domini tantum, & non amplius dicitur in Dominicis diebus.

De Processione, & Responsoriis, & Antiphonis quæ cantantur ad Processionem in Dominicis. CCLXII.

POstea hora congrua pulsatur ad Majorem Missam, & post trinam pulsationem, Cantor in Choro incipit *Asperges me Domine*. (a) ℣. *Mi-*

---

[a] Eam, quæ hoc in capite describitur ad effugandos Dæmones, & ad animas expiandas aquæ benedictæ aspersionem in veteri testamento fuisse indicatam nos docent viri in rebus Ecclesiasticis versatissimi, *Numerorum* scilicet XIX. (vers. 11., & subseq. hæc habentur) *Qui tetigerit Cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua* (ea scilicet quam paulo ante descripserat) *die tertio, & septimo, & sic mundabitur .... Omnes qui tetigerit humanæ animæ Morticinum, & aspersus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini*. Eam porro, qua utimur, aquam benedictam suam institutionem debere Alexandro I. Romano Pontifici non pauci docent. Wafridus Strabo (*de Rebus Ecclesiastic.* cap. 29.) *Aquam* [inquit] *sparsionis cum sale benedici, & in habitaculis Fidelium spargi, Alexander Papa constituit: sicut enim populus prior legalibus institutis deserviens sanguine lustrabatur, ita novus Christianorum populus Baptismi Sacramento renatus, digne aqua benedicta adspergitur, ut sicut sanguis agni in postibus ad repellendum percussorem ponebatur, ita Mysterium aqua corpora, & loca muniat renatorum*. Revera in libro *Pontificali* Damaso adscripto hæc occurrunt. *Hic* [Alexander] *constituit aquam aspersionis* (aliter *sparsionis*) *cum sale benedici in habitaculis hominum*. Lege etiam obsecro §. seu Caput V. Epistolæ I. eidem Pontifici adscriptæ (pag. 548. To. I. Concil. Labbe Albritii, & Coleti) in quo capite copiose agit de hujusce aquæ utilitate, & probationes ad eam stabiliendam adducit. Verum eruditiss. Petrus Coustant (*Roman. Pontif. Epistolæ, & Decreta* pag. 54.) ea docet, quibus constet, id sibi minime fuisse persuasum: quamquam hujusce ritus probitatem, utilitatemque omnino approbat, neque eos redarguit, qui putant ab Apostolis ipsis ritum eum promanasse: & procul dubio Sanctissimus perinde, atque utilissimus is est; potuit autem recte Alexandro institutio illius tribui, quia simillimum veri est (id enim saltem liber Pontificalis insinuat) h. m. aquam fuisse maxime ab Alexandro commendatam, & Fidelibus illius usum inculcatum. Hæc sane fuisse videtur egregii Cardinalis Bonæ sententia, quam Magni Baronii auctoritate confirmat.

mat. En quæ tradit ille (*Rer. Liturg.* cap. XX. libro I. §. V. pag. 81. Tomi II. edit. Taurin. an. 1749.) ,, Huc pertinet illud quod in libro de ,, Rom. Pon. legitur apud Anastasium in Alexandro I. *Hic constituit aquam* ,, *aspersionis cum Sale benedici in habitaculis hominum*: cujus statuti ratio- ,, nem reddit ipse Pontifex in Epistola, quæ ejus nomine circumfertur, ,, ad omnes Orthodoxos data, ubi sic ait: *si Cinis vitulæ aspersus Populum* ,, *sanctificabat, atque mundabat, quanto magis aqua, quæ sale aspersa, di-* ,, *vinisque precibus sacrata est, Populum sanctificat, atque emundat?* Ad ,, hæc tamen, ut optime cum Card. Baronio notat, non instituit Ale- ,, xander aquam benedici, sed jam ab Apostolis id traditum restituit, ,, & observandum deinceps in Ecclesia mandavit, quod ex Authore *Consti-* ,, *tutionum Apostolicarum* sub nomine Clementis Romani, qui secundo Sæ- ,, culo exeunte ab eruditis floruisse dicitur, plenissime constat; etenim ,, ibi lib. 8. cap. 35. hujus benedictionis Institutor S. Matthæus Apostolus ,, perhibetur, ejusque ritus formula ab ipso præscripta ibidem expressa ,, legitur. Et sane ex ipsius Alexandri verbis in dicta Epistola, quæ & ,, refertur apud Gratianum dist. 2. *de Consecrat.* quæ ita se habent: *A-* ,, *quam sale conspersam benedicimus Populis, ut ea cuncti aspersi sanctifican-* ,, *tur, ac purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse manda-* ,, *mus; nam si Cinis vitulæ aspersus &c.*, non recte infertur, Pontificem ,, hanc aquæ benedictionem instituisse, sed potius ante ipsum institutam, ,, & in Ecclesia Romana ex Apostolica traditione observatam, eum reli- ,, quis Ecclesiis, ac Sacerdotibus omnibus similiter exequendam mandasse, ,, uti dicta ultima verba, & piam consuetudinem jam introductam, & hanc ,, ubique propagandam, decretoque firmatam, palam indicant. ,, Alia multa in rem hanc deinceps profert Sapientissimus Cardinalis, toto scilicet §. V. quem rogo consulas. Utcunque sit, Alexandro Papæ institutionem hanc Micrologus tribuit, & eum ritum, quo hodieque utimur, velut a Sacris Canonibus commendatum inculcat maxime. En quæ tradit hic Scriptor cap. 46. *Observationum Ecclesiasticarum*. *Alexander Papa, quintus a Beato Petro constituit, ut sal, & aqua benedicerentur ad conspergendum populum, & habitacula eorum; quod & nos in omni Dominica juxta Canones sequimur.*

Quod vero expresse pertinet ad aquam Ecclesiastico ritu benedictam spargendam in domibus, vineis, campis, consule quæ habet Martene *de Antiq. Eccles. Ritib.* Tomo I. pag. 185. A, & rursus pag. 199. D, pag. 218. C. Qua porro ratione, ac ritu, die Dominico hæc, de qua agimus, aqua benedicatur, habes Tomo III. pag. 64. B, ex quo etiam loco antiquitas postremi hujus ritus, conficiendi scilicet singulis Dominicis aquam benedictam, describitur. En quæ allegata pagina num. XII. occurrunt. ,, De solemni sa- ,, lis, & aquæ benedictione singulis diebus Dominicis facienda, non me- ,, mini me legisse aliquid ante Sæculum IX., quo Leo Papa IV. in Ho- ,, melia *de Cura Pastorali* pauca hæc habet: *Omni die Dominico ante Mis-* ,, *sam aquam benedicite, unde Populus aspergatur, & ad hoc proprium vas* ,, *habete*. Quò etiam Hincmarus Remensis Archiepiscopus, editis ad ,, Presbyteros Parochiæ suæ capitulis nonnullis, quinto loco statuit; *ut* ,, *omni die Dominico quisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia* ,, *aquam benedictam faciat in vaso nitido, & tanto Ministerio convenienti*,

,, de

℣. *Miserere mei Deus*, & *secundum multitudinem*. *Asperges*. *Exurgat Deus*. *Sicut deficit*. *Exurgat*, *Gloria Patri*. *Sicut erat*. *Exurgat*, quæ sic spatiose dicantur donec aquam benedictam Altaribus, super, & infra Sacerdos aspergat, & in Chorum redeat ad Clerum ibi similiter aspergendum: & si fuerit præsens Episcopus, cum reverentia porrigit Aspersorium Episcopo, ut ipse super Clerum aspergat. Hoc facto statim Cantor incipit ℟. *Benedictus Dominus*. ℣. *Replebitur*, & sic Sacerdote, qui aspergit aquam præcedente, & Custode cum Cruce sequente, Canonici, & Clerus simul cantantes ℟. cum Organo, faciunt Processionem per Claustrum Canonicæ, & veniunt ante januas majoris Ecclesiæ, & ibi finito Responsorio cum Versiculo, Sacerdos, qui sparsit aquam per Cimiterium, & Officinas, & in Hospitali, cum redierit, stans in januis Ecclesiæ dicit ℣. *Ostende nobis Domine Misericordiam tuam*. Postea Oratio *Via Sanctorum omnium*. Finita Oratione usque *per omnia sæcula sæculorum*, & responso *Amen*, Cantor incipit Antiph. *Specialis Virgo*, & cantantes cum Organo cum ipsa revertuntur in Chorum: & nota quod hæc sunt Responsoria *de Trinitate*, quæ ab Octava Pentecostes in Sabbatis ad Vesperum quando

 do

„ *de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur*, *& qui voluerint*, *in vasculis suis nitidis ex illa accipiant*, *& per mansiones*, *& agros*, *& vineas*, „ *super pecora quoque sua*, *atque super pabula quoque eorum*, *nec non & super Cibum*, *& potum suum conspergant*. Hanc benedictionem *in omni Dominica juxta Canones* celebrari scribit Micrologus libro *de observationibus Ecclesiasticis* cap. 46. Quinam sint illi Canones, nec dum nobis „ reperire licuit, nam Alexandri Papæ I. Decretum quod ille citat, & „ refertur a Gratiano *de Consecratione* dist. 2. cap. *aquam*, est suppositi„ tium, desumptum ex adulterina ejusdem Epistola prima, quam explo„ dunt eruditi omnes. Sed neque die Dominica, sed simpliciter aquam „ benedici præcipit. Non inficiamur tamen, aquæ benedictæ usum in Ec„ clesia esse antiquissimum, nam præter benedictionem aquæ ad Baptismum, „ & Ecclesiarum dedicationem adhibendæ, quam a primis Christianæ Re„ ligionis Sæculis obtinuisse non dubitamus, alia nobis supersunt de illius „ usu, atque virtute argumenta apud Epiphanium *hæresi* 30. Cassianum „ Coll. 15. cap. 14. Theodoretum lib. 5. *Historia Ecclesiastica* cap. 21., & „ *Historia Religiosa* cap. 8., & alios Auctores plurimos. „ Etiam consule quæ eodem Tomo pag. 776. extant, in quo etiam loco describitur circuitus, quem peragebat Processio ad aquam benedictam aspergendam per Claustrum, Dormitorium, Refectorium, Coquinam, & alia etiam, nisi prorsus fallimur, Religiosæ ædis loca. Atque id ipsum etiam assequimur ex pag. 66. ejusdem Tomi III. Multa etiam ad ritum hunc, ac consuetudinem spectantia habes in Opere ab eodem Martene confecto *de Antiq. Monach. Ritibus* lib. II. cap. 3. pag. 131., & sequentibus: atque hoc caput totum legas opto. Ad hæc: Recole dicta Cap. LXXXIII. CXXXII. CXXXIII. CXCV. CCX. in hoc Ordine. Durand. IV. 4. Et in lib. III. *Sacram. Rom. Eccl.* num. LXXV. pag. 208. Tom. VI. Oper. Ven. Card. Thomasii, & seqq. Deinceps etiam in hoc ipso Ordine capite quod inscribitur: *Quod singulis Dominicis Presbyteri debeant benedicere aquam cum sale in Ecclesia*.

do Historia non mutatur, & Dominicis diebus ultimo loco, & ad Processionem cantare cum Organo consuevimus. ℟. *Benedictus*. ℣. *Replebitur*. ℟. *Quis Deus magnus*. ℣. *Notam fecisti*. ℟. *Magnus Dominus*. ℣. *Magnus es, Domine*. ℟. *Summæ Trinitati*. ℣. *Præstet nobis*. ℟. *Benedicamus Patrem*. ℣. *Benedictus es*. Alia vero Responsoria de ipsa Historia non cantamus, sed ordinate tantum unum istorum dicimus in quaslibet Dominica si in ea majoritatem Officii facimus de Dominica: & tunc eodem ordine in ingressu Ecclesiæ, facta Processione cantare consuevimus has Antiph. de Sancta Maria. *Specialis*. *Cœli Regina*. *Virgo Creatoris*. *Aula Maria*. *Ave o Theotocos*. Et est sciendum quod illud ℟. *de Trinitate*, quod cantamus in Sabbato ad Vesperum, dicitur etiam postea in Matutinis die Dominico ultimo loco; & ad Processionem, sed quando mutatur nova Historia, dicitur tantum in Sabbato ad Vesperum secundum ℟. de ipsa Historia, & in Dominica ad Matutinum ultimo loco, & ad Processionem unum ℟. *de Trinitate*. Quando autem in aliqua Dominica facimus majoritatem Officii de aliquo festo, tunc & in Sabbato ad Vesperum, & die Dominico ad Matutinum ultimo loco, & ad Processionem dicimus ℟. tantum de ipso festo, & in ingressu Ecclesiæ *Gloria*, vel Antiphonam quæ ad festum pertineat.

De Missa Majori, & horis diei, & Vesperis in Dominicis diebus. CCLXIII.

Cum autem facta Processione reversi fuerint in Chorum, Sacerdos septimanarius incipit Tertiam, & Cantor incipit Hymnum *Nunc Sancte*, qui quandocumque dicitur in Dominicis diebus, semper cum Organo in Ecclesia nostra cantatur ad Tertiam ante Missam Majorem. Item Antiph. *Ex quo omnia*. Psalm. *Legem pone*. Capitulum *Charitas*. ℟. *Inclina Cor meum Deus*. ℣. *Ego dixi Domine*. Oratio de Dominica. Dum vero Tertia cantatur in Choro, Sacerdos Canonicus cum Diacono, & Subdiacono præparat se post Altare, vel in Secretario ad Missam cantandam, & dicta Tertia, Cantor incipit cum duobus æquali voce in Choro Officium ad Missam, & Chorus repetit idem, & Cantor cantat Versiculos cum Organo, & *Gloria*. Postea in toto Missæ Officio, solum Alleluja, & Versiculus cantatur cum Organo. Finita Missa Majori quolibet tempore in die Dominico statim pulsatur Campana, quæ consuevit ad Tertiam pulsari, & incipitur Hymnus *Rector potens*. Antiph. *Spes nostra*. Capitulum de Dominicali Epistola ℟. *In aeternum Domine*. ℣. *Dominus regit me*. Ad Nonam Hymnus *Rerum Deus*. Antiph. *Libera nos*. Capitulum de Dominica. ℟. *Clamavi in toto corde*. ℣. *Ab occultis meis*, & Oratio de Dominica. Ad Vesperum super Psalm. Antiph. *Dixit Dominus*, et cæteræ. Capitulum de Dominicali Epistola, Hymnus *Lucis creator*; & hic Hymnus quandocumque dici-

dicitur, ſemper in noſtra Eccleſia cum Organo cantatur die Dominico ad Veſperum tantum. ℣. *Dirigatur oratio*. Ad Magnificat Antiph. *Fili recordare*. Nullam autem commemorationem Sanctorum majori Officio jungimus in Dominica, vel diebus ferialibus, niſi de feſtivitate alicujus Sancti, ſi fuerit ipſa die, vel ſequenti, ſive de Octavis, in quibus Collectam facimus. Poſtea hora competenti dicitur Completorium feriale: hunc autem Officii ordinem in Proceſſione, & horis diei, & Veſperis ſervamus uſque ad primam Dominicam de Adventu in Dominicis diebus.

Quare quidam in hac prima Dominica poſt Pentecoſtes faciunt de Trinitate. CCLXIV.

DE hac Dominica, quæ eſt prima poſt Pentecoſten, triplex eſt varietas: quidam enim cantant de *Trinitate*, alii de Octavis, alii vero Hiſtoriam incipiunt *Preparate*, vel *Deus omnium exauditor eſt*. Qui de *Trinitate* cantant hanc rationem allegant, quia poſt Adventum Sancti Spiritus confeſtim prædicari, & in Baptiſmo celebrari cepit fides, & confeſſio, & Filii, & Spiritus Sancti. Nam ante Reſurrectionem non innotuit diſtinctio Trinitatis. Poſt Reſurrectionem regula data (*a*), *Euntes in Mundum univerſum, docentes omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, tunc primum actu eſt exhibita (*b*), cum ipſa die Pentecoſtes tria millia hominum ſunt converſi. Recte igitur poſt Adventum illico ſequitur Officium Trinitatis, ut poſt acceptum Baptiſmum, & receptum Spiritum, fidem quam prædicamus vocibus, exerceamus operibus. (*c*) Officium autem Trinitatis Alcuinus invenit; temporibus namque Atilæ, qui Chriſtianos flagellavit, & omnia fere volumina profeſſionis Chriſtianæ deſtruxit, Alcuinus Magiſter Karoli hiſtoriam de *Trinitate* compoſuit, Reſponſoria ſcilicet, & Antiphonas, Miſſam, & Sequentiam: Fecit etiam hiſtoriam de Sancto Stephano, quas ambas obtulit Alexandro Papæ, qui reſpuit illam de *Trinitate* dicens, ſicut non eſt ſpeciale Officium unitatis, ſic nec eſſe oporteat Trinitatis, maxime cum ſingulis Dominicis feſtum ſit Trinitatis, & Unitatis, & ita nullum diem ſpecialiter debere aſcribi Trinitati, ſicut nec Unitati, cum cotidie utriuſque memoria celebretur. (*d*) Tandem ſuperveniente hæreſi Ariana

(*a*) Matth. XXVIII. 19. [*b*] Act. II. 41.

(*c*) Hæc ipſa fere, copioſius etiam deſcripta habet Durandus VI. 114. n. 6.

(*d*) Aut hic miſcentur tempora, nam procul dubio Alcuinus diu poſt Arianos, Hilarium, Euſebium, & Ambroſium vixit, & Alcuini temporibus, nemo Alexander nomine Romanam Eccleſiam rexit, nec Atila vixit; nec Alcuinum Gregorius M. ſubſecutus eſt; aut certè ea libertate utuntur Scriptor noſter, & Durandus, qua utuntur Scriptores alii ceteroqui probabiles, qui Lectore minime monito rem variis temporibus actam continuo deſcribunt ordine.

riana fere fuit Trinitatis fides extincta; sed Hilarius, Eusebius, & Ambrosius extiterunt. Consensit igitur eadem causa Gregorius Magnus, ut de *Trinitate* specialia cantaremus, & Ecclesias ædificaremus, licet similia de Unitate non fiant: multi enim de Trinitate dubitaverunt, qui in confessione Unitatis nullatenus erraverunt. Exinde igitur est, quod de historia Trinitatis inveniatur varia consuetudo: alii namque non utuntur eâ, sequentes reprobationem Alexandri, alii utuntur eâ, & cantantes eam in hac prima Dominica sequuntur primam institutionem Alcuini, alii ponunt eam in ultima Dominica, sequentes ultimam approbationem Gregorii.

Quod quidam faciunt de Octavam, sed melius (a) faciunt qui novam Historiam ponunt. CCLXV.

Qui autem hac die celebrant de Octavis, ponunt Epistolam Apocalypsis *Vidi ostium*, & Evangelium. *Erat homo ex Pharisæis*, cæteris observatis sicut in die solemni, celebrant autem Octavam ad insinuandam perfectionem operum Spiritus Sancti per septem dies opera gratiæ septiformis, & in Octava consumatio declaratur, & quoniam Octava redit ad caput, omnia sicut in die Festo, a Vespera in Vesperam in ipsis Vesperis, & tribus Nocturnalibus Psalmis observant. De his Octavis dicit Augustinus: (b) *Celebrationem Octavarum Feriarum novi hominis celebramus. Baptismus Neophytorum licet in Sabbato peragatur, ad illum baptismum tamen pertinet, qualem Apostoli susceperunt in die Pentecostes, cujus octava dies est Dominica sequens*. Quidam etiam dicunt quod hæc Dominica, quia Sabbatum jejunii quatuor Temporum sequitur, Dominica *vacat* (c) intitulatur, & secundum morem vacantium Dominicarum ex præcedenti quarta feria Officium, & ex Sabbato debuit Evangelium mutuare. Sed tam apud nos, quam apud omnes pene Ecclesias, hæc Dominica proprium Officium sibi vindicat; *Domine in tua misericordia*. Quod certe usus, non ratio est. Invenit autem hanc consuetudinem ut putamus, vel etiam confirmavit antiqui ordinis oblivio propter contentiosam varietatem, quæ de Pentecoste diu habebatur. Jejunio accessit autem huic qualiscunque excusatio, videlicet ne Historia *Libri Regum* sine proprio incipi videretur Officio, vel ne Octavam Spiritus Sancti arguerentur celebrare contra auctoritatem qui cantu præcedentis Hebdomadæ in hac Dominica uterentur. (d) Qui vero Historiam, *Deus omnium*, vel Pre-

(a) Hic quoque rursus Durandum consule habes.
(b) Hæc ipsa, veluti ex Augustino allegat etiam Durandus VI. 114. n. 7.
(c) Recole quæ tradidimus ad Caput XXXIV.
(d) Hæc ipsa habes lib. VI. Durandi cap. 114. n. 8. *Qui vero ponunt &c.*

Præparate ponunt, sicut nos in hac nostra Ecclesia facere consuevimus, melius faciunt, quia Romanam secuntur Ecclesiam, nostræ peregrinationis recolentes, & recurrentes historiam, nam per Septuagesimam significavimus expulsionem generis humani de Patria Paradisi: per Quadragesimam servitutem populi sub Pharaone: per Pascha, Agni immolationem per quadraginta dies Paschales, quadraginta annos in Deserto. Per Rogationes, Terræ promissæ ingressionem. Per septem dies Pentecostes, in quibus septem Dona dividuntur, terræ datæ divisionem: per tempus, quod ab hodie sequitur, significamus Populi afflictionem, & gubernationem factam per Judices, & Reges; ideoque ponuntur in manibus Lectorum quatuor Libri Regum, quorum primum scripsit Samuel, secundum Nathan, tertium, & quartum Jeremias, & duo Libri Paralipomen, quos scripserunt Sapientes Sinagogæ: & quia Judicum Maximus Samuel, & Regum Maximus fuit ipse David, & ejus Filius: idcirco istorum dicta potius & opera in historia jubilantur; vel ideo ista leguntur, quia sicut illi pugnaverunt, sic & nos accepto Spiritu gratiæ pugnare debemus. *Præparate*, vox est Samuelis. (a) *Deus exaudit*, vox David Regis, (b) qua Historia utendum est usque ad Kalendas Augusti.

De Feria secunda, & aliis diebus ferialibus usque ad Adventum Domini. CCLXVI.

Feria secunda post Octavam Pentecostes, Matutinum Sanctæ Mariæ, & vigilias Defunctorum reincipimus. Item per totam Hebdomadam Invitatoria, Hymni, Antiphonę, super Psalmos Nocturnales, et Versiculi feriales dicuntur, ut supra scripsimus in secunda feria primæ Dominicæ post Octavam Epiphaniæ; et licet de hac prima Dominica post Pentecostem sit varia Ecclesiarum consuetudo; in hoc tamen omnes conveniunt, ut per Hebdomadam Lectiones de libris Regum legantur usque Kalendas Augusti, et postea de aliis libris, qui per singulos menses ordinate ponuntur ad legendum, et Responsoria de Dominicali Historia singulis diebus feriatim cantentur. Ad *Benedictus*, et ad *Magnificat* Antiphonæ de Historia Dominicali recto cursu canantur per totam Hebdomadam, nisi alicujus Sancti festum occurrat. Ad Primam, et alias horas diei, et Vesperum, Hymni, Antiphonę, Capitula, et Versiculi sicut tunc positum est post Octavam Epiphanię. Item ad Missam Romana Ecclesia per totam Hebdomadam Dominicum repetit Officium, salvo quod in quarta, et sexta feria speciales Epistolæ, et Evangelia titulantur. Alcuinus vero Magister Caroli, rogatu Archiepiscopi Bonifacii, instituit Missam de *Trinitate* in Dominica die, in feria secunda *de Sapientia*, in feria tertia *de Spiritu Sancto*, in feria quarta *de Charitate*, in quinta *de Angelis*, in sexta *de Cruce*,

[a] I. Reg. VII. 3. (b) II. Reg. XXII. 7.

ce, in Sabbato *de Sancta Maria*. Nonnulli autem celebrant in secunda feria *de Angelis*, alii *pro Defunctis*, in tertia *pro Peccatis*, vel *pace*, in quinta pro *tribulatione*, in sexta, ut superius *de Cruce*, & in Sabbato *de Virgine*, ut solemnitas Matris solemnitati filii continuetur, & ut festivius agatur in die, in quo Dominus requievit ab omni opere, cujus Missam quidam, sicut etiam nos in Ecclesia nostra, semper solemniori cultu celebrant, scilicet cum *Gloria in excelsis Deo*, & *Credo*, et *Te Deum laudamus* in ejusdem Virginis dicitur Matutinis: & hæc ideo instituit Alcuinus, ut Presbyteri illius temporis nuper ad fidem conversi nondum Ecclesiasticis Officiis instructi, nondum etiam librorum copia prędití, vel aliquid haberent, cum quo Officium suum qualibet die possent explere: Unde & adhuc quidam easdem Orationes cotidie, etiam cum propria abundent Officia, nolunt prætermittere. In singulis quoque Septimanis sexta feria *de Cruce*, & Sabbato *de Sancta Maria* pene usquequaque observatur, non tam ex auctoritate, quàm ex devotione. Quod si aliæ Missæ cantentur, Orationes de præmissis materiis interserantur, ut per ipsorum suffragia, patrocinia sentiantur, & hunc ordinem Officii servamus in ferialibus diebus usque ad Adventum Domini.

De quatuor Statibus Ecclesiæ, quos suis temporibus repræsentat. CCLXVII.

NOtandum est, quod quatuor sunt Status Ecclesiæ, primus est culpæ, secundus est culpæ, et pęnæ, tertius est pęnæ, et gratiæ, quartus gratiæ, et gloriæ. Primum repręsentat Ecclesia in Septuagesima ideoque subticet *Te Deum laudamus*, et *Alleluja*, quia non est *pretiosa laus in ore peccatoris*, (*a*) et *Gloria in Excelsis Deo*, quia positus est inter Deum, et homines paries inimicitiarum. Secundum repręsentat in Adventu, ideoque etiam supradicta Cantica subticentur preter *Alleluja*, quia Lex data Deum intelligere docuit, et laudare. Tertium repręsentat in æstivo tempore, ideoque propter gratiam acceptam in festivis ista cantantur, sed propter pœnam in ferialibus subticentur preter *Alleluja*, quod etiam cotidie frequentatur, quia spes de Resurrectione futura non infirmatur. Quartum repręsentat inter Pascha et Pentecosten, ideoque suprascripta Cantica lætitiæ cotidie frequentantur, et multiplicantur. Verum quia nondum habemus gloriam, quam expectamus, ideoque *Te Deum Laudamus*, et *Gloria in Excelsis* in ferialibus subticent quædam Ecclesiæ, et in Dominicis tantum Resurrectionem Domini repręsentant.

Quid

(*a*) Ecclesiast. XV. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*.

Quid sit Bibliotheca, & quando ipsius libri legantur in Ecclesia. [a] CCLXVIII.

QUia vero diversitas Officiorum ex multiplicitate librorum, et varietate temporum sæpe contingit, videamus quid sit Bibliotheca, et quot sunt in ea libri, et qualiter secundum varietatem temporum in Officiis Ecclesiæ disponantur. Bibliotheca dicitur a biblis, quod est liber, vel a biblo, quia quondam scribebant in biblis, et theca, quod est positio, et est æquivocum ad armarium, ubi libri reponuntur, et ad magnum volumen, quod utrumque continet Testamentum. Vetus in tria partitur, in Historiam, Prophetiam, Agyographiam. Historia XXI volumina continet, scilicet Pentatheucum, qui dicitur thoral, idest lex. Hi sunt libri Moysis V Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomius, super quos jurant Hebræi, sicut nos super Evangelia, velut Sanctiora illa pœnes illos, ista pœnes nos. Pentatheuco vero adduntur duo, scilicet Josue, et Judicum, et vocantur Eptaticus. Deinde sequitur liber Ruth, et Regum quatuor partitiones. Postea leguntur duo libri Paralipomenon, duo Esdræ, duo Machabæorum, liber Tobię, Judith, & Hester, & sunt XXI, quia docuerunt Decalogum corpore, & mente in unitate fidei observandum. Prophetę sunt XVI Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel, & XII Minores Prophetæ, qui sunt XVI, quia docent X. præcepta per sex opera esse complenda. Sequuntur Agyographa; scilicet libri Psalmorum, Job, tres libri Salomonis, Parabolæ, Ecclesiastes, Cantica, Liber Sapientiæ, & Ecclesiasticus, qui sunt VII quia docent Vitam Æternam per dona Spiritus Sancti adipiscendam. Apocrypha tamen esse dicuntur liber Tobiæ, Machabęorum, Phylonis Sapientia, scilicet *Diligite justitiam*, & liber Jesu filii Sirach, scilicet *Omnis sapientia a Domino Deo est*, qui dicitur *Ecclesiasticus*: (b) hos quatuor Apocryphos Ecclesia non autenticat, quoniam eorum Authores ignorat, nam aliqui tenent librum *Sapientiæ*, & *Ecclesiasticum*, Salomonem, & alios duos Esdram credimus composuisse, qui reparavit Bibliothecam a Babyloniis combustam. Sequuntur libri novi Testamenti, scilicet quatuor Evangelistæ, Epistolæ Pauli quatuordecim, Apocalypsis, Epistolæ Canonicæ VII Actus Apostolorum: hi libri duorum Testamentorum, sunt LXXII contra LXXII linguas Superborum, ut LXXII linguæ convertantur ad Dominum.

[a] Durand. VI. I. (b) Hoc de argumento Consule Concilium Tridentinum, Card. Bellarminum, & reliquos Doctores nostros.

Qualiter in Ecclesia secundum varietatem temporum Officia distinguantur. (a)
CCLXIX.

VArietas autem temporum ex variis statibus accidit humanæ conditionis; fuit enim primo tempus deviationis, ab Adam usque ad Moysen, in quo omnes *(b) Declinaverunt* (a cultu Dei) *& simul inutiles facti sunt, & non fuit qui faceret bonum: non fuit usque ad unum*. Serviebant enim Creaturæ potius, quàm Creatori. Secundum tempus fuit revocationis a Moyse, usque ad Christum, in quo revocati sunt per legem, & Prophetas, & edocti de Adventu Christi, de vitatione peccati, de dilatione unius diei. *(c)* Tertium tempus fuit reconciliationis a Nativitate Domini usque ad Ascensionem, in quo Divina reconciliantur humanis, quia facta est *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. *(d)* Quartum tempus est nostræ peregrinationis ab Ascensione Domini usque ad consummationem sæculi. Primum comparatur Nocti, secundum Mane, tertium Meridiei, quartum Vesperæ. Sic & Homo ingreditur in Peccato, sed devians revocatur in Baptismo, progreditur in Opere, sed egreditur, & consumatur in Morte. Pro varietate itaque temporum Ecclesia laudabili varietate utitur Officiorum; nam in Adventu recolit tempus revocationis, in Septuagesima usque Octavam Paschæ tempus deviationis: In Paschalibus diebus usque ad Octavam Pentecosten, tempus reconciliationis: ab Octava Pentecosten, usque ad Adventum Domini, tempus peregrinationis. Secundum igitur quatuor Tempora, librorum compositionem artificiali ordine prosequens Ecclesia, in Officiis quatuor facit divisiones, & ab Adventu Domini inchoat Officia suæ militiæ spiritalis, quia, ut diximus, figuram prætendit revocationis, in quo tenet rem, & non sequitur ordinem, non enim decebat a tempore deviationis incipere, quæ desiderabat errorem vitare, & Medicum invenire. Nec moveat nos, quod non rectum, sed præposterum ordinem Ecclesia repræsentat, quia erunt *(e) Novissimi primi, & primi Novissimi*. Sic ergo varietas dierum & statuum humanorum varietatem inducit Officiorum, ut alia celebrentur cum Responsorio solo, alia cum Alleluja, & Tractu, alia cum Alleluja solo, alia cum Alleluja, & Responsorio, & Tractu, ut in Sabbato Sancto, quia neque actus hominum sunt iidem, ut interdum lugeant, & laborent, interdum gaudeant, & contemplationi operam dent. Responsorium enim significat actionem, Alleluja contemplationem, Tractus luctum, Alleluja lætitiam.

In

(a) Quinam libri in Ecclesiastico Officio legerentur, docet Durandus VI. I. 11. 12., & subseq. Etiam consule Isidor. *de Eccles. Offic.* lib. I. cap. 11. & 12. Rupertum Abbatem *de Divin. Offic.* lib. XII. cap. 24. & 25. (b) Psalm. XIII. 3.
(c) Hic aliquid deest. (d) Luc. II. 14. (e) Matth. XIX. 30., & XX. 16.

In qua Dominica liber uniuscujusque Historia cum suis Responsoriis incipiantur. CCLXX.

SIc autem Ordo incipiendorum librorum servabitur, ut si Kalendæ Mensium Dominica, aut feria secunda, vel tertia, vel quarta intraverint, liber Historiæ cum Responsoriis suis in ipsa Dominica incipiatur. Si autem feria quinta, vel sexta, aut etiam in Sabbato Kalendæ Mensium intraverint, liber Historiæ, & Responsoria sua usque in sequentem Dominicam differantur.

Quod a Dominica post Pentecosten usque Kalendas Augusti leguntur libri Regum. CCLXXI.

A Dominica itaque post Pentecosten, usque ad Kalendas Augusti leguntur libri Regum, & Paralipomenon, & cantatur ℟. *Deus omnium exauditor est*. Quoniam sicut Saul, & David, & alii pro lege sua contra Allophylos, & Goliam pugnaverunt, sic & nos post Pentecosten, idest postquam recepimus donum Sancti Spiritus in Baptismo, pugnare debemus contra vitia, & Dęmones, & præparare corda nostra, ut simus templum Spiritus Sancti, & serviamus illi soli. Nam juxta Apostolum *Non est nobis colluctatio adversus Carnem, & Sanguinem*. (a)

Quid legatur, vel cantetur in Mense Augusti. CCLXXII.

A Kalendis Augusti usque ad Kalendas Septembris, legitur & cantatur Salomon, idest liber Proverbiorum, Ecclesiastes, Cantica canticorum, liber Sapientiæ, vel Jesu filii Sirach. Invitatorium *Dominum, qui fecit nos*, & dicitur hoc Invitatorium, usque ad Kalendas Septembris, & ℟. *In principio Deus antequam terram faceret*. Augustus sextus Mensis est, & calidus, & anni medius, in sexta ætate, qua Dominus venit, debemus quidem propter ejus præsentiam sapienter vivere, quoniam audita est inter nos illa *Sapientia quæ ex ore Altissimi prodiit*. (b) Unde & cor hominis concalescat, & in ejus meditatione ignis exardescat, quoniam Deus ignem venit mittere in terram. (c) Unde in media ætate, ubi quisque amplius ab æstu vitiorum succenditur, magis debet succurrere sapientia, quia ibi tanto sapientius est cavendum, quanto plus valet ætatis perfe-

Kk 2 ctio

[a] Ephes. VI. 12. (b) Eccli. XXIV. 5. [c] Luc. XII. 49.

ctio ad resistendum: & nota, quia in primis duabus Dominicis Mensis Augusti major Missa in Ecclesia nostra non celebratur, quia tunc Plebani de Episcopatu, qui sunt viciniores Civitati, cum Clero, & Populo ad Majorem Episcopalem Ecclesiam faciunt Litanias, & auctoritate Domini Episcopi, & Capituli fit omnibus tunc extra venientibus Indulgentia XX dierum de injuncta Pœnitentia.

Quid legatur in Mense Septembris. CCLXXIII.

A Kalendis Septembris legitur, & cantatur Job usque ad medium ejusdem Mensis. Invitatorium *Adoremus*, usque ad Kalendas Octobris. A Dominica medii Septembris ponuntur Job, Judith, Ester, Esdras, & Nehemias usque ad Kalendas Octobris, & cantantur ℟℟. *Peto*, & *ad Dominum*, & cætera. Hi sunt qui omnia adversa patienter sustinuerunt: sic & nos debemus in septima ætate, qua Mundus finietur, adversa quæ fient, pro Domino patientius tollerare.

De Officio in Mense Octobris. CCLXXIV.

A Kalendis Octobris usque ad Kalendas Novembris, Invitatorium *Magnum, & admirabile*. Leguntur libri Machabęorum, & cantatur ℟. *Adaperiat Dominus*. Iste octavus Mensis lætitiam Resurrectionis significat, quia sicut Judæi finitis præliis, & templo restituto, in Hymnis, & Confessionibus benedicebant Dominum, sic & in Resurrectionis gloria, destructis præliis Diaboli, *Sancti, & justi in Domino gaudebunt*. Hac die in nostra Ecclesia ad Matutinum incipimus Hymnum *Primo dierum*, & super Psalmos Nocturnales has Antiphonas cantamus. In primo Nocturno Antiph. *Beati qui in lege tua*. Psalm. *Beatus vir*, & cæteri. Antiph. *Qui salvos facit*. Psalm. *Domine Deus meus*, & cæteri. Antiph. *In æternum tu*. Psalm. *Salvum me*, & cæteri. ℣. *Memor fui*. In secundo Nocturno Antiph. *Tribue nobis*. Psalm. *Conserva*. Antiph. *Inclina*. Psalm. *Exaudi Deus*. Antiph. *Virtus*. Psalm. *Diligam te*. ℣. *Quoniam tu illuminas*. In tertio Nocturno Antiph. *Legis tuæ Deus*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Exaudi nos*. Psalm. *Exaudiat*. Antiph. *Præveni nos*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Exaltare Domine in virtute*. In Laudibus Hymnus *Æterne rerum Conditor*: & sic prædictas Antiphonas cum istis Hymnis usque ad Adventum Domini cantamus in Dominicis diebus: alia fiunt sicut in prima Dominica post Pentecostem supra dictum est, & quęlibet Antiphona tertia finitur cum jubilo.

De

De Prophetis legendis in Mense Novembri. CCLXXV.

A Kalendis Novembris usque ad Adventum Domini, Invitatorium *Quoniam Deus magnus Dominus*, & legitur Ezechiel, Daniel, & duodecim Prophetæ cum Responsoriis *Vidi Dominum sedentem*. Ezechiel vidit quatuor Animalia, idest quatuor Evangelistas, qui Nativitatem Domini, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, & cætera Mundum docuerunt: Daniel quoque eum esse venturum prædixit dicens (a) *Aspiciebam in visu Noctis, & ecce filius hominis veniebat*. Similiter & alii Prophetarum nasciturum Dominum prædixerunt; & ideo hi ante Adventum leguntur, quia ipse est Salvator Mundi, quem nasciturum de Virgine prædicaverunt. De aliis autem libris quando legantur, de singulis super positum est in suis locis: & nota quod in omnibus Prophetis, *Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me*, in fine Lectionis soliti sumus pronuntiare, præterquod in Daniele. Unde sciendum est quod quatuor modis terminantur Lectiones, videlicet: *Tu autem Domine* = *hæc dicit Dominus, convertimini ad me*: & = *Jerusalem Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum* in lamentationibus Jeremiæ: & in Lectionibus Mortuorum *Beati Mortui, qui in Domino moriuntur*.

De Officiis Dominicalibus, & Dominicis superabundantibus. CCLXXVI.

Notandum, quod a Dominica, quæ est Octava Pentecostes, usque ad Dominicam de Adventu, non sunt nisi XXIII Officia Dominicalia, & tot Orationes, & totidem Evangelia, & non plura, & si plura reperiantur, superabundant, & ultimum Officium est *Dicit Dominus*. Si ergo contingat intra illud spatium plures esse Dominicas, quàm Officia Dominicalia, consideretur, si qua principalis festivitas intra illud spatium venerit Dominico die, & tunc secundum numerum Officiorum Dominicalium, quæ deficiunt, in superabundantibus Dominicis tantum de festis, quæ in ipsis occurrunt, Officia celebrentur, & in feriis ipsius Hebdomadę superabundantis Officium, Oratio, Epistola, & Evangelium dicantur de Dominica præcedenti.

De

(a) Daniel. VII. 13.

De Festis in Dominicis, quando nova mittitur Historia. CCLXXVII.

SI ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini Festum Apostoli, vel aliud novem Lectionum, quod propriam habeat Historiam, & legendam, vel quod sit speciale nostræ Ecclesiæ, in quo consuevimus Antiphonas duplicare, in die Dominico occurrerit, & majores Campanas adduplare, quando novam Historiam Dominicalem oporteat immitti, tunc ad Vesperum in Sabbato dicetur Capitulum, Responsorium, Hymnus, Versiculus, & Antiphona ad *Magnificat*, & Oratio de festo, & post Orationem de festo, dicetur secundum Responsorium de nova Historia Dominicali, & Versiculus, & Oratio de Dominica similiter. Item postea ad Matutinum, totum Officium fiet de festo, præter Homeliam Dominicalem in septima, & octava Lectione. Item prima Missa dicetur de festo, si fuerit speciale nostræ Ecclesiæ, & secunda de Dominica, & major de festo. Item per horas diei, & in Vesperis dicentur Antiphonę de Laudibus festi: & hoc totum fiet præterquam in festo Omnium Sanctorum, quod qualiter fiat, tunc dicemus. Si autem illud festum non habuerit propriam Historiam, nec erit speciale festum nostræ Ecclesiæ, & venerit in Dominica quando Historia Dominicalis immittitur, tunc ad Vesperum fiet Capitulum, Responsorium, Hymnus, Versiculus, & Antiphona ad *Magnificat*, & Oratio de Dominica, & Collecta fiet de festo per Antiphonam & Orationem, & in Matutino totum Officium fiet de Dominica præter tres Lectiones in medio, quæ fient de festo, si propriam inde habuerimus legendam. Sed si non habuerimus inde, tunc fiet de festo tantum Collecta per Antiphonam, Versiculum, & Orationem in Vesperis Vigiliæ, Matutino, & Missa; & tunc semper prima Missa erit de Dominica, in qua fiet Collecta de festo, & Major similiter de Dominica dicetur: de quocumque enim Nocturnum, & Diurnum Officium solemnius agitur, inde & majorem Missam ratio exigit celebrari.

De Festis novem Lectionum, vel trium in Dominica, vel secunda feria, vel in Sabbato venientibus. CCLXXVIII.

SI vero festum novem Lectionum venerit alio die Dominico, quando non mittitur nova Historia, sive habeamus inde propriam legendam, sive non, semper tunc in Sabbato ad Vesperum, Capitulum, Responsorium, Hymnus, Versiculus, & Antiphona ad *Magnificat*, & Oratio de festo dicetur, & postea fiet Collecta de Dominica per Antiphonam, Versiculum,

culum, & Orationem, & in Matutino totum Officium fiet de festo, præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali cum suis Responsoriis, & post Orationem de festo, fiet Collecta de Dominica, & tunc prima Missa dicetur de Dominica, in qua fiet etiam Collecta de festo, & ℟. ad Processionem, & major Missa de festo dicetur, & per horas diei, & in Vesperis Antiphona de Laudibus festi. De quocumque autem in die Dominico facimus majoritatem Officii, de illo canimus ℟. ad Vesperum in Sabbato, & ultimo loco in Matutino, & ad Processionem, & de illo majorem Missam celebramus, & tunc in Vesperis, & Matutino fit Collecta de Dominica, si de Sanctis est factum: vel e converso de Sanctis: & hic idem ordo servetur de festis venientibus in Dominica ab Octava Epiphaniæ usque Dominicam de Septuagesima: & nota quod quando fit tantum Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem, fit tribus vicibus, scilicet Sabbato in Vesperis, & die Dominico in Laudibus Matutinis, & sero in Vesperis similiter, sed de Sancto, unde fit tantum Collecta, fit duabus vicibus, scilicet in Vigilia, & Matutinis per Antiphonam, & Orationem, sed in die ipsius festi non fit Collecta de festo in Vesperis, quando de ipso in mane facimus tantum Collectam. Item si feria sequatur festum novem Lectionum, semper die Dominico ab Octava Pentecostes, usque ad Adventum Domini, finitis Antiphonis, & Psalmis de Dominica, de sequenti festo dicetur Capitulum, ℣., Hymnus, & Antiphona ad *Magnificat*, & Oratio; & postea fiet Collecta de Dominica per Antiphonam, Versiculum, & Orationem. Si autem festum trium Lectionum fuerit in Dominico die, semper faciemus de ipso tantum Collectam, per Antiphonam, Versiculum, & Orationem in Vesperis de Vigilia, & Laudibus, & Missa populari, sive habeamus inde propriam legendam, sive non, & sive illud festum veniat cum alio festo novem Lectionum, sive singulariter. Si vero festum novem Lectionum fuerit in die Sabbati, dictis Antiphona, & Psalmis de festo, dicitur Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiphona ad *Magnificat*, & Oratio de Dominica, & postea fit Collecta de festo per Antiphonam, Versiculum, & Orationem. Sed si aliud festum novem Lectionum in ipsa Dominica sequitur, fit Capitulum, Hymnus, Versiculus, & ad *Magnificat* Antiphona de sequenti festo, & Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem, nisi in illa Dominica nova Historia debeat mitti: tunc enim distinguetur, ut dictum est in superiori Capitulo. Si tamen festum Sancti Joannis Baptistæ, vel Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Beatæ Mariæ, vel Omnium Sanctorum, vel Dedicationis nostræ Ecclesiæ in Sabbato eveniret, in die ipsius festi totum Vesperum dicetur de ipso festo, & post Orationem de festo, fiet Collecta de sequenti Dominica per Antiphonam, Versiculum, & Orationem. Semper etiam hoc observetur, quoties festum aliquod in Dominica advenerit, ut in Processione cantetur, unde Missa sequens celebrabitur, sive de Dominica, sive de Sanctis.

De

De secunda Dominica post Pentecosten. CCLXXIX.

SAbbato præcedente Dominicam secundam post Pentecosten ad Vesperum Capitulum *Nolite mirari*. ℟. *de Trinitate: Quis Deus*; & sic omni Sabbato usque ad Adventum, nisi faciamus de aliquo festo, Capitulum dicimus, & ℟. *de Trinitate* cum Organo, & Hymnum *O Lux beata* sine Organo. ℣. *Vespertina*. Ad *Magnificat*. Antiph. *Loquere Domine*. Oratio *Sancti Nominis tui*. Ad Matutinum Invitatorium *Laudemus Jesum Christum*. Hymnus *Nocte surgentes*. Antiphona super Nocturnum *Servite Domino*, & cætera. Sex Lectiones de libris Regum, Responsoria de Historia *Deus omnium*, & ultimum ℟. *Quis Deus*, et tres ultimæ de Homelia Dominicali. In Laudibus Antiph. *Regnavit Dominus*, et cæteræ. Capitulum *Nolite mirari*. Hymnus *Ecce jam noctis*. ℣. *Dominus regnavit, decorem*. Ad Benedictus Antiph. *Homo quidam fecit Cænam*. Ad Primam Antiph. *Adesto Deus unus*. Psalm. *Deus in nomine*, et *Beati immaculati*, et *Quicumque vult*, quod per omnes Dominicas dicitur, nisi fiat majoritas Officii de aliquo festo. Ad Missam Officium *Factus est*. Oratio *Sancti nominis tui*. Epistola *Nolite mirari*. Evangelium *Homo quidam fecit Cænam magnam*. Ad Processionem ℟. *Quis Deus magnus*, et in ingressu Ecclesiæ Antiph. *Cæli Regina*. Ad Tertiam, Sextam, et Nonam, et Vesperum, ut in superiori Dominica. Ad Magnificat Antiph. *Exi cito in Plateas*. Postea in ferialibus diebus fit ut superiori Hebdomada diximus: sed nota, quod ab Octava Pentecostes, usque ad Adventum Domini tertia, et quinta feria per singulas Hebdomadas consuevimus in Ecclesia nostra tantum Missam Mortuorum cantare, nisi in illis diebus occurreret aliquod festum.

De tertia Dominica post Pentecosten. CCLXXX.

SAbbato præcedente Dominicam tertiam post Pentecosten, ad Vesperum Capitulum *Humiliamini sub potenti manu Dei*. ℟. *Magnus Dominus*, et cum Organo totum, Hymnus *O Lux beata*. ℣. *Vespertina*. Oratio *Deprecationem*, et ita in omnibus Sabbatis usque ad Adventum Domini dicimus Capitulum de Dominicali Epistola, et ℟. *de Trinitate*, et alia supradicta, nisi de aliquo festo faciamus majoritatem Officii. Sed quando immittimur nova Historia, non dicimus ℟. *de Trinitate* in Sabbatis ad Vesperum, sed Responsorium, quod secundo loco ponitur in Historia, quæ mittitur. Item ad Matutinum Invitatorium, Hymni, Antiphonæ, Psalmi, Versiculi, Lectiones, et Responsoria, ut dictum est supra. Ad Benedictus Antiph. *Quis ex vobis homo*. Ad Missam Officium *Respi-*

Respice in me. Oratio *Deprecationem*. Epistola *Humiliamini*. Evangelium *Erant appropinquantes ad Jesum*: et nota quod Officium cantatur circa festum Sancti Joannis Baptistæ, quia legitur, Populum ad Pœnitentiam provocasse. Ad Magnificat Antiph. *Quæ Mulier*, et ita singulis Dominicis diebus dicuntur ad Matutinum propriæ Homeliæ de Evangelio Dominicę, et Antiphona propria ad Benedictus, et Antiphona ad Magnificat: alia in Matutino non mutantur, nisi cum nova Historia mittitur, et nova legenda, ut supra dictum est per singulos Menses.

De quarta Dominica post Pentecosten. CCLXXXI.

DOminica quarta post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Estote ergo Misericordes*. Ad Missam Officium *Dominus illuminatio*. Oratio *Protector in te sperantium Deus*. Epistola *Existimo enim, quod*. Evangelium *Estote ergo Misericordes*. Ad Magnificat Antiph. *Nolite*.

De quinta Dominica post Pentecosten. CCLXXXII.

DOminica quinta post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Ascendens Jesus in Navim*. Ad Missam Officium *Exaudi Domine*. Oratio *Da nobis quæsumus Domine*. Epistola *Omnes unanimes*. Evangelium *Cum turbæ irruerent ad Jesum*: et nota quod hoc Officium cantatur circa festum Beati Jacobi, quia sicut dicitur in Evangelio *Relictis retibus secutus est Dominum*, et factus est Piscator hominum, supplantator re, et nomine vitiorum. (*a*) Ad Magnificat Antiph. *Præceptor per totam noctem*.

De sexta Dominica post Pentecosten. CCLXXXIII.

DOminica sexta post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Audistis quia dictum est*. Ad Missam Officium *Dominus fortitudo*. Oratio *Deus qui diligentibus te*. Epistola *Quicumque baptizati sumus*. Alleluja *Eripe me*, et canitur per quinque Dominicas cum Organo: post Graduale Evangelium *Amen dico vobis, quia nisi abundaverit*. Ad Magnificat Antiph. *Si offeres munus tuum*.

[*a*] Respicit ad etymologiam nominis *Jacob* qui idem est ac *supplantator*. Gen. XXV. 25. rursus XXVII. 36.

De septima Dominica post Pentecosten, & subsequentibus. CCLXXXIV.

DOminica septima post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Cum multa turba*. Ad Missam Officium *Omnes Gentes*. Oratio *Deus virtutum*. Epistola *Humanum dico*. Evangelium *Cum turba multa*. Ad Magnificat Antiph. *Misereor super turbam*.

Dominica octava post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Attendite a falsis Prophetis*. Ad Missam Officium *Suscepimus Deus*. Oratio *Deus, cujus providentia*. Epistola *Debitores sumus*. Evangelium *Attendite a falsis Prophetis*. Ad Magnificat Antiph. *Non potest arbor bona*.

Dominica nona post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Dixit Dominus villico*. Ad Missam Officium *Ecce Deus*. Oratio *Largire nobis Domine*. Epistola *Non simus concupiscentes*. Evangelium *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum*. Ad Magnificat Antiph. *Quid faciam, quia Dominus*.

Dominica decima post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Cum appropinquaret Dominus*. Ad Missam Officium *Dum clamarem*. Oratio *Pateant aures Misericordiæ tuæ*. Epistola *Scitis quoniam cum gentes essetis*. Evangelium *Cum appropinquaret Jesus Jerusalem*. Ad Magnificat Antiph. *Domus mea*.

Dominica undecima post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Duo homines*. Ad Missam Officium *Deus in loco*. Oratio *Deus, qui omnipotentiam*. Epistola *Notum vobis facio*. Alleluja *Domine refugium*, & cum Organo per quinque Dominicas cantatur. Evangelium *Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant*. Ad Magnificat Antiph. *Stans a longe*.

Dominica duodecima post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Dum transiret Dominus*. Ad Missam Officium *Deus in adjutorium*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantiam pietatis*. Epistola *Fiduciam talem*. Evangelium *Exiens Jesus de finibus Tyri*. Ad Magnificat Antiph. *Bene omnia fecit;* & quia hæc Hebdomada aliquoties in Mense Septembri evenit, sciendum quod Salomone quidem mortuo, Regnum dividitur, & ideo Mensis Septembris bipartitur Historia; prima pars in una Historia consolidatur, alia variatur, quia Regnum Juda in David familia stabilitur, sed Regnum Israel a plurimis occupatur, unde & Historia de his justis, qui Gentibus intermixti fuerant, compilatur: Ut de Job, Tobia, Judith, & Hester, sed hæc opera veniunt in manus legentium. Ita in prima, & secunda Septembris Hebdomada legatur Job, quem ipse scripsit, cum Responsoriis *Si bona &c.* In tertia liber Tobiæ, quem ipse composuit, in quarta Judith, quem Achior edidit, deinde legitur liber Hester, quem Mardochæus vel potius Esdras composuit, sed liber Esdræ post hæc opera recitatur, & cum his cantantur ℟. *Peto*. *Adonai Domine*. His temporibus prophetavit Elias, qui gessit typum Christi.

Do-

Dominica decimatertia post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Magister quid faciendo*. Ad Missam Officium *Respice*. Oratio *Omnipotens, & misericors Deus, de cujus munere*. Epistola *Abrahæ dictæ sunt promissiones*. Evangelium *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*. Ad Magnificat Antiph. *Homo quidam descendebat*.

Dominica decimaquarta post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Dum transiret Jesus*. Ad Missam Officium *Protector noster*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus da nobis fidei*. Epistola *Spiritu ambulate*. Evangelium *Dum iret Jesus Hierusalem*. Ad Magnificat Antiph. *Nonne decem*.

Dominica decimaquinta post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Nolite solliciti*. Ad Missam Officium *Inclina Domine*. Oratio *Custodi Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam*. Epistola *Si vivimus Spiritu*. Evangelium *Nemo potest duobus Dominis servire*. Ad Magnificat Antiph. *Quærite primum*.

Dominica decimasexta post Pentecosten. Ad Benedictus Antiph. *Ibat Jesus in Civitatem*. Ad Missam Officium *Miserere mihi Domine*. Oratio *Ecclesiam tuam Deus*. Epistola *Obsecro vos, ne deficiatis*. Alleluja *Laudate Dominum*, & per quatuor Dominicas cum Organo cantatur. Evangelium *Ibat Jesus in Civitatem*. Ad Magnificat Antiph. *Accepit autem omnes timor*.

De Autumnali jejunio, in qua Hebdomada celebretur. CCLXXXV.

Licet Autumnale jejunium, nec institutio Officiorum, nec suppositio vacantis Dominicę, nec Statuta Sanctorum Patrum alicui septimanę tam specialiter videantur assignare ut reliqua jejunia, (a) est tamen Ecclesiastica consuetudo, ut si Kalendæ Septembris in quarta feria, aut antea evenerint, jejunium in tertia Hebdomada celebretur, & si in quinta, aut in sexta, vel in Sabbato contingerint, in quarta Hebdomada jejunandum erit: & est sciendum quod jejunia quatuor Temporum quatuor in Anno taliter in Ecclesia ordinantur Jejunium Vernale in prima Hebdomada Quadragesimæ. Æstivale in Hebdomada Pentecostes: Autumnale, sicut prædiximus, in tertia septimana Septembris, ita, ut semper in quarta feria inchoetur. Hiemale semper in Sabbato ante Vigiliam Domini terminetur, & memento, quod suprascripta quatuor Temporum jejunia sunt inviolabiliter observanda, & nulla voluntaria occasione mutanda, tum ut pro ubilibet ordinandis Domino supplicemus, licet enim in hac Ecclesia hodie ordinatio non celebretur, tamen cum Clerici alibi ordinentur, jejunandum est, & pro eis orandum, qui sunt nobis Fratres, & in dono unanimes, tum ut unitas Ecclesiæ diversis hominum usibus non divellatur. Quod quidem fieret, si uno prandente, alius jejunaret.

(a) De Jejuniis quatuor Temporibus rursus consule, quod alibi monui, quæ tradunt Cl. Muratorius Tomo II. Anecdotor, & Thomassinus *de jejuniis*.

De Feria quarta in jejuniis quatuor Temporum. CCLXXXVI.

FEria quarta in jejuniis quatuor Temporum Mensis Septembris. Ad Matutinum Lectiones de Homelia ex Evangelio secundum Marcum. *Respondens unus de turba*, & cum Responsoriis Dominicalibus. Ad Missam Officium *Exultate*. Postea Sacerdos stans versus ad Altare, ad primam Orationem non dicit *Dominus vobiscum*, sed tantum *Oremus*. *Flectamus genua*. *Levate*. *Deinde* Orationem *Misericordiæ tuæ remediis*. Postea Lectio *Ecce dies veniunt*. Graduales *Quis sicut Deus*. Postea Sacerdos revolvens se ad Populum dicit *Dominus vobiscum*, & non *Flectamus genua*. Oratio *Præsta quæsumus Domine familiæ tuæ*. Lectio *Congregatus est omnis Populus*. Graduale *Propitius esto*. Evangelium *Respondens unus de turba*: & nota quod in his jejuniis pulsatur separatim ad horas, & in Laudibus Matutinis, & horis dicitur *Kyrie eleison*. *Pater noster*, & cætera, *Et genu flexo*, nisi sit festum novem Lectionum: & jejunamus in cibo Quadragesimali. Ideo autem hac die duæ Lectiones leguntur, ut ordinandi in duobus præceptis charitatis, vel duabus legibus instruantur. Merito etiam in hoc Mense fit Clericorum ordinatio, quoniam in hoc fiebat Tabernaculorum celebratio: Ordinati vero sunt Ecclesiæ Ministri in Dei tabernaculo per septiformem gratiam in septem gradibus constituti, ideoque celebratur ordinatio in tertia septimana, quia in tertio tempore, scilicet gratiæ, fuit ab Apostolis instituta.

De Feria sexta: & quid fiat si festum trium Lectionum, vel novem Lectionum his diebus fuerit. CCLXXXVII.

FEria sexta ad Matutinum. Lectiones de Homelia Gregorii super librum quadraginta. (*a*) *Cogitanti mihi*, ex Evangelio *Rogabat Jesum*. Ad Missam Officium *Lætetur*. Postea Sacerdos dicit *Dominus vobiscum*, & non *Flectamus genua*. Oratio *Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut observationes*. Lectio *Convertere Israel ad Dominum*. Evangelium *Rogabat Jesum quidam Pharisæus*: & est sciendum, quod si aliquod festum trium Lectionum venerit in aliqua die istorum jejuniorum, in Vigilia ad Vesperum dicetur Capitulum, Hymnus, Versiculus de feria, & ad Magnificat Antiphona de Historia Dominicali, & Oratio Dominicalis, & postea

---

[a] Idest Quadraginta *Homil. in Evang.* Homil. XXXIII. hodieque legitur in Breviario Romano feria V. Hebdomadæ Passionis.

postea fit Collecta de festo per Antiphonam, Versiculum, & Orationem. Item ad Matutinum Invitatorium, & totum Matutinum de feria, & Homelia legitur de jejunio cum Responsoriis Dominicalibus; & de festo fit tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem, & in Missa post Orationem de jejunio dicitur Oratio de festo. Si autem festum novem Lectionum in his jejuniis occurrerit, Capitulum in Vesperis, & totum aliud Officium in Vesperis, & Matutino fiet de festo, præter septimam, & octavam Lectionem, quæ fiet de jejunio, cum Versiculo de feria, & Responsoriis de Historia Dominicali. In Laudibus post Orationem de festo dicetur *Domine averte faciem tuam a peccatis meis*, & Antiphona de Historia Dominicali, præterquam in Sabbato, ubi propria est Antiphona, & Oratio de jejunio.

De Sabbato in jejuniis quatuor Temporum. CCLXXXVIII.

SAbbato ad Matutinum leguntur Lectiones de Homelia Gregorii *Dominus ac Redemptor*, ex Evangelio *Arborem fici*. Ad Benedictus Antiph. *Dixit autem Dominus*. ℣. *Domine adverte faciem tuam*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam*. Ad Missam Officium *Venite adoremus*. Postea Sacerdos non dicit *Dominus vobiscum* ad aliquam Orationem usque ad sextam Orationem, scilicet *Deus, qui tribus pueris*, sed stans versus ad Altare, ad primam Orationem dicit *Oremus. Flectamus genua. Levate*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus qui per continentiam*, & sic per singulas Orationes dicit tantum *Oremus. Flectamus genua. Levate*, usque ad sextam Orationem. Postea sequitur Lectio prima *Decimo die Mensis*. Graduale *Protector noster*. Oratio *Da nobis Omnipotens Deus*. Lectio secunda *Quinto decimo*. Graduale *Propitius*. Oratio *Tuere*. Lectio tertia *Domine Deus noster pasce*. (a) Graduale *Ab occultis meis*. Oratio *Præsta quæsumus Domine sic nos*. Lectio quarta *Sicut cogitavi, ut affligerem*. Graduale *Domine Refugium*. Oratio *Sicut nos Deus*. Lectio quinta *Angelus Domini. Benedictus es Domine*, & cætera. Postea Sacerdos revolvens se ad Populum dicit *Dominus vobiscum*, & non *Flectamus genua*. Oratio *Deus qui tribus pueris*. Deinde dicat Orationem *de Sancta Maria*, & pro peccatis si vult, vel de aliquo Sancto, si ea die aliquod festum acciderit. Epistola *Tabernaculum factum est*. Tractus *Laudate*. Evangelium *Arborem fici habebat*.

De

(a) Pleraque horum hodieque legimus in Missali Romano, sed hæc ipsa cum nonnullo discrimine.

De decima ſeptima Dominica poſt Pentecoſten, & ſequentibus quinque. CCLXXXIX.

DOminica decima ſeptima poſt Pentecoſten. Ad Benedictus Antiph. *Cum intraret Jeſus*. Ad Miſſam Officium *Juſtus es Domine*. Oratio *Abſolve quæſumus Domine*. Epiſtola *Obſecro vos ego vinctus*. Evangelium *Cum intraret Jeſus in domum cujuſdam*. Ad Magnificat Antiph. *Cum invitatus*.

Dominica decima octava poſt Pentecoſten. Antiphona ad Benedictus *Magiſter quod eſt*. Ad Miſſam Officium *Da pacem*. Oratio *Da quæſumus Domine populo tuo*. Epiſtola *Gratias ago Deo meo*. Evangelium *Phariſæi audientes quod ſilentium*. Ad Magnificat Antiph. *Qui duobus*.

Dominica decima nona poſt Pentecoſten. Ad Benedictus Antiph. *Dixit Dominus Paralytico*. Ad Miſſam Officium *Salus Populi*. Oratio *Dirigat corda noſtra*. Epiſtola *Renovamini*. Evangelium *Aſcendens Jeſus in naviculam*. Ad Magnificat Antiphona *Ait Dominus Paralytico*.

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten. Ad Benedictus Antiph. *Dicite invitatis*. Ad Miſſam Officium *Omnia, quæ feciſti*. Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus univerſa nobis*. Epiſtola *Videte quomodo caute*. Alleluja *Memento*: & dicitur per quatuor Dominicas cum Organo. Evangelium *Simile factum eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo*. Ad Magnificat Antiph. *Nuptiæ quidem paratæ ſunt*.

Dominica vigeſima prima poſt Pentecoſten. Ad Benedictus Antiph. *Erat quidam regulus*. Ad Miſſam Officium *In voluntate tua*. Oratio *Largire quæſumus*. Epiſtola *Confortamini in Domino*. Evangelium *Erat quidam regulus*. Ad Magnificat Antiph. *Cognovit autem Pater*.

Dominica vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten. Ad Benedictus Antiph. *Dixit autem Dominus ad ſervum*. Ad Miſſam Officium *Si iniquitates*. Oratio *Familiam tuam*. Epiſtola *Confidimus in Domino*. Evangelium *Simile eſt Regnum Cælorum homini Regi*. Ad Magnificat Antiph. *Serve nequam*.

De Dominica vigeſima tertia poſt Pentecoſten, & de Epiſtolis, & Evangeliis ſuperabundantibus. CCXC.

DOminica vigeſima tertia poſt Pentecoſten. Ad Benedictus Antiph. *Magiſter ſcimus*. Ad Miſſam Officium *Dicit Dominus*. Oratio *Deus Refugium noſtrum*. Epiſtola *Imitatores mei eſtote*. Evangelium *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt*. Ad Magnificat Antiph. *Reddite ergo*. Si autem plures reperiantur Orationes, vel Epiſtolæ, vel Evangelia Dominicalia proprium non habent Officium, id fit quia Eccleſia in fine Mundi perſecutionibus

nibus Antichristi vexata sua Organa continebit, & ideo sub Officio precedentis Dominicæ, cui rectissime coaptantur, dicentur. Vel ideo proprio vacant Officio, quia sæpius abundare inveniuntur; semper tamen dicantur vel in Dominicis superabundantibus vel infra Hebdomadam.

Incipit de festis Sanctorum, ac primo de ipsorum Vigilus. CCXCI.

IN nulla Vigilia alicujus Sancti, Vespertinales Psalmos de feria mutamus; nam si festivitas novem Lectionum de Sanctis a nobis celebrandis evenerit apud nos, in Vigilia ipsius festivitatis Officium suum a Capitulo Vesperi incipitur, & per totum diem subsequentem, & in Vesperis de eadem festivitate fiet, præterquam in festo Nativitatis Domini, Assumptionis, & Nativitatis Sanctæ Mariæ, Solemnitatis omnium Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiæ nostræ, de quibus Vesperum habet initium: si autem duæ festivitates novem Lectionum duobus diebus continuis advenerint, si præcedens æqualis subsequenti fuerit, a Capitulo similiter incipit in Vesperis, & de festivitate illius diei in fine per Antiphonam, & Orationem commemoratio fiat: Si autem præcedens præclarior fuerit, per totum diem in horis, & in Vesperis per Antiphonam, & Capitulum, Hymnum, Versiculum excellentiam habeat, & in fine de subsequenti commemoratio fiat, ut dictum est. Si autem subsequens festivitas præclarior fuerit, ipsa a Capitulo Officium suum incipit, præcedens autem Antiphonas super Psalmos obtinet.

De Vigilia festivitatum, quæ in secunda feria veniunt. CCXCII.

OMnes majores festivitates, quas cum Officio, & jejunio celebramus, si secunda feria venerint, earum Vigilias in die Sabbati devote ac sancte jejunare debemus. Item si ea die fuerit festum novem Lectionum, in Matutino totum Officium fiet de festo, & Missa dicetur de Vigilia, in qua fiat commemoratio de festo per Orationem, vel dicantur duæ Missæ, una de festo, & alia de Vigilia, in qua jejunamus: & nota quod in nulla Vigilia, quæ jejunatur, solemniter cantatur Alleluja, quia Vigilia spectat ad afflictionem, Alleluja ad gaudium, & ideo non bene conveniunt. Item nota quod in qualibet Vigilia, quæ solemniter jejunatur, singulariter pulsatur ad Tertiam, Sextam, & per intervalla horæ dicuntur sicut in Quadragesima, & in Laudibus, & per omnes horas diei dicitur *Kyrie eleison. Pater noster, & Miserere mei Deus*, nisi fuerit ea die aliquod festum, sed ad Nonam horam non dicitur *Kyrie eleison* in Vigilia, vel in Sabbatis.

De

De Vigilia, & ordine Officii in Festo S. Andreæ. CCXCIII.

IN Vigilia Sancti Andreæ Apostoli, quæ proprio decoratur Officio, Ad Missam Officium *Dominus secus mare*. Oratio *Quæsumus Omnipotens Deus*. Epistola *Benedictio Domini*. Evangelium *Stabat Joannes*. Ad Vesperum Capitulum *Corde enim creditur*. ℟. *Mox ut vocem Domini*. Hymnus *Exultet Cœlum*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Unus ex duobus*. Oratio *Majestatem tuam*. Ad Matutinum Invitatorium *Christum Regem*. Hymnus *Exultet Cœlum*. In primo Nocturno Antiph *Vidit Dominus*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Venite*. Psalm. *Benedicam Dominum*. Antiph. *Relictis retibus*. Psalm. *Eructavit*. ℣. *In omnem terram*. In secundo Nocturno Antiph. *Dignum sibi*. Psalm. *Omnes gentes*. Antiph. *Dilexit Andreas*. Psalm. *Exaudi Deus*. Antiph. *Non permittas*. Psalm. *Exaudi*. ℣. *Constitues*. In tertio Nocturno Antiph. *Salve Crux*. Psalm. *Confitebimur*. Antiph. *Ego si patibulum Crucis*. Psalm. *Dominus regnavit*. Antiph. *Recipe me*. Psalm. *Dominus regnavit, irascantur*. ℣. *Nimis honorati*. Sex Lectiones de Passione leguntur ipsius, quam Presbyteri Asiani scripserunt, quæ sic incipit: *Passionem Sancti Andreæ*, & tres ultimæ de Homelia Beati Gregorii super quadraginta, (a) ex Evangelio Matthæi *Ambulans Jesus juxta mare Galileæ*. (b) Responsoria de propria Historia *Dum perambularet Dominus*, & cætera; ut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Videns Crucem Andreas*, vel *O bona Crux*. In Laudibus Antiph. *Salve Crux*, & cæteræ. Capitulum *Corde creditur*. Hymnus *In his Paterna*. ℣. *Annuntiaverunt Opera Dei*. Ad Benedictus Antiph. *Concede nobis*. Oratio *Majestatem*. Ad Primam Antiph. *Beatus Andreas*. Ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Corde creditur*. Evangelium *Ambulans Jesus*. Præfatio *Te Domine suppliciter*. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam Antiphonæ de Laudibus, & ℟., & ℣. de Apostolis. Ad Vesperum Antiphonę de Laudibus cum Psalmis de Apostolis. Ad Magnificat Antiph. *Cum pervenisset*. Usque ad Octavam facimus commemorationem de ipso in Laudibus per hanc Antiph. *Concede nobis*, & in Vesperis per hanc Antiph. *Christus me misit*, & Oratio *Majestatem*.

Quan-

(a) Notissima sunt Acta hæc, de quibus consule Fabricium, Tillemont To. I. *Histor. Eccles.*, & alios Scriptores nostros.
(b) Homil. V. *in Evang.* hodieque eam legimus *in Roman. Breviar.*

Quando festum Sancti Andreæ, vel alia festa in prima Dominica de Adventu occurrunt. CCXCIV.

NOtandum autem, quia cum festum Sancti Andreæ in prima Dominica Adventus Domini occurrerit, in Sabbato ad Vesperum dicitur Capitulum *Hora est*. ℟. *Missus est*. Hymnus *Conditor*. ℣. *Rorate Cæli*. Ad Magnificat Antiph. *Ecce Nomen Domini*. Oratio *Excita Domine*. Demum ℟. de Apostolo *Mox ut vocem Domini*. Oratio *Majestatem tuam*. Item Antiphona, & Oratio *de Sancta Maria*, & *de Sanctis*, & *Benedicamus Domino* cum Organo. Ad Matutinum Invitatorium *Domine præstolamur Adventum*. Hymnus, Antiphonę, & Responsoria de Adventu: tres primæ Lectiones de Isaia, tres in medio de Apostolo, cum ℟. de sua Historia, septima, & octava Lectio de Homelia *Erunt signa in Sole*, & nona de Apostolo, & ultimum ℟. *O bona Crux*, & *Te Deum laudamus*. In Laudibus Antiphonę de Apostolo. Capitulum *Corde enim*. Hymnus *In his Paterna*. ℣. *Dilexit Andream Dominus*. Ad Benedictus Antiph *Concede*. ℣. *Dilexit Andream*. Oratio *Majestatem tuam*. Item de Adventu Antiph. *Spiritus*. Oratio *Excita Domine*, & Collecta *de Sancta Maria*, & *de Sanctis* per Antiphonam, & Orationem; & *Benedicamus* dicatur cum Organo. Item ad Primam, & Tertiam, & Sextam, & Nonam dicuntur Antiphonę de Laudibus Apostoli, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis, & in Vesperis similiter. Prima Missa de Apostolo, secunda de Adventu, & Major de Apostolo. Hoc autem, quod dicimus de festo Sancti Andreæ, omnino volumus observari in festo Sancti Ansani, Sancti Nicolai, Sanctæ Luciæ, & Sancti Thomæ Apostoli, si in Dominica venerint.

De festo Sancti Ansani, & qualiter per totum annum sero de festo fiat Vigilia. CCXCV.

KAlendis Decembris festum Beati Ansani Martyris celebratur, cujus pretioso Corpore nostra Ecclesia Deo concedente gloriatur, & festivitas ejus apud nos antiquitus devotissime celebratur. In Vigilia ad Vesperum Antiphona super Psalmos *Salve Crux*, & cæteræ. Præcantatis Psalmis de Apostolo Capitulum *Justum deduxit Dominus*. ℟. *Domine prævenisti*. Hymnus *Deus tuorum Militum*, & cum Organo. Ad Magnificat Antiph. *Iste est, qui pro lege Dei sui*, quæ primo, & postea cantatur cum Organo, & finitur cum neumate. Oratio *Propitiare*. Postea Antiphona, & Oratio de Apostolo. Vigiliam celebriter hac die nostra Ecclesia celebrat hoc modo: Congrua hora in Solis occasu, post tertiam pulsationem, Clero, & Populo in Ecclesia congregato, Sacerdos Hebdomadarius, vel

Archipresbyter in Choro incipit *Deus in adjutorium meum intende*, & cætera. Postea Cantor cum duobus in Choro incipit Invitatorium *Æterni Patris*. Psalm. *Venite*, & totum cum Organo. Deinde Antiph. *In Lege Domini*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Prædicans*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Voce mea*. Psalm. *Domine quid multiplicati*. ℣. *Gloria & honore*. Postea tres Lectiones de ipsius legenda leguntur. Primum ℟. *Iste Sanctus*, & tantum Versus cantatur cum Organo. Post secundam Lectionem cantatur ℟. *Domine prævenisti*, & totum cum Organo, *Et cum Gloria*: post tertiam Lectionem dicitur *Te Deum laudamus* solemniter. ℣. *Ora pro nobis Beate Ansane*. Antiph. *Iste est*. Psalm. *Benedictus*; & hac hora Antiphona tantum post cantatur cum Organo. Oratio *Propitiare*. Postea *Benedicamus Domino* cum Organo. Hunc ordinem per totum annum conservamus in Ecclesia nostra, quandocunque de festivitate alicujus Sancti sero Vigiliam celebramus.

De Matutino: CCXCVI.

AD Matutinum Invitatorium *Æterni Patris*. Hymnus *Deus tuorum*. Antiph. *In lege*, & cæteræ, quæ semper ante Psalmum, & post totæ cantantur æquali voce. Sex Lectiones leguntur de Passione ipsius, quæ sic incipit: *Refertur in Scripturis Divinis*. Tres ultimæ de Homelia Beati Remigii ex Evangelio *Nihil est opertum*. Omnia Responsoria, & Versiculi de uno Martyre cantentur. Nonum ℟. *Iste est qui ante Deum*. Postea *Te Deum laudamus* cum Organo ℣. *Posuisti Domine*. In Laudibus Antiph. *Qui me confessus*, & cæteræ. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Martyr Dei, qui unicum (a)*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Iste est*, quæ primo tota cum Organo, & postea finitur cum jubilo. Oratio *Propitiare*, & Collecta *de Sancto Andrea*, & de aliis per Antiphonam, & Orationem. Ad Primam, & alias horas diei Antiphonę de Laudibus. Ad Missam Officium *Lætabitur justus*. Epistola *Beatus vir*. Evangelium *Nihil est opertum*. Postea hora solita cantamus de Martyre Missam Majorem solemniter cum Diacono, & Subdiacono. Ad Vesperum Antiphonę de Laudibus festi.

Qualiter usque Octavam fiat Collecta de S. Ansano; & quid si die Dominico veniat. CCXCVII.

USque ad Octavam facimus Commemorationem de Beato Ansano hoc modo. In Laudibus Matutinis per hanc Antiph. *Sancte Ansane*, *Mar-*

(a) Require in Veteribus Breviariis.

Martyr Christi pretiose, adesto nostris precibus pius, ac propitius. Et sero in Vesperis per Antiphonam *Ora pro nobis Beate Ansane*: & si hoc festum venerit in prima Dominica de Adventu, idem Ordo servetur, qui supra dictus est de Beato Andrea, quando veniret die Dominico: & nota quod sive sit festum, sive non, semper in Sabbato, & die Dominico, ad Vesperum Antiphona ad Magnificat tota canitur ante Psalmum, & post Psalmum, pro eo quod tunc Altaribus, & Clero datur incensum, ut spatium redeundi habeat ad dicendam Orationem Sacerdos, qui portat incensum (a).

De Festo Sanctæ Barbaræ Virginis. CCXCVIII.

DE Sancta Barbara ad Vesperum, Capitulum *Qui gloriatur*. Hymnus *Jesu Corona*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Veni Sponsa Christi*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Virginum*. Hymnus *Jesu Corona*. Postea Antiphonę, & omnes Psalmi de Nocturno feriali. ℣. *Specie tua*. Tres Lectiones leguntur de Virginibus, nam legenda, quæ est in Passionario nostro de ipsa, potius videtur fabula, quàm veritas, & in Ecclesia nostra legi non consuevit.

De falsis, & apocryphis Codicibus in Ecclesia non legendis. CCIC.

CUrandum est, & Sacerdotali diligentia providendum, ne falsi Codices, & a sincera veritate discordes, in nullo usu Lectionis habeantur; quæ habent semina falsitatum, non solum hæc interdicenda sunt, sed etiam penitus auferenda, ignibusque concremanda, quia quamvis in illis quædam sint, quæ videantur habere speciem pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seducti laqueo cujusque implicentur erroris. Unde si quis Episcoporum apocrypha habere non prohibuerit, vel eos libros, qui ab Hæreticis vitiati sunt, in Ecclesia legi permiserit, veluti Hęreticum se noverit judicandum, quoniam qui alios ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat.

(a) Cęterum solemnius Officium de Sancto Ansano ex Codice 100. Bibliothecæ Bandinianæ desumptum habes pag. 60. & seqq. Tomi IV. Miscellaneorum Baluzii Edit. Lucensis.

De Sancto Dalmatio, & ordine Officii in Festo trium Lectionum. CCC.

DE Sancto Dalmatio Episcopo, & Confessore facimus tantum tres Lectiones. Unde notandum est, quod quando de festo facimus tres tantum Lectiones, hunc ordinem in Officio servamus. Ad Vesperum in Vigilia Capitulum, Hymnum, Versiculum, Antiph. *ad Magnificat*, & Orationem dicimus de festo. Si tamen festum novem Lectionum ea die fuerit, Antiphonam super Psalmos, & Capitulum, & totum aliud dicemus de festo novem Lectionum, & post Orationem ipsius, fiat tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem de festo trium Lectionum sequentis dici. Item ad Matutinum in die festi Invitatorium, & Hymnus de festo, postea Antiphonę, & Psalmi de feria, Versiculi, Lectiones, & Responsoria de festo, & non dicitur *Te Deum laudamus*, sed Versiculus, & sub prima Antiphona de Laudibus festi dicuntur Versiculus, Psalmi, Deinde Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiph. *ad Benedictus*, & Oratio de festo. Ad primam Antiphona secunda de Laudibus festi. Ad Missam Officium de festo, sine *Gloria in Excelsis*. In fine dicitur *Benedicamus Domino*. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam Antiphonę de Laudibus festi, & post Nonam dimittimus facere de festo. Item ad Vesperum dicitur de feria tantum, & tunc in mane Vigilias, & sero post Nonam Vesperas pro Defunctis dicimus.

De Vespero, & Vigilia in Festo Sancti Nicolai. CCCI.

DE Sancto Nicolao Episcopo, & Confessore ad Vesperum Capitulum *Ecce Sacerdos*. ℟. *Quadam die*, & eo incepto, statim imus ad Altare ipsius cantando illud, & tunc datur incensum primo Altari ipsius, & postea aliis, & Clero, & Populo. Hymnus *Iste Confessor*, & cum Organo. ℣. *Amavit eum Domino*. Ad Magnificat Antiph. *O Pastor*, quę primo, & post tota æquali voce cantatur. Postea *Benedicamus* cum Organo. Quia vero in Ecclesia nostra habere meruimus Altare in ejus vocabulo consecratum, circa Solis ad occasum hora congrua, Vigiliam de Sancto Nicolao facimus, (*a*) Invitatorium, & tres Antiphonas cum tribus Psalmis de primo Nocturno Historiæ illius cantantes, & tres Lectiones de sua legenda, & de sua Historia primum, & secundum ℟. cujus ℣. tantum, & *Gloria* cum Organo cantamus, & *Te Deum Laudamus*. Postea ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *O Christi Pietas*, quæ tantum post Psalmum æquali voce cantatur. Demum *Benedicamus Domino* solemniter cantetur.

De

[*a*] Vide quæ diximus ad Cap. LII. annot. [*b*]

De Matutino. CCCII.

AD Matutinum Invitatorium *Adoremus Regem sæculorum*. Hymnus *Summe Confessor*. (a) In primo Nocturno Antiph. *Nobilissimus*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Postquam*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Pudore*. Psalm. *Domine quid multiplicati*. ℣. *Amavit eum*. In secundo Nocturno Antiph. *Auro*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Innocens*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Gloriam*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Justum deduxit*. In tertio Nocturno Antiph. *Pontifices*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Sanctus quidem*. Psalm. *Domine in virtute*. Antiph. *Muneribus*. Psalm. *Domini est*. Omnes Antiphonæ ante Psalmos, & post finiantur. ℣. *Magnificavit*, & omnes Lectiones de ipsius legenda legimus, quæ sic incipit *Nicolaus ita*. Responsoria de propria Historia cantamus, & tantum Versiculum cum Organo *Confessor Dei Nicolaus*. Nonum ℟. *Sancte Dei Præsul*. In Laudibus Antiph. *Beatus Nicolaus*, & cæteræ. Capitulum *Ecce Sacerdos*. Hymnus *Tu procul casus*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *O Christi Pietas*. Hac die Majorem Missam cum Diacono, & Subdiacono solemniter cantamus post Missam Matutinalem, in qua dicitur, Officium *Statuit ei*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Videte, vigilate*. Per omnes horas diei, & in Vesperis Antiphonæ de Laudibus. Ad Magnificat Antiph. *Clementissime*. Si autem hoc festum venerit in Dominica, idem ordo servetur qui supra dictus est in festo Sancti Andreæ. (b)

De

(a) Consule pag. 401. Tom. II. Oper. Card. Thomas.

[b] Quoniam vero ex alio Codice pariter Senensi, quem exscripsit, & ad me misit sæpe laudatus Cl. Joseph Abbas Ciaccheri, integrum, illudque valde solemne S. Nicolai Officium habemus, rem Lectori valde gratam me facturum spero, si illud, qualecunque tandem sit, evulgetur. En itaque illud:

In Natali S. Nicolai.

Antiph. O *Pastor æterne, o clemens & bone custos, qui dum devoti gregis preces ad tendis voce lapsa de Cælo Præsule. Sanctissimo dignum Episcopatu Nicolaum ostendisti tuum famulum*. Psalm. *Magnus &c.*

Invitatorium. *Adoremus Regem sæculorum, in quo vivit Nicolaus honor Sacerdotum*. Psalm. *Venite*.

In primo Nocturno Antiph. *Nobilissimis siquidem Natalibus ortus, velut Lucifer, Nicolaus emicuit*. Psalm. *Beatus*.

Antiph. *Postquam domi puerilem decursit ætatem, cunctis Mundi hujus spretis oblectationibus, Christi se jugo subjiciens, documentis sanctis suum præbuit auditum*. Psalm. *Quare fremuerunt*.

Antiph. *Pudore bono repletus Dei famulus, sumptibus datis, stupri nefas prohibuit*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Amavit eum*.

℟. *Confessor Dei Nicolaus nobili progenie, sed nobilior moribus, ab ipso puerili ævo secutus Dominum meruit Divina revelatione ad summum provehi Sacerdotium*. ℣. *Erat enim valde compatiens, & super afflictos pia gestans viscera*.

ra. Ab ipso. ℟. *Operibus Sanctis Nicolao humiliter insistente, revelatione Divina provectus est ad summum Sacerdotii gradum.* ℣. *Voce quippe de Cœlo lapsa cuidam insinuat Præsuli dignum Episcopatu Nicolaum. Adsum.* ℟. *Quadam die tempestate sævissima quassati Nautæ cœperunt Sanctum invocare Nicolaum, & statim cessavit tempestas.* ℣. *Mox illis clamantibus apparuit quidam dicens eis: ecce adsum quod vocastis me. Et.*

In secundo Nocturno Antiph. *Auro virginum incestus, auro patris earum inopiam, auro prorsus utrorumque detestabilem infamiam Dei servus ademit Nicolaus.* Psalm. *Cum invocarem.*

Antiph. *Innocenter puerilia jura transcendens Evangelicæ institutionis Discipulus effectus est.* Psalm. *Verba.*

Antiph. *Gloriam Mundi sprevit cum suis oblectationibus, & ideo meruit provehi ad summum Sacerdotii gradum.* Psalm. *Domine Dominus noster.* ℣. *Justum deduxit Dominus.*

In secundo Nocturno Antiph. *Audiens Christi Confessor trium juvenum innocentum necem, præcurrit quantocius ad locum, quo fuerant plectendi, & liberavit eos.* ℣. *Statimque solutos a vinculis usque ad prætorium Consulis secum adduxit. Quo.* ℟. *Beatus Nicolaus jam triumpho potitus novit suis famulis præbere cœlestia commoda, qui toto corde quærunt ejus petitiones, illi nimirum tota nos devotione oportet committere.* ℣. *Ut apud Christum ejus patrociniis adjuvemur semper. Illi.* ℟. *Qui cum audissent S. Nicolai nomen, statim expandunt manus utrasque ad Deum, Salvatoris laudantes clementiam.* ℣. *Clara quippe voce coram hominibus dignum referebant illum Dei famulum. Statim.*

In tertio Nocturno Antiph. *Pontifices almi Divina revelatione glorificati Nicolaum suum præsulem devotissime consecraverunt.* Psalm. *Domine quis.*

Antiph. *Sanctus quidem triticum, quod a nautis postulaverat, acceptum & sagacitate distribuere, & augere precibus impetravit.* Psalm. *Domine in virtute.*

Antiph. *Muneribus datis neci sunt juvenes innocenter adducti, quibus Domini servus fuit vita præsidium festinanter.* Psalm. *Domini est terra.*

℟. *Laudemus Dominum in Beati Antistitis Nicolai meritis pretiosis. Ad Sepulchrum ægri veniunt, & sanantur.* ℣. *Nicolaus Dei famulus relinquens omnia secutus est Christi vestigia. Ad Se.* ℟. *Ex ejus tumba marmorea sacrum desudat oleum, quo liniti sanantur cæci, surdis auditus redditur, & debilis quisque sospes resiliet.* ℣. *Catervatim ruunt populi cernere cupientes, quæ per eum fiunt mirabilia. Et debilis.* ℟. *Sancte Dei Præsul Nicolae tuam catervam protege, namque credimus tuis precibus nos semper esse salvandos.* ℣. *Qui tres pueros morti deditos illæsos abire fecisti, tuis laudibus instanter conserva plebem. Namque.*

In Laudibus Antiph. *Beatus Nicolaus Pontificatus infula decoratus talem se exhibuit, ut ab hominibus amaretur.*

Antiph. *Ecclesia Sancta frequentant limina sacra, pectore mandata condebat sagaciter.* [arbitror legendum *frequentans ... pectore condebat mandata sagaciter.*]

Antiph. *Infantia teneriori decursa corpus jejuniis macerabat.*

Antiph. *Sancte & juste vivendo ad honorem Sacerdotii meruit revelari divinitus.*

Antiph. *O per omnia laudabilem virum, cujus precibus ab omni clade liberantur, qui ex toto corde quærunt illum.* ℣. *Ora pro.*

Ad Benedictus Antiph. *O Christi pietas omni prosequenda laude, qua sui famuli me-*

merita longe lateque declarat ; nam ex tumba ejus oleum manat, cunctosque languidos sanat.

Antiph. *Sancte Nicolae Confessor Domini pretiose adesto nostris precibus pius, ac propitius.*

In Sancti Nicolai Episcopi Lectio.

Nicolaus itaque ex illustri prosapia ortus Civis fuit Patera Urbis, quæ una ex Nobilissimis Lidiæ Civitatibus, tanto quondam famosissima rutilavit, quanto & populoso frequentabatur accessu. Præfata vero Urbe, quæ adhuc multa plebium generositate est referta, parentes ejus inter catervas potentium, quanta honorificentia celebrabantur, tanto superna Patria accensi desiderio magis cælestis, quàm terrena dignitatis gloriam appetebant. Revera cum essent nimium locupletati, nullius honoris insignia, nulliusque summæ dignitatis disponere moderamina voluerunt, & omni studio continentium se lege vincientes cœlibem vitam actitare satagebant. Et mirum in modum, cum in primævo juventutis flore hunc solum genuissent filium, cunctis se voluptatibus abdicarunt, & inter suas preces, quas frequenter in Domini templo fundebant, hunc solum superstitem, hunc non tantum divitiarum, quantum & morum flagitabant hæredem. Quorum vota Deus ex alto prospectans haud petitioni eorum defuit, nimirum qualis futurus esset puer, in ipso, ut ita dicam, primordio nativitatis ejus Dominus monstrare dignatus est. Etenim cum adhuc Matris lacte aleretur, cœpit bino Hebdomada die, quarta scilicet, & sexta feria, semel bibere mammas, & hac vice contentus tota die sic permanebat. Puerilibus igitur annis, ut Patriarcha Jacob domi simpliciter transactis, cœpit bonæ indolis adolescens esse, & non sicut illa ætas assolet, lasciviam complexus est Mundi, sed nunc parentum comitatus vestigia, nunc solus Ecclesiarum tenebat limina, & quæ ibi de Scripturis paulo advertebat auditu, non immemor armariolo condibat pectoris. Ut autem utroque parente orbatus est, sæpius illud Evangelicum ante sua mentis deducebat oculos : Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Et cum anhelaret ad perficiendum, quod pio vertebat in pectore, juvenilem formido cœpit titillare mentem, ne fænerabilis percelleret aura, quicquid pro Christo facere disponebat. Hæc secum dum tacitus cogitaret, ad Deum vero cunctum desiderii sui pandens velamen, deprecabatur, ut ille, qui habet omnium scientiam inspirare dignaretur ei, quatenus de tantis sibi relictis opibus sic ordinaret, ut muta laude humana, conspectui placeret divino. Talia eo cogitante accidit, ut quidam conjuganeus ejus nimium locuples ad tantam deveniret inopiam, ut nec etiam necessaria vitæ haberet. Quid plura ? Urgente inedia tres virgines, quas habebat filias, fornicari constituit, ut earum saltem infami commercio, infelicem ageret vitam. Proh pudor! Extemplo fama tanti mali, cujus non aliud velocius viget mobilitate, totam perculit urbem, & multiplici populum sermone replebat. Et ubi Sanctus comperit Nicolaus, condoluit miserrimo homini, atque virginum execrans stuprum, decrevit omnino ex suis abundantiis eorum supplere inopiam, ne puellæ nobilibus ortæ natalibus lupanari macularentur infamia. Sed cum nollet alium in suis factis, nisi Christum habere contemplatorem, cœpit explorare temporum vices, quod id operaretur sic, ut etiam eos lateret, quibus fiebat. Facta ergo cujusdam noctis hora, sumens non modicum aurum,*

ligan-

ligansque in panno, perrexit ad domum viri, quam undique circumspiciens, per fenestram, quæ competens videbatur, clam intro projecit; clamque discessit. Mane itaque facto cum surrexisset homo ille, aurumque reperisset illud, obriguit primum, at tunc quanto gestivit gaudio, quantasve gratias Deo egit, si quis velit, ex obortis ejus lacrymis potest advertere. Celebratis itaque ex more primogenitæ Filiæ suæ nuptiis, cœpit homo diligenter inquirere, quis esset, qui illius inopiæ tantam præstitisset humanitatem. Cumque diu talia moliretur, Nicolaus haud multo post primi simile peregit opus; ubi vero terris reddita est dies, prosiliit homo de strato suo, invenitque fulvi ponderis metalli priori æquale. Tunc tanto exaltavit gaudio, ut si Homeri, aut Maronis adesset fecunda loquacitas, in tantarum magnitudine laudum exprimenda succumberet. Sed nos nonnulla orationis ejus prosequentes, cætera sagaci Lectori melius sub silentio ad intelligendum relinquere, quàm indagare velinquimus. Oravit autem sic: Domine, Domine, inquit, absque cujus nutu nec passer ad terram, nec folium cadit arboris, deprecor ineffabilem Clementiam tuam, ut tu, qui omnia nosti, ostendere digneris mihi peccatori, quis sit ille, qui tanta bona erga me exhibere non desinit. Hoc autem, Domine, in Deo peto, non ut eum temerario ausu pollutis contingere queam manibus, sed ut sciam famulum tuum, qui inter homines degens, Angelicam habet conversationem, & magnificem nomen tuum benedictum in sæcula. Talibus orabat dictis, talibusque se hortabatur sermonibus: auferam certe somnum ab oculis meis, excubabo sollicitus, vigilansque pernoctabo: forsitan ostendet mihi Dominus servum suum. Dixit, & dictum cœpit operibus exercere. Interea paucis admodum evolutis diebus, ecce cultor Trinitatis advenit Nicolaus, & iterata vicis factum, trino supplere cupiens numero, & æquale duorum jactavit talentum, cujus sonitu excitatus homo, statim egressus jam vadentem, jamque fugientem tali subsequebatur voce: siste gradum, teque aspectui ne subtrahas meo. Olim te concupivi cernere, olim te desideravi. Sic faciens ocior advolat, spatioque concepto, Nicolaum cognovit per umbram. Mox humi prostratus osculari satagebat pedes ejus. Qui Sanctus, pio ut erat pectore, prohibuit fieri, sed breviter allequutus exegit ab eo, ne cuiquam, qui vitales caperet auras, Nicolaum hujus rei indicaret auctorem. Felix felicem imitatus est Magistrum, qui non solum homines, sed etiam Dæmones comprimebat, ne famam ejus ferrent in populo, ille enim ne falsa veris miscerent, iste autem ne quolibet extolleretur munusculo, interdixit homini, ut nullo modo panderet nomen ejus. Hic omnibus votis colendus, omnibusque præconiis extollendus, qui sciens duobus non posse placere Dominis, unum elegit, cujus onus leve est, cujus jugum ferre suave est, cui tota devotione colla submittens ponderosam sarcinam Mundi cum oblectatione sua projecit. Noluit enim quamquam sæculi captare famam, ne Sanctorum contubernio privaretur, committens se Deo assidue, qui dispensat & ordinat omnia, quando vult, & quomodo vult. His itaque transactis Mirea Metropolis Civitas orbata est suo Antistite, cujus obitum non mediocriter adjacentium Parochiarum condolentes Episcopi (fuerat enim bene morigeratus ac Religiosus) conveniunt in unum cum Clericis cunctis, ut annuente Domino Jesu Christo Domino, providerent illi Ecclesiæ secundum scita canonum idoneum Præsulem. Conventione itaque facta intererat quidam Pontifex, magnæ auctoritatis vir, ad cujus intuitum omnium pendebat sententia, ut quem ille voce proderet, hunc procul dubio eligerent uni-

universi. Hic ergo per omnia sequens Apostolorum vestigia, cunctos jejuniis & devotissimis precibus hortatus est insistere, quatenus ille, qui Matthiam indidit, ut numerum suppleret Apostolicum, ipse solita clementia pandere dignaretur quem vellet fungi tanto Sacerdotio. (Reliqua ex Breviario manuscripto Codice Memb. n. 798. deprompta sunt.) *Tunc omnes, qui cœlesti commovebantur oraculo, se conversi ad Dominum flagitabant ex intimis praecordiis, ut Pastor æternus utilem suarum ovium Pastorem ostendere dignaretur. Illis quippe cum summa devotione orantibus de Cœlo audiunt vocem dicentem:* ut Sanctus prædictus ingrediens ante Portas Ecclesiæ staret: *& quem primum Matutinali hora venire conspicerent, & ipsum consecrarent Antistitem, adjungentem etiam, quod* Nicolaus *vocitaretur. Tunc Præsul ille cæteris Episcopis hanc suam revelationem narrans adjecit, vobis in Oratione persistentibus, ego forinsecus excubabo. Orate omnes, ecce ego excubabo . . . quod non privemur beneficio Domini. Sic ait, & valvas Basilicæ sancta calliditate observabat mirum in modum in Matutinali hora, qui a Deo missus ante omnes se agebat Nicolaus, cumque ad Ecclesiæ januas propinquasset, injecta manu eum apprehendit Episcopus, blandeque sciscitatus est dicens: quale habes nomen? Ille Columbina ut erat simplicitate plenus, inclinato capite,* Nicolaus, *inquit, vestræ Sanctitatis servus. Cui protinus Præsul palmis innexis ait: fili veni mecum: est aliquod secretum, quod tua indoli fari debeam. Mox introgressus, en fratres, proclamavit: verè ait Dominus:* quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, credite quia accipietis & fiet vobis: *ecce quidquid petimus, accipimus, en adest, de quo vestra flagitavit Charitas. Quo viso, ingens in omnes tulerunt clamorem ad sydera, & laici cunctatim Salvatoris laudabant magnalia. Episcopi lætabantur pro collega cœlitus sibi collato. Clerici plaudebant, sicut bonæ pecudes. Quid multis morer? Licet plurimum renitens obstiterit, plurimumque recusaverit, inthronizatus illicò, sicut mos exigebat regionis illius, Pontificalem accepit Infulam. Pontificali ergo Cathedra sublimatus eamdem morum gravitatem, quam prius, eamdemque sectabatur humilitatem. Creber in Oratione pervigilabat, Corpus atterebat jejuniis, Mulierum consortia, licet ab ipso pueritia sua tempore exhorruerit, tamen ex hoc quasi quamdam pestem fugiebat. In suscipiendis Hospitibus humilem, in loquendo efficacem se præbebat. Alacer erat in exhortando, severus in corripiendo. Viduarum, & Orphanorum, atque oppressorum sic negocia curabat, ac si propria essent. Rapinam execrabatur potentum, arguebat vinolentos; & si quem fortè aliquo casu afflictum cernebat, eum mirabiliter refovebat, mirabiliterque consolabatur. Crescebat quotidie fama bonitatis ejus, quæ ubique laudem ferebat Nicolao; hinc potens, hinc impotens illum nominabat. Gaudebat populus cunctus de tali Patrono, lætabatur Clerus de tanto Pontifice, qui ita se auctoritate, & gratia plenum exhibebat, ut omnium gereret curam, & Episcopalem dignitatem non amitteret. Verum tempus antea deficeret, quin & sermo defineret, si de singulis ejus meritis scribere tentavero. Sed qui scire voluerit, qualem se, quantumcumque perstiterit, mordacem comprimat dentem, & ex subjectis agnoscere evidenter valebit. Cum igitur omnium charismatum virtute corroboraretur* Nicolaus, *& nihil sibi, sed totum Dei gratiæ tribueret, cœpit coruscare miraculis, ut non tantum sui, sed etiam alieni quibuslibet oppressi angustiis, invocato nomine ejus statim sentirent levamen. Quadam vero die cum quidam nautæ subita Maris tempestate periclitarentur,*

 adeo

De Sancto Ambrosio: & quid fiat si in Dominica veniat, & de Sancto Zenone Episcopo, & Confessore. CCCIII.

De Sancto Ambrosio novem Lectiones legimus de sua legenda, & Antiphonas, & Responsoria de Confessoribus cantamus, & si die Dominico venerit, Sabbato post Orationem de Dominica fiet de ipso Collecta per Antiphonam, & Orationem, & ad Matutinum tres Lectiones in medio de sua legenda, & in Laudibus, & Missa fiet de ipso Collecta post Orationem de Dominica.

De Sancto Zenone Episcopo, & Confessore tres Lectiones facimus.

De

---

adeo ut præsentem illis intentarent omnia mortem, extemplo dissolutis frigore membris clamitabant: Nicolae, famule Dei, si vera sunt quæ de te audivimus, nunc nos ea in supremo periculo constituti experiamur, quatenus eruti ex sævientibus fluctibus maris, Deo & tuæ liberationi gratias agamus. Mira res. Talia referentibus apparuit quidam in similitudine S. Nicolai dicens eis: vocastis enim me: ecce adsum. Et cœpit eos in rudentibus, & in antennis, aliisque adjuvare Navis armamentis: & non multo post omnis Pelagi cecidit fragor, omnisque cessavit tempestas. Tunc læti nautæ pacata sulcantes æquora, quantocius optatum subeunt portum. Quod egressi sciscitabantur, quis Nicolaus esset. Cum autem indicatum fuisset eis, in Ecclesiam e vestigio ingressi, mirabile dictu! quem numquam noverant, sine indice cognoverunt. Mox prostrati ad pedes ejus, cœperunt ei gratias agere dicentes: qualiter de confinio Mortis ipso suffragante liberati essent: non mea, inquit, possibilitatis arbitremini esse, quod factum est; solita est Dei Misericordia: qui non propter me indignum famulum suum, sed propter credulitatem fidei vestræ, vobis succurrere dignatus est. Discite ergo quantum valeat apud Dominum Fides pura, & petitio non ficta. Propter peccata enim nostra quotidie flagellamur; si tamen ex toto corde ad bonum Dominum conversi fuerimus, viscera misericordiæ suæ illico super nos commovet, & eripit de imminentibus periculis. Idcirco Fratres non pigeat vos benefacere, sectamini humilitatem, libenter pauperibus succurrite. His, aliisque talibus instructi, admirantes humilitatem Spiritus, habitus vilitatem, sermonis facundiam, atque magnitudinem virtutis ejus, discessi sunt.

De Sancto Syro. De Officio Meltiadis Papæ, & Martyris: Quod novem Lectiones fieri debeant de quolibet Papa Martyre. De Sancto Damaso. CCCIV.

De Sancto Syro Episcopo, & Confessore similiter facimus tres Lectiones: & de quocumque festo facimus tantum tres Lectiones, si venerit in die Dominico, fiat de ipso tantum Collecta in Vespero, & Matutino, per Antiphonam, & Orationem, & in Missa.

De Sancto Meltiade Papa, & Martyre, novem Lectiones facimus, & de uno Martyre legitur, & cantatur. Ad Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Antiphonę, & Responsoria de Historia unius Martyris. Ad Missam Officium *Justus, ut palma*. Epistola *Ecce Sacerdos* Evangelium *Homo quidam nobilis*: & hunc ordinem Officii in Matutino, & Missa servamus in quolibet Papa Martyre, quando de ipso proprietas non habetur.

Festivitates autem Sanctorum Romanorum Pontificum Gregorius Papa VII, & Urbanus Papa II. constituerunt, ut celebres habeantur. Martyrum in novem Lectionibus, Confessorum in tribus, præter quorundam, qui pro sui excellentia celeberrimi habeantur, sicut est Sanctus Sylvester, & Sanctus Gregorius, & aliqui alii. Nam cum quælibet Ecclesia sui Patroni, etiam si Confessor fuerit, festum solemniter observat, quanto magis eorum, qui totius Ecclesiæ non tam Patroni quam Patres extiterunt, qui etiam usque ad Martyrium verbis, & exemplis insistere non destiterunt? De his quidem Sanctis Martyribus, Invitatorium, Hymnus, Responsoria, Psalmi, & Versiculi, ut de Martyribus, cantamus. Nota autem Sanctum Gregorium Papam in Graduali libro de his Martyribus, sicut de Confessoribus, Pontificalia ad Missam instituisse Officia, ut de Sancto Marcello Papa, & Martyre *Statuit ei Dominus*. De Sancto Felice Papa, & Martyre *Sacerdotes*, & hæc utique satis congrue propter excellentiam Dignitatis Apostolicæ. Lectiones erunt de Decretis eorum, si Passiones non habentur propriæ de ipsis, vel de Sermonibus, & Homeliis de uno Martyre. Si autem Festum Sancti Meltiadis Papæ Martyris venerit in die Dominico, Sabbato ad Vesperum post Orationem de Dominica, fiet de ipso Collecta per Antiphonam, & Orationem, & ad Matutinum, et quia de ipso Legendam propriam non habemus, facimus similiter tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem, & in Missa commemorationem de ipso per Orationem tantum.

De Sancto Damaso Papa, & Confessore facimus tres Lectiones.

De Sancta Lucia Virgine, & de S. Ignatio. CCCV.

DE Sancta Lucia ad Vesperum *Qui gloriatur in Domino*. ℟. *Rogavi*, & ipsum cantando imus ante Altare ipsius portantes incensum, de quo datur ipsius Altari, & aliis, & Clero, & Populo. Hymnus *Jesu Corona*, & cum Organo. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *In tua patientia*. Postea congrua hora, Vigiliam de ipsa solemniter celebramus, tres Antiphonas cum tribus Psalmis de primo Nocturno Virginum cantantes, tres Lectiones de sua legenda, & Responsoria de sua Historia, & post secundam Lectionem canitur ℟. *Rogavi* cum Organo, & cum *Gloria*, & post tertiam Lectionem *Te Deum Laudamus*. Deinde ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Columna es*, & Oratio, & *Benedicamus* cum Organo. Ad Matutinum Invitatorium *Virginum Castitatis*. Hymnus *Jesu Corona*. In primo Nocturno Antiph *Beata Virginum*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Constitutus*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph *Quoniam ipse*. Psalm. *Domine quid multiplicati*. ℣. *Specie tua*. In secundo Nocturno Antiph. *Adducentur*. Psalm. *Eructavit*. Antiph. *Sanctificavit*. Psalm. *Deus noster*. Antiph. *Gloriosa*. Psalm. *Fundamenta*. ℣. *Adjuvabit*. In tertio Nocturno Antiph. *Confessio*. Psalm. *Cantate*. Antiph. *Exultent*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. Antiph. *Jubilemus*. Psalm. *Cantate II.* ℣. *Diffusa est*. Sex Lectiones de Legenda ipsius, & septima, & octava de Homelia Gregorii ex Evangelio *Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro*, & ultima Lectio de ipsius Legenda. Responsoria quæ habentur de ipsa propria, & alia *de Virginibus*. Nonum ℟. *Soror mea Lucia*. In Laudibus Antiph. *Orante Sancta Lucia*, & cæteræ. Capitulum *Qui gloriatur*. Hymnus *Virginis proles*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Columna es*. Ad Missam Officium *Dilexisti*. Epistola, & Evangelium *de Virginibus*. Post Missam popularem hora competenti cantamus Missam Majorem cum Diacono, & Subdiacono. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & in Vesperis similiter cum istis Psalmis *Dixit Dominus*. *Laudate pueri Lætatus sum*. *Nisi Dominus*. *Lauda Hierusalem*. Ad Magnificat Antiph. *Tanto pondere*: & si hoc festum venerit in Dominica, fiat ut dictum est in Sancto Andrea.

De Sancto Ignatio Episcopo, & Martyre tantum Collectam facere consuevimus.

De

De Sancto Thoma Apostolo. CCCVI.

De Sancto Thoma Apostolo in Vigilia ad Missam Officium *Ego autem*. Epistola *Beatus vir*. Evangelium *Ego sum Vitis vera*, & hæc in Vigilia cujuslibet Apostoli dicuntur ad Missam, quæ proprio careat Officio. Item ad Vesperum ℟. *Fuerunt*. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *Exultet Cælum*, & cum Organo. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *O Thoma Didime*. (a) Item sero in hora competenti Vigiliam de Apostolo solemniter celebramus, in qua canitur Invitatorium *Regem Apostolorum*, & tres Antiphonæ cum tribus Psalmis de primo Nocturno Historię Apostolorum, & tres Lectiones de propria legenda. ℟. *Ecce ego*, & ℟. *Fuerunt*, quod totum cum Organo, & cum Gloria post secundam Lectionem cantatur. Lecta tertia Lectione dicitur *Te Deum Laudamus*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Sanctus Thomas*. Ad Matutinum Invitatorium *Gaudete*. Hymnus *Exultet*. Antiphonę, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis. Sex Lectiones de propria legenda. Tres ultimæ de Homelia, quæ requiratur in Octava Resurrectionis, ubi dicitur *Thomas unus de duodecim*. Nonum ℟. *Cives Apostolorum*. Licet autem

---

(a) Antiphonam hanc, & alias, quæ deinceps citantur, diligenter exscriptas ad me misit sæpe laudatus Abbas Joseph Ciaccheri. En illas;

In Natali S. Thomæ Apostoli.

Antiph. *O Thomas Didime, per Christum, quem meruisti tangere, te deprecor alti throni, succurre nobis miseris, ne damnemur cum impiis in Adventum Judicis.*

In Laudibus Antiph. *Apparuit Thomæ Dominus in visu noctis dicens ei: noli timere descendere in Indiam, quia ego te non derelinquo.*

Antiph. *Oravit Sanctus Thomas ad Dominum, respice in me Domine invocantem te, ac revertentem ad Nuptias.*

Antiph. *Rex autem rogabat Apostolum: peto tibi vir Dei ut eas, atque benedicas puerum cum Filia mea.*

Antiph. *Thomas orabat ad Dominum: deprecor te Domine, ut benedicas hos innocentes, & inspira in eis, quæ agi oporteat.*

Antiph. *Advenientes Milites percusserunt eum lanceis, at ille gaudens migravit ad Dominum.* ℣. *Annunciaverunt.*

Antiph. *Sanctus Thomas Domini Apostolus in fide Christi perseverans peragravit Indiam, & cum in templo omnes doceret Evangelium Christi, Martyrio coronatus est, & consecutus est Regnum sempiternum.*

Antiph. *O Decus Apostolicum Christe Rex Gentium, quem Thomas Apostolus tuus tactu cicatricis Deum cognovit & hominem, veni, gregem protege, quem redemisti sanguine.*

tem legenda Beati Thomæ Apostoli, & Antiphonæ, quæ de ipsa sumptæ sunt, inter Apocripha deputentur, in Ecclesia tamen nostra legi consueverunt, & cantari. In Laudibus Antiph. *Apparuit Thomæ Dominus*, (a) & cæteræ. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *In his paterna*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Sanctus Thomas*. Post Orationem de Apostolo, dicitur de Adventu hæc Antiph. *Nolite timere;* & si hoc festum fuerit in Dominica, tunc post Antiphonam istam dicetur Oratio de Dominica, & subsequetur *de Sancta Maria*, & *de Sanctis* more solito per Antiphonam, & Orationem. Item ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Jam non estis*. Evangelium *Thomas, unus de duodecim*. Hac die Majorem Missam de Apostolo solemniter cantamus. Per omnes horas diei, & in Vesperis Antiphonæ de Laudibus. Ad Magnificat Antiph. *O Decus Apostolicum*, & quando in die Dominico hoc festum venerit, fiat, ut superius diximus in Sancto Andrea.

De Festis quæ sunt post Nativitatem Domini. CCCVII.

EXpleto de festivitatibus, quæ veniunt in Adventu, dicendum est de his quæ sunt a Nativitate Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, de quibus hæc regula datur: Quod semper ad Vesperum super Psalmos dicuntur Antiphonæ *de Nativitate Domini*, scilicet *Tecum Principium*, & cæteræ; & a Nativitate usque Vigiliam Epiphaniæ, omni die ad Missam Præfatio *de Nativitate*, & ab Epiphania usque Octavam ipsius Præfatio *de Epiphania*, sive sit festum, sive non. De festo autem Beati Stephani Protomartyris, Sancti Joannis Evangelistæ, Sanctorum Innocentum, Sancti Thomæ Archiepiscopi, & Martyris, & Sylvestri Papæ, & Confessoris superius post Nativitatem plenarie dictum est. De festo Sanctæ Columbæ, quod est in die Circumcisionis Domini, quidam faciunt Collectam per Antiphonam, & Orationem.

De Sancto Basilio. CCCVIII.

DE Festo Sancti Basilii Episcopi, & Confessoris, quia est infra Octavam Epiphaniæ, taliter facere consuevimus. In Vigilia ad Vesperum, Capitulum *Ecce Sacerdos*. ℟. *Juravit*. Hymnus *Iste Confessor*. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem*. Antiphonę, & Responsoria, & ℣. *de Confessoribus*, sex Lectiones de legenda ipsius, & tres

(a) Vide quæ in *Apostolica Historia* apocrypha tum ante ab aliis, tum a Joanne Alberto Fabricio paucos ante annos evulgata leguntur: *apparuit ei Dominus in visu noctis dicens: ne timeas Thoma descendere in Indiam &c.*

& tres Lectiones in medio de Episcopis cum suis Responsoriis. In Laudibus Antiphonę, Capitulum, Hymnus, & Antiph. ad Benedictus de festo, & post Orationem de festo fit Collecta de Episcopo, & per horas diei Antiphonę de Laudibus festi, & Responsoria, & Versiculi de dicto Sancto. Sed in Vesperis super Psalmos dicuntur Antiphona *Tecum principium*, & cæteræ, & post Orationem de Episcopo fit Collecta de Sancto Basilio scilicet. Si hoc festum fuerit die Dominico, & tunc fuerit necesse facere de Dominica, septima, & octava Lectio fiet de Homelia Dominicali, & Collecta de Dominica post Orationem Episcopi, & prima Missa Dominicæ, & major de Sancto.

De Sancto Paulo, de Sancto Hilario, & de Sancto Felice.
CCCIX.

De Sancto Paulo primo Heremita, & Confessore facimus tres Lectiones de legenda ipsius.

De Sancto Hilario Episcopo, & Confessore facimus tres Lectiones de vita ipsius.

De Sancto Felice Presbytero, & Confessore ad Vesperum, dicto Capitulo, Hymno, Versiculo, Antiph. ad Magnificat, et Oratione de Epiphania, dicitur Antiphona, Versiculus, et Oratio de Sancto Felice Presbytero. Item ad Matutinum Invitatorium *Regem Confessorum*. Hymnus *Iste Confessor*. Antiphonæ super Nocturnum de Confessoribus: sex Lectiones de vita ejus, & tres ultimæ de Homelia ex Evangelio. *Homo quidam peregre*. Responsoria sicut hic collecta sunt. ℞. *Euge Serve bone:* = *Justus germinavit*. = *Iste cognovit justitiam*. = *Posui adjutorium*. = *Justum deduxit*. = *Amavit eum Dominus*. = *Inveni David*. = *Iste homo ab adolescentia*. *(a) Iste est qui ante Deum*. In Laudibus Antiph. *Euge serve bone*. *Beatus ille*. *Fidelis servus*. *Ecce vere*. *Serve bone*. Capitulum *Justus cor suum*. Hymnus. *Tu procul casus*. *(b)* Ad Benedictus Antiph. *Euge serve bone*. Ad Missam Officium *Os justi*. Epistola *Testificor*. Evangelium *Homo quidam peregre*. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Confessoribus.

De

[a] Responsorium hoc inveni in Responsoriali S. Gregorii M. a Ven. Card. Thomasio edito, & hoc est (pag. CCCLXIII. edit. Rom. 1686.) *Iste homo ab adolescentia partem meruit infirmos curare. Dedit illis Dominus claritatem magnam, cęcos illuminare, & Dæmones fugare*. ℣. *Ecce verus Dei cultor &c.* (pag. 286. To. IV. Oper. Ven. Card. Thomasi.)

(b) In Hymno *Summe Confessor* pag. 402. To. II. Oper. Ven. Card. Thomasi.

De Sancto Mauro, de Sancto Marcello, de Sancto Antonio, de Sancta Prisca, & de Sanctis Mario, & Martha. CCCX.

DE Sancto Mauro Abbate, & Confessore tres Lectiones facimus, de proprietate ipsius, quæ sic incipiunt *Beatissimus igitur*. (a) ℟. *Euge serve bone*. *Justus germinavit*. = *Amavit eum*. In Laudibus Antiph. *Euge*.

De Sancto Marcello Papa, & Martyre novem Lectiones facimus de Passione ejus, quæ sic incipit: *Tempore quo Maximianus Augustus*. (b) Antiphonę, Responsoria, & Versiculi de uno Martyre. Ad Missam Officium *Statuit*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Homo quidam nobilis abiit*.

De Sancto Antonio Confessore facimus novem Lectiones. Responsoria, & Antiphonæ in Laudibus, ut supra dictum est de Sancto Mauro. Ad Missam Officium *Os justi*.

De Sancta Prisca Virgine facimus tres Lectiones.

De Sanctis Mario, Marta, Audifax, & Abacum facimus tres Lectiones: & ad Magnificat Antiph. *Marius, Marta*. (c) Ad Benedictus Antiph. *Nos famuli Christi*.

De Sanctis Fabiano, & Sebastiano. CCCXI.

IN festo Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebastiani ad Vesperum Capitulum *Beatus vir*. ℟. *In isto loco*, & ipsum cantantes cum Organo imus ante Altare ipsorum, scilicet Sancti Bartholomæi cum incenso, & datur Altaribus, & Clero, & Populo. Hymnus *Deus tuorum*, & cum Organo. ℣. *Gloria*, & *Honore*. Ad Magnificat Antiph. *Elegit Dominus*. Post Orationem de Sancto Sebastiano fit Collecta de Sancto Fabiano Papa,

---

[a] Desumptas puto has Lectiones ex cap. 3. 4. 6. 7., & 8. libri II. Dialog. S. Gregorii. (b) Bolland. pag. 5. Tomi II.

[c] En quæ ex vetusto Antiphonario Senensi (n. 800.) exscripsit, & ad me misit humaniss. Abbas Joseph Ciaccheri:

Antiph. *Marius, Martha, Audifax, & Abacum sanguinem suum fuderunt propter Filium Dei*.

Antiph. *Nos famuli Domini servos, & Apostolos Jesu Christi venimus adorare &c.*

Antiph. *Beatissima Martha collegit sanguinem Mariti, & Filiorum, caput suum, & faciem liniebat cum gaudio*. Compara has Antiphonas cum editis a Ven. Card. Thomas. ac præsertim secundam: *Nos famuli*.

pa & Martyre, per Antiphonam, & Orationem, & in Matutino similiter. Deinde hora congrua, ibidem ante Altare ipsorum Vigiliam solemniter celebramus. Invitatorium, & tres Antiphonas cum tribus Psalmis de Historia Sancti Sebastiani cantantes, & tres Lectiones de sua legenda, & ℟. I. (a) *Sebastianus*, & lecta secunda Lectione. ℟. *In isto lo-*

 co,

---

[a] Consule Responsoria, & Antiphonas Gregorii Magni a Ven. Card. Thomasio, & ab aliis edita. Ecce porro, quæ ex vetusto Antiphonario Senensi (num. 800.) exscripsit, & ad me misit eruditiss. idemque humaniss. Abbas Joseph Ciaccheri, quem sæpe laudavi:

Antiph. *Elegit Dominus virum de plebe, & claritatem visionis æternæ dedit illi: celebremus festivitatem Sebastiani Martyris, gaudium sit in Cœlo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* ℟. *Regem Martyrum Dominum.*

In primo Nocturno Antiph. *Sebastianus Mediolanensium partium Civis, quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amabatur.* Psalm. *Beatus.*

Antiph. *Christo quotidie sedulum exhibebat Officium, erat enim verus Dei cultor.* Psalm *Quare fremuerunt.*

Antiph. *Erat enim in sermone verax, in judicio justus.* Psalm. *Domine quid.* ℣. *Gloria, & honore.* ℟. *Sebastianus Dei cultor studiose curabat sub absconso clamidis, Sanctorum animas confortare, spem promittens, & gloriam consequi sempiternam.* ℣. *Erat enim in sermone verax, in judicio justus. Spem.* ℟. *Sebastianus vir Christianissimus, quem occultabat militaris habitus, & chlamydis sua obumbrabat aspectus.* ℣. *Quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amabatur. Et chlamidis.* ℟. *Erat enim in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in universa morum honestate preclarus.* ℣. *In commisso quoque fidelis, & interventione strenuus. In univer.*

In secundo Nocturno Antiph. *Ad hoc tantum sub chlamyde Christi militem tegebat absconditum, ut Deo redderet animas, quas Diabolus conabatur auferre.* Psalm. *Cum invocarem.*

Antiph. *Clarissimis quotidie viris Marcelliano, & Marco suadebat sæculi blandimenta respuere, & momentanea tormentorum genera non timere.* Psalm. *Verba.*

Antiph. *Sebastianus vir Christianissimus, quem occultabat militaris habitus, & chlamydis obumbrabat aspectus.* Psalm. *Domine, Dominus noster.* ℣. *Posuisti Domine.*

℟. *Christo quotidie sedulum exhibebat Officium, & Christianorum animas, quas in tormentis videbat deficere, confortabat.*

℣. *Ad hoc tantum sub chlamyde terreni imperii Christi militem tegebat absconditum. Et Christi.*

℟. *Zoe uxor Nicostrati dixit Beato Sebastiano: Beatus es tu, & benedictus sermo oris tui, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

℣. *Erat enim in sermone verax, in judicio justus. Beatus.*

℟. *Egregie Dei Martyr Sebastiane, Princeps ac Propagator Sanctissimorum preceptorum: ecce nomen tuum in libro vitæ Cælestis adscriptum est. Et memoriale tuum non derelinquetur in sæcula.*

℣. *Socius enim factus es supernarum virtutum, quæ & in Cælis spiritum tuum susceperunt. Et memor.*

In

co, cum gloria, & cum Organo cantatur. Ad Benedictus Antiph. *Beatus es*. Ad Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Deus tuorum*. In primo Nocturno Antiph. *Sebastianus*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Christo cotidie*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Erat enim*. Psalm. *Domine quid multiplicati sunt*. ℣. *Gloria*, & *Honore*. In secundo Nocturno Antiph.

In tertio Nocturno Antiph. *Polycarpus Presbyter dixit Beato Sebastiano, Beatus es tu, qui audisti vocem Domini nostri Jesu Christi*. Psalm. *In Domino*.

Antiph. *Sebastianus dixit Marcelliano, & Marco: non vos seducant blandimenta mulierum*. Psalm. *Domine quis*.

Antiph. *Nolite timere, non separabuntur a vobis: sed vadunt in Cœlum parare vobis sydereas mansiones*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Magna est Gloria*.

℟. *Elegit Dominus virum de plebe, & claritatem visionis aeterna dedit illi; celebremus solemnitatem Sebastiani Martyris. Gaudium sit in Cœlo, & in Terra, Pax hominibus bona voluntatis*.

℣. *Beatus es & bene tibi erit, egregie Martyr Sebastiane. Gaudebat*.

℟. *Beatus es, & bene tibi erit, egregie Dei Martyr Sebastiane, quia cum Sanctis gaudebis, & cum Angelis exultabis in aeternum*.

℣. *Beatus es Christi Martyr Sebastiane, & benedictus sermo oris tui. Quia*.

℟. *In isto loco promissio verax est, & peccatorum remissio, splendor, & lux perpetua, & sine fine laetitia. Quę meruit Christi Martyr Sebastianus*.

℣. *Nolite timere, non separabuntur a vobis, sed vadunt in Cœlum parare vobis sydereas mansiones. Qua meruit*.

In Laudibus Antiph. *Sebastianus Dei cultor studiose curabat sub absconso chlamydis Sanctorum animas confortabat, spem promittens & gloriam consequi sempiternam*. Psalm. *Dominus regnavit*.

Antiph. *Si ego verus Christi servus sum, & si vera sunt omnia, qua ex ore meo hac mulier audivit, & credidit, aperiat os ejus, qui aperuit os Zacharia Prophetæ Domini*. Psalm. *Jubilate*.

Antiph. *Ad hanc vocem Christi Martyris Sebastiani, illicò apertum est os uxoris Nicostrati*. Psalm. *Deus, Deus meus*.

Antiph. *Zoe uxor Nicostrati dixit Beato Sebastiano: Beatus es tu, & benedictus sermo oris tui*. Psalm. *Benedicite*.

Antiph. *Sebastianus dixit ad Nicostratum, Salvator noster pro peccatoribus dignatus est suam exhibere praesentiam*. Psalm. *Laudate*. ℣. *Magna*.

Ad Benedictus Antiph. *Beatus es, & bene tibi erit, egregie Martyr Sebastiane, quia cum Sanctis gaudebis, & cum Angelis exultabis in aeternum*. Psalm. *Benedictus*.

Antiph. *Ut vidit Beatus Sebastianus Athletas Dei immenso certaminis pondere fatigari dixit: O fortissimi milites Christi, nolite per misera blandimenta coronas deponere sempiternas*.

Compara Antiphonas has, & Responsoria, quæ procul dubio ex vulgatissimis Actis S. Sebastiani desumpta sunt, cum iis quæ habent *Responsorialia*, & *Antiphonaria Romana Ecclesia a S. Gregorio Magno disposita*, a Venerab. Card. Thomasio, ab Optimis Monachis S. Mauri, aliisque etiam Viris præclaris evulgata. Porro quænam sit horum Actorum præstantia, Baronius, Bollandus, aliique etiam docent. Consule quæ tradit egregius Tillemont Tom. IV. *Hist. Eccles.* [pag. 515., & 516. edit. Venet.] *S. Sebastien Martyr*. Art. I.

tiph. *Ad hoc tantum*. Pſalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Clariſſimis*. Pſalm. *Verba mea*. Antiph. *Sebaſtianus*. Pſalm. *Domine, Dominus noſter*. ℣. *Poſuiſti Domine*. In tertio Nocturno Antiph. *Polycarpus*. Pſalm. *In Domino confido*. Antiph. *Sebaſtianus dixit*. Pſalm. *Domine quis*. Antiph. *Nolite timere*. Pſalm. *Domine in virtute*. ℣. *Magna eſt gloria ejus*. Omnes Lectiones de legenda Sancti Sebaſtiani, vel tantum ſex de ipſa, & tres de Evangelio *Deſcendens Jeſus de Monte* leguntur. Reſponſoria de propria Hiſtoria, & nonum ℟. *In iſto loco*; & ipſum Cantore incipiente, ſtatim imus cum ipſo, cantando cum Organo, portantes incenſum, & datur Altaribus, et Clero, et Populo ante Altare Sancti Sebaſtiani. Poſtea *Te Deum Laudamus* cum Organo. In Laudibus Antiph. *Sebaſtianus Dei cultor*, & cæteræ. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Martyr Dei*. ℣. *Poſuiſti Domine*. Antiph. *ad Benedictus*. *Beatus es*, & ſic ibi ante Altare Matutinum ſolemniter finitur, & ibidem poſtea Miſſæ cantantur.

De varia opinione hujus Officii, & Miſſa Majori, & Veſpero. Et qualiter fiat, quando Feſtum Sanctorum Fabiani, & Sebaſtiani in die Dominico venerit. CCCXII.

QUidam magnę Religionis, & auctoritatis viri Hiſtoriam Sancti Sebaſtiani reliquerunt, de pluribus Martyribus Officium Nocturnum, & Diurnum peragentes, imitantes videlicet Beatum Gregorium, qui in Sacramentario Officium Miſſæ hujus diei, utriſque commune inſtituit. Scilicet Officium *Intret*, et ſicut Officium de utriſque dicitur, ita et Orationes quæ ſingulis propriæ habentur ſub una clauſula dicuntur. Epiſtola *Sancti per fidem*, et Evangelium *Deſcendens Jeſus de Monte*, ab omni Eccleſia legitur; et certe ratio exigit, ut ſicut Miſſa de pluribus agitur, ita et curſus totius hujus feſtivitatis communiter utriſque agatur. Sed quia jam multum conſuetudo prævaluit, ideo conſuetudini ratio cedit, et Nocturnum Officium fit de uno Martyre, et Miſſa de utriſque, ut dictum eſt. Hac die Miſſam Majorem cum Diacono, et Subdiacono ſolemniter celebramus ad Altare, in quo ipſorum Reliquiæ in noſtra Eccleſia honorantur. Ad omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus Hiſtorię Sancti Sebaſtiani, et Reſponſoria, et Verſiculi de uno Martyre. Item Veſpero Sanctæ Mariæ ſuperius dicto, imus ante Altare Sancti Sebaſtiani, et ibi dicitur Veſperum de feſto cum Antiphonis de Laudibus, et Pſalmis de Martyre. Si tamen hoc feſtum venerit in Dominica, qua Hiſtoria *Domine ne ira* mittitur, tunc Sabbato ad Veſperum, dicto Capitulo, Reſponſorio, Hymno, et Antiphona, et Oratione de feſto, dicitur II. ℟. de Hiſtoria Dominicali, et Verſiculus, et Oratio de Dominica, et ad Matutinum totum Officium fiet de feſto, præter ſeptimam,

et octavam Lectionem de Homelia Dominicali: et prima Missa de festo; II. de Dominica, et Major de festo fiet.

Si autem hoc Festum Sanctorum Fabiani, et Sebastiani in Dominica de Septuagesima, vel alia Dominica post illam venerit, Sabbato ad Vesperum, Capitulum, Responsorium, Hymnus, Versiculus, et Antiph. *ad Magnificat*, et Oratio de Dominica. Postea dicitur ℟. de festo. *In isto loco*, et cum eo imus in Confessionem ante Altare Sanctorum Fabiani, et Sebastiani; et sic Vesperum ibi solemniter finitur, et ibidem postea hora congrua Vigiliam celebramus. Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus, Responsoria, et tres primæ Lectiones de Dominica. Tres in medio de festo, septima, et octava de Homelia Dominicali. Ultima Lectio cum nono ℟. de festo, et cum eo imus in Confessionem. Deinde dicimus *Te Deum laudamus*. In Laudibus Antiphonę, Capitulum, Hymnus, Versiculus, Antiph. *ad Benedictus*, et Oratio dicetur de festo. Post fit Collecta de Dominica per Antiphonam, et Orationem. Ad Primam, et Tertiam, et alias horas diei, et in Vesperis de festo dicuntur Antiphonę de Laudibus, et ea die ad Primam non dicitur Psalmus *Deus, Deus meus respice in me*: nec *Quicumque vult*, sed *Deus in Nomine*, et *Beati immaculati*. Prima Missa de festo cum *Gloria in Excelsis*, et *Ite Missa est*. Secunda de Dominica sine *Gloria in Excelsis Deo*, sed *Credo in unum Deum* non dimittitur, et *Ite Missa est* non dicitur, sed *Benedicamus Domino*, tantum in secunda Missa de Dominica. Ad Processionem ℟. *In isto loco*, & Major Missa de festo ibidem dicetur.

De Festis novem Lectionum, quæ in Dominica veniunt a Septuagesima usque Pascha. CCCXIII.

NOta quod quodcumque festum novem Lectionum a Septuagesima usque Pascha in die Dominica occurrerit, oportet illud in secunda feria differri: omnes enim Dominicæ istius temporis propriis Historiis, & Lectionibus ita sunt occupatæ, quod de facili mutari non possunt. Sed festum Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, & Purificationis Sanctæ Mariæ, & Translationis Beati Ansani, & Annuntiationis Beatæ Mariæ, quia solemnia sunt in Populo, & specialiter in nostra Ecclesia, a nobis ea die qua veniunt, celebrantur. Quando autem duobus diebus continuis duo festa novem Lectionum occurrerint, tunc de celebriori festo majoritas Officii fiet in secunda feria, & de alio, licet sit novem Lectionum, aliàs fiet, tamen tunc de ipso tantum fiat Collecta per Antiphonam, & Orationem in Vespero, & Matutino, vel tres Lectiones in medio, si propria de illo habeatur legenda, & in Missa de ipso fiet commemoratio. De omnibus vero festis novem Lectionum a Septuagesima usque ad Resurrectionem venientibus hæc Regula observatur, quod quacumque die veniunt, *Te Deum Laudamus*, *Gloria in Excelsis*, & *Ite Missa est* non sup-

ſupprimuntur, ſed omnia, ut in aliis temporibus, præter *Alleluja*, cantantur. Sed loco Alleluja cantatur *Laus tibi Chriſte*, & cæteræ, & in Majori Miſſa de feſto, Diaconus in Dalmatica, & Subdiaconus in Tunica miniſtrant, & ſemper taliter induti aſcendunt Pulpitum ad legendum. In Dominicis diebus, quando miniſtrant in Planetis, vel diebus ferialibus in Quadrageſima, quando ſolis camiſis induuntur, non aſcendunt ſolemne Pulpitum, ſed juxta Altare legunt, & ibi in ligneo Pulpito ſemper ad legendum Evangelium ſuperponitur albus pannus.

De Officio in Feſto Sanctę Agnetis. CCCXIV.

(*a*) IN feſto Sanctę Agnetis, ad Veſperum in Vigilia, Capitulum *Qui gloriatur*. ℟. *Dextram meam*. Hymnus *Jeſu Corona*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Beata Agnes*. Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus*. Poſtea fit Collecta de Sancto Sebaſtiano per hanc Antiph. *Ut vidit*, & Oratio, *Deus qui Beatum Sebaſtianum*, et *Benedicamus Domino* cum Organo. Item ad Matutinum Invitatorium *Virginum Caſtit:* Hymnus *Jeſu Corona*. In primo Nocturno Antiph. *Diſcede a me*. Pſalm. *Beatus vir*. Antiph. *Dextram meam*. Pſalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Poſuit os*. Pſalm. *Domine quid*. ℣. *Specie tua*. In ſecundo Nocturno *Induit me*. Pſalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Mel, & Lac*. Pſalm. *Verba mea*. Antiph. *Ipſi ſoli*. Pſalm. *Domine, Dominus noſter*. ℣. *Adjuvabit eam*. In tertio Nocturno Antiph. *Cujus pulcritudinem*. Pſalm. *Domine, quis habitabit*. Antiph. *Chriſtus circumdedit me*. Pſalm. *Eructavit*. Antiph. *Ipſi ſum deſponſata*. Pſalm. *Deus, noſter refugium*. ℣. *Diffuſa eſt gratia*. Omnes Lectiones leguntur de propria legenda, quam Beatus Ambroſius compoſuit, & ſic incipit. (*b*) *Diem Feſtum Sacratiſſimæ Virginis*. ℟. de ſua Hiſtoria, ſcilicet *Diem feſtum*, & cætera, ſicut ſunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Ingreſſa Agnes*. In Laudibus Antiph. *Ingreſſa Agnes*, & cæteræ, Sed illa Antiph. *Congaudete mecum* tantum in Octava differtur. Capitulum *Qui gloriatur in Domino*. Hymnus *Virginis Proles*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Ecce quod cupivi*. Ad horas diei Antiphonæ de Laudibus, & Reſponſoria, & Verſiculus de Virginibus. Ad Miſſam Officium *Me expectaverunt*. Epiſtola

---

[*a*] Hic quoque conſule Sacros Libros a Gelaſio, & Gregorio Magno editos, & a Vener. Card. Thomaſio, & ab aliis etiam præclaris Viris typis evulgatos.

(*b*) Sermonem in laudem S. Agnetis *Cum in toto Mundo* in nonnullis codicibus Ambroſio tributum alteri adſcribunt egregii Monachi S. Mauri, item ut Sermonem hic indicatum *Diem feſtum*. Conſule cenſuram in Sermonem, ſeu Epiſtolam hanc col. 477., & 478. Tomi II Sermonem tamen, ſeu Epiſtolam hanc ſi cupis, habes pag. ſubſequente. Indubitatas Agnetis laudes Ambroſio auctore, conſule, ſi vis cap. 2. libri I. *de Virginibus*.

ftola *Sapientia vincit*. (c) Evangelium *Simile est Regnum Cælorum decem Virginibus*. Ad Vefperum dicuntur Antiph. de Laudibus cum Pfalmis de Virginibus, ficut fupra pofuimus de Sancta Lucia.

De Festo Sanctorum Vincentii, & Anastasii. CCCXV.

IN Natale Sanctorum Martyrum Vincentii, & Anaftafii ad Vefperum finitis Pfalm. de Sancta Agnete dicitur Capitulum *Sancti per fidem*. Hymnus *Rex gloriose*. ℣. *Sancti tui Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Isti sunt Sancti*. Oratio *Adesto Domine, quæsumus*. Poftea fit Collecta de Sancta Agnete per hanc Antiph. *Stans Beata Agnes*, & Oratio ejus. Similiter per totam Hebdomadam ufque Octavam fit Collecta de eadem in Vefperis, & Matutinis per Antiphonam, & Orationem, & in Miffa commemoratio. Item ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Regem magnum*. Hymnus *Sanctorum meritis*. Antiphonę, & Refponforia, & Verficuli de pluribus Martyribus. Sex Lectiones de legenda Sancti Vincentii, & tres Lectiones in medio leguntur de legenda propria Sancti Anaftafii, & totum aliud Officium in Laudibus, Matutinum, & Miffa, & per horas diei fiat de pluribus Martyribus, & in Vefperis fimiliter. Si autem hoc feftum in die Dominica venerit, in fecundam feriam differatur.

Qualiter fieri debeat cum Festum Sanctę Agnetis in die Dominico venerit. CCCXVI.

SI vero Feftum Beatę Agnetis in die Dominica venerit, cum feftum Sanctorum Vincentii, & Anaftafii fequentem feriam occupet, nec utraque more folito poffint plenarie celebrari, taliter in fequente feria, ut prædictum eft, differetur: Dies Dominica a Vefpero ufque ad Vefperum ex integro fuo decorabitur Officio. Poftea in die Dominica dictis Pfalmis Dominicalibus, dicetur Capitulum, & Refponforium, Hymnus, Verficulus, & Antiphona ad *Magnificat*, & Oratio de Sancta Agnete, & poftea fiet Collecta per Antiphonam, & Orationem de Dominica, & de Sanctis, & ad Matutinum majoritas Officii fiet de Sancta Agnete, & tres Lectiones in medio de legendis Sanctorum, & Collecta in Laudibus per Antiphonam, & Orationem de ipfis, & in Miffa commemoratio, & totum aliud Officium, Nocturnum, & Diurnum fiet de Sancta Agnete, & tunc in fecunda feria in Vefperis non fiet Collecta de ipfis, fed de fefto fequentis diei. De

(c) Arbitror aut alia interpretatione ufum fuiffe auctorem noftrum, aut errorem aliquem in codicem irrepfiffe, & fortaffe legendum effe: *Sapientiam autem non vincit malitia*. [Sapien. VII. 30.]

De Festo Sanctę Emerentianæ, de S. Machario, & de Conversione Sancti Pauli. CCCXVII.

DE Sancta Emerentiana facimus tres Lectiones, duas de Sermone Virginum, & tertiam de proprietate ipsius, quæ requiratur in legenda Sanctę Agnetis.

De Sancto Machario Heremita, & Confessore facimus tres Lectiones.

In Conversione Sancti Pauli Apostoli ad Vesperum Capitulum *Saule frater*. ℞. *Ibat igitur*. Hymnus *Doctor egregie*. *Sit Trinitati*, & cæteræ. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Saulus autem tremens*. Oratio *Deus qui universum Mundum*. Postea fiat Collecta de Sancto Projecto Martyre per Antiphonam, & Orationem, & in Matutino similiter. Ad Matutinum Invitatorium *Laudemus Deum*. Hymnus *Doctor egregie*. In primo Nocturno Antiph. *Saulus adhuc*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Saule, Saule quid*. Psalm. *Benedicam*. Antiph. *Viri autem*. Psalm. *Eructavit*. ℣. *In omnem terram*. In secundo Nocturno Antiph. *Ad manus autem*. Psalm. *Omnes gentes*. Antiph. *Vade Anania*. Psalm. *Exaudi Deus*. Antiph. *Saule frater*. Psalm. *Exaudi*. ℣. *Constitues eos*. In tertio Nocturno Antiph. *Sub manu*. Psalm. *Confitebimur*. Antiph. *A Christo*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. Antiph. *Ibat igitur*. Psalm. *Dominus regnavit, irascantur*. ℣. *Nimis honorati*. Sex Lectiones leguntur de Actibus Apostolorum ab eo loco *Saulus adhuc spirans* usque ibi, *quod cum cognovissent Fratres*, & tres Lectiones de Homelia ex Evangelio *Dixit Simon Petrus ad Jesum*: *Ecce nos reliquimus*. Responsoria de propria Historia *Saulus adhuc spirans*, & cætera. Nonum ℞. *Celebremus*. In Laudibus Antiph. *Dominus astitit*, & cæteræ. Capitulum *Saulus adhuc*. Hymnus *Non impar Paulus*. (a) *Gloria Deo*. Ad Benedictus Antiph. *Celebremus*. Ad Missam Officium *Scio cui credidi*, in qua fiat commemoratio de Sancto Projecto. Epistola *Saulus adhuc*. Evangelium. *Dixit Simon Petrus*. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis, & in Vesperis Antiphonæ super Psalmos similiter de Laudibus. Hymnus *Doctor egregie*. ℣. *Annuntiaverunt Opera Dei*. Ad Magnificat Antiphona *Ego enim jam delibor*. Si autem hoc festum in Dominica venerit, in sequentem feriam differetur, si fuerit post Septuagesimam.

De

(a) Est portio Hymni Paulini in Paulum Apostolum, pag. 388., & 389. Tomi II. Oper. Vener. Card. Thomasii.

De Sancta Paula, de Sancta Agnetis Octava, quæ secunda dicitur. De Sancto Geminiano, de Sancta Brigida, & Sancto Severo. CCCVIII.

DE Sancta Paula, cujus vitam Beatus Hieronymus scripsit, facimus tres Lectiones.

In Octava Sanctę Agnetis ad Vesperum in Vigilia Octavæ Capitulum *Qui gloriatur in Domino*. Hymnus *Jesu Corona*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Beata Agnes*. Oratio *Deus, qui nos annua*. Postea ad Matutinum omnia cantantur, & leguntur sicut in primo ejus festo, & per totam diem, & in Vesperis: & nota quod in Octava Beatæ Agnetis non scribitur Octava, sed *secundo Agnetis*, ut non intelligatur Octava, sed solemnitas repetita, propter miraculum quod ea die contigit, dum Parentibus apparuit dicens: *Nolite lugere me mortuam: Sed congaudete mecum, quia cum Virginibus lucidas sedes accepi*. Unde, & in Ecclesia nostra specialiter tantum hac die hæc Antiphona *Congaudete mecum*, ultimo loco inter Antiphonas de Laudibus cantatur. Item ad Missam Officium *Vultum tuum*. Epistola *Qui gloriatur*. Evangelium *Simile est Regnum Cælorum thesauro*. Si autem hæc Octava in Dominica de Septuagesima, vel alia post illam venerit, fiet de ipsa Collecta in Vesperis Sabbati, & in Dominica ad Matutinum fient de ipsa tantum tres Lectiones in medio, & Collecta in Laudibus per Antiphonam, & Orationem, & commemoratio in Missa, & nihil ultra.

De Sancto Geminiano Episcopo, & Confessore facimus tres Lectiones.

Kalendis Februarii, festum Sanctæ Brigidæ, & Sancti Severi Archiepiscopi, & Confessoris. Sed de Sancta Brigida, quia ejus festum in nostra Ecclesia celebratur, ad Vesperum Capitulum *Qui gloriatur*. ℟. *Simile est*. Hymnus *Jesu Corona*. ℣. *Specie tua*, & ad Magnificat Antiph. *Veni Sponsa Christi*, & Oratio. Postea fiat Collecta de Sancto Severo, per Antiphonam, & Orationem. Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ super Nocturnum, Responsoria, & Versiculi de Virginibus. Sex Lectiones de Sermonibus Virginum, & tres Lectiones in medio de Vita Sancti Severi cum Responsoriis de Confessoribus, & nonum Responsorium *O quam pulchra*. Totum aliud Officium de Virginibus fiet, sed in Laudibus Collecta de Sancto Severo fiet, & in Missa. Si autem hoc festum in Dominicá de Septuagesima vel post alia Dominica venerit, quia de Sancta Brigida specialem habemus legendam, de ipsa facimus tres Lectiones in medio, & de Sancto Severo faciemus tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem; non enim in secunda feria posset differri, quæ festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis est occupata.

De

De Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, & (a) Hypopanti Domini, & ejus Ephymologia. (b) CCCXIX.

DUo fuerunt in lege præcepta, quorum alterum ad Parientem, alterum pertinebat ad Partum. Ad Parientem, ut si mulier masculum pareret, quadraginta diebus ab ingressu Templi velut immunda cessaret, quia puerperium in immunditia conceptum dicitur quadraginta diebus informe: at si fęminam, spatium temporis duplicaret: sanguis enim menstruus, qui partum comitatur usque adeo censetur immundus, ut ejus tactu, sicut Solinus ait, fruges arescant, & herbæ moriantur. Sed quare tempus pro fęmina duplicatur? Solutio, quia dupla est fęminini generis maledictio, habuit enim maledictionem Adæ, & insuper in *dolore paries*; vel quia sicut ait peritia physicorum, fęminæ in conceptu manent informes duplo tempore Masculorum. Duplex est igitur hodierna solemnitas: parientis scilicet & partus, idest Matris, & Filii. Quoad Matrem dicitur Purificatio, quoad Filium, dicitur (c) Hypopanti græce, quod latine interpretatur *obviatio*, quia, sicut in hodierno legitur Evangelio, veniens Mater Domini ad Templum secundum legem cum puero, obvium habuit Simeonem, Annam Viduam, & cæteras personas, quas necesse erat in Sacro Ministerio adesse. Simeon obviavit Domino, dum a Parentibus præsentabatur in Templo: immo secundum Malachiam. (d) *Dominator Dominus venit ad Templum*. Simeon vir namque (e) *justus, & timoratus responsum accepit a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*. Hic accepit eum in ulnas suas, & dixit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace*. Sed & Anna superveniens Domino confitebatur (f) *expectans Redemptionem Israel*: propterea de Regina, de Rege, de Anna, & Simeone Prophetice, & Evangelice, tam Nocturnum, quàm Diurnum Officium celebratur.

De Ordine Officii in Purificatione Sanctæ Mariæ. CCCXX.

IN Purificatione Sanctæ Mariæ ad Vesperum, de præcedenti festo Nativitatis Domini sumuntur super Psalmos Antiphonæ *Tecum principium*, & cæteræ, cum Psalmis ibidem positis. Capitulum *Ecce ego mitto Angelum meum*. ℞. *Senex puerum*. Hymnus *Quod Chorus vatum* (g), &

[a] Hypapante. [b] Etymologia. (c) Idest *Hypapante*. Vide Baron. *in Martyr*. (d) Malach. III. 1. [e] Luc. II. 26. &c. (f) Ibid. v. 36. &c.
[g] Rarissimum hunc Hymnum tibi præbebit Cassander pag. 254.

cum Organo. ℣. *Responsum accepit*. Ad Magnificat Antiph. *Cum inducerent*, quæ primo tota cum Organo, & post finitur cum Neumate. Oratio *Omnipotens Deus sempiterne, Majestatem*. Postea non fit Collecta de Sancta Brigida propter tantæ solemnitatis adventum: Sed *Benedicamus Domino* festive cantatur: & nota quod hac die solitus est Camerarius præparare crossas Candelas in longitudinem duorum brachiorum pro singulis Canonicis, & facit eas reservari a Custode, donec in crastinum cum aliis benedicantur, & eas benedictas dat Custos singulis Canonicis in Ecclesia ad Evangelium in Missa Majori accensas, & coram eis tenentur usque ad finem Missæ, & post Missam singuli de ipsis faciunt quod eis placuerit.

De Matutino, & Missa Populari. CCCXXI.

AD Matutinum, Invitatorium *Ecce venit*. Hymnus *Quod Chorus vatum*. In primo Nocturno Antiph. *Benedicta tu*, & cæteræ. ℣. *Specie tua*. In secundo Nocturno Antiph. *Specie tua*, & cæteræ. ℣. *Adjuvabit eam*. In tertio Nocturno Antiph. *Hæc est quæ nescivit*. Psalm. *Cantate I.* Antiph. *Speciosa*. Psalm. *Dominus regnavit*. Antiph. *Post Partum*. Psalm. *Cantate II.* ℣. *Diffusa est*. Sex Lectiones de Sermone qui sic incipit *Homo erat in Jerusalem*. Tres ultimæ de Homelia Bedæ Presbyteri ex Evangelio ipsius diei. Responsoria de propria Historia *Adorna thalamum tuum*, & cætera. Nonum ℟. *Gaude Maria*. In Laudibus Antiph. *Simeon justus*, & cæteræ. Capitulum *Ecce ego mitto*. Hymnus *O Gloriosa*. Ad Benedictus Antiph. *Senex puerum*. Ad Primam Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Responsum accepit*. Capitulum *Et sic in Sion*. ℟. *Christe Fili*. *Qui natus es de Maria Virgine*, & Oratio de Sancta Maria. Postea in Capitulo fiat brevis ammonitio de Processione Candelarum facienda, & quam reverenter, & ordinate totum illud Officium debeat a singulis celebrari. Ad Missam Officium *Suscepimus Deus*. Epistola *Ecce ego mitto*. Graduale *Suscepimus Deus*, & *Alleluja* post Partum vel *Laus tibi Christe*, si in Septuagesima, vel post venerit. Evangelium *Postquam impleti sunt dies purgationis*. Postea *Credo in unum*, & Prefatio *Quia per Incarnati Verbi Mysterium*: vel *& te in Purificatione Beatæ Mariæ*.

De Benedictione Candelarum, & Ordine Processionis. CCCXXII.

POst Missam Popularem hora competenti pulsantur majores Campanæ, ut Populus ad Benedictionem Candelarum, & ad Processionem debeat convenire. Postea Clero, & Populo in Ecclesia collecto, Presbyter Canonicus septimanarius, vel Archipresbyter indutus Albis, & desuper Pluviali

viali ad Altare Beatæ Mariæ Virginis, ut mos est, benedicit Candelas secundum ordinem Sacramentarii, & post factam Benedictionem incensat, & aspergit eas aqua benedicta. Cum autem accendi Candelæ cœperint, cantantur Antiphonæ, quæ sunt in Antiphonario Diurno. Scilicet *Lumen ad revelationem*, & Psalm. *Nunc dimittis* totus, & *Gloria*, & semper ad singulos ℣. repetitur *Lumen ad revelationem*: & interim qui volunt, dant & accipiunt Candelas de manu Sacerdotis, qui eas benedicit, & obsculantur manum ejus. Hoc facto, Dominus Episcopus, & idem Sacerdos cantans, vel Archipresbyter, sicut erat cum Pluviali quando benedixit Candelas, cum aliis Canonicis, omnibusque Cappellanis Civitatis, faciunt generalem Processionem, & portat Populus in manibus Candelas accensas. Cum igitur præcedente Cruce totus Clerus exierit Ecclesia, & Canonici pervenerint ad gradus ante Plateam, Cantor incipit Antiphonam de primo Nocturno, scilicet *Benedicta tu*, & Canonici cum eo sine Organo finiunt eam, & statim Antiphona reincipitur a Clero, & finitur tota, & sic omnes Antiphonę de singulis Nocturnis, & Responsoria Historię festi per ordinem tractim, & spatiose æquali voce cantentur, ut in hac Processione sufficere possint: & Antiphonis de Nocturnis expletis, cantantur Responsoria de Historia. *Adorna thalamum tuum*. ℟. *Senex puerum*, & tantum ℣. cum Organo. Postea ℣. *Obtulerunt* totum cum Organo, & sic cantando, a dextra vadunt usque ad Portam Salariam, & exinde redeunt per Galgariam, usque dum perveniant ad Portam de Posterula, & ibi statim Cantor alta voce incipit ℟. *Civitatem istam*; & cum Organo totum cantando, revertuntur usque in Plateam Majoris Ecclesiæ.

De Mysterio hodiernæ Processionis. CCCXXIII.

Sciendum est, quod Gentiles in hujus Mensis principio, Civitatis Mœnia lustrabant, & Februo, idest Plutoni consecrabant, quam lustrationem Sergius Papa mutavit in hodiernam Processionem, scilicet in die Præsentationis Domini in Templo. (*a*) Quod igitur in hac die cum Cereis, vel Candelis accensis facere consuevimus solemnem Processionem, significat quod quasi cum Anna, & Simeone Domino jubiliter occurramus. Candelæ, quæ portantur in manibus, significant bona opera, cum quibus lucidi apparebimus in conspectu Angelorum: & in manibus lumina portare, est cum Simeone confiteri, & credere Christum esse paratum *ante faciem omnium populorum Lumen ad revelationem Gentium*: Quod *illuminat*

(*a*) Vide quæ dixi in Vita Mariæ Sanctissimæ Par. II. (Tom. V.) Disser. XIII. sect. IX. quæst. II.

nat omnem hominem venientem in hunc Mundum, (a) & qui visibiliter eum cum Simeone portare non possumus, ejus visibile signum, & ei conveniens gestamus in manibus; per ceram etenim Christi humanitatem accipimus; sicut enim Apes ceram cum melle virginali producunt opere, nulla namque libidine solvuntur, nullo concubitu miscentur, sic Beata Virgo Christum Deum, & Hominem, salva uteri sui genuit integritate. Per lignum mortalitas, per ignem exprimitur ejus Divinitas. Quidam per lichilum (b) intelligunt *Divinitatem*, & per flammam ignis, dona Sancti Spiritus, quibus fuit *pro participibus* (c) inflammatus. Candelas igitur in figura Christi post quadraginta dies manibus portamus in festo Virginis, ut cum quinque prudentibus Virginibus accensis bonorum operum lampadibus Sponso Christo portantes nostros manipulos obviemus, & per Beatam Virginem Cœlestem Urbem ad nuptias intrare, & in Cœlesti Templo post quadragenarium pœnitentiæ, & observationem Decalogi, & Evangelicæ Doctrinæ, per Christi misericordiam purgati, præsentari possimus. Qui ante Cancellos in ipsa Processione decantant, *Responsum accepit*, significant Prophetas Nativitatem Domini, & Misericordiam prænunciantes. Melodia respondentium est gaudium hanc Domini Misericordiam suscipientium. Tenentes igitur eas in manibus dicamus *Suscepimus Deus Misericordiam tuam*, & cætera. Mulieres quoque in hoc Beatam Virginem imitantur, cum post Partum transactis quadraginta diebus, Ecclesiam ingrediuntur, significantes quod si Virginem fuerint imitatę, post vitam præsentem ingredientur æternam: & nota quod Purificatio non habet Octavam, eo quod ad veterem legis ritum, & non ad novum pertinet Testamentum, figurans quod in quadragenario vitæ, per quadragenarium Pœnitentiæ sic purificemur, ut in Cœlesti Sanctuario sistere valeamus.

De Prædicatione post Processionem, & Missa Majori, & horis diei. CCCXXIV.

Clero, & Populo in Platea reverso, Dominus Episcopus, vel Archipresbyter, facit ibi in Plateam Sermonem Populo, & stat appodiatus ad Pulpitum coopertum pallio, quod loco eminentiori adaptavit Sacrista. Canonici vero sedeant super scrannas; quas dum fiebat Processio, facit Camerarius præparari. Deinde post Sermonem, facta Confessione, Cantor cum duobus ascendit super gradum in januis, & verso vultu ad eos, qui sunt in Platea, cum Cruce facto Choro, modulata voce incipit cantare ℣. *Responsum accepit Simeon a Spiritu Sancto*, & totum cum Organo,

(a) Jo. I. 9.
(b) Idest lychnum. (c) Heb. I. 9.

gano, & statim Chorus respondens cantat notas, quæ in fine versus sunt decenter appositæ, & semper Chorus sic respondet ad singulos versus, donec omnes sic alternando finiuntur. Quibus expletis, omnes ordinate ingrediuntur Ecclesiam Cruce præcedente, & Clero sequente, & tunc in ingressu Ecclesiæ Episcopus, vel Archipresbyter incipit Antiph. *Cum inducerent puerum*, & statim omnes cum Organo sequuntur, & sic cum ea redeunt in Chorum, & tunc omnia signa pulsentur in classicum. Omnibus in Chorum reversis, incipitur Tertia, in qua canitur Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Accipiens Simeon*. Capitulum *Ego quasi vitis*. ℟. *Ave Maria*. Postea Cantor cum duobus in Choro incipit Trophum *O Tu Deus*, & cum Organo, & Chorus introitum perficit *Suscepimus*, & sic Major Missa a Domino Episcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono more solito, honorifice ac devote celebratur, & ea finita cantatur sexta, in qua dicitur Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Tolle puerum*. Capitulum *Ego Mater pulchræ*. ℟. *Benedicta tu*. Ad Nonam Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Revertere*. Capitulum *In me gratia omnis vitæ*. ℟. *Dignare me, laudare te*. ℣. *Post partum Virgo*. Ad Vesperum dicuntur Antiphonę de Laudibus cum Psalmis de Virginibus *Dixit Dominus*. *Laudate pueri*. *Lætatus sum*. *Nisi Dominus*. *Lauda Hierusalem*. Capitulum *Ego Mater pulchra*. Hymnus *Quod Chorus*. ℣. *Ave Maria*, & cum Organo. Ad Magnificat Antiph *Hodie Beata Virgo Maria*. *Maria purissima*. Oratio illius diei. Postea fit Collecta de Sancto Blasio per Antiphonam, & Orationem. Deinde *Benedicamus Domino* solemniter cantetur.

Quid fiat, quando Purificatio venerit in Dominica Septuagesima, vel ante, vel post.
CCCXXV.

Notandum est, quod si hæc solemnitas Purificationis in aliqua Dominicarum ante Septuagesimam venerit, omnia fiant de ea, præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicæ, & infra Hebdomadam Officium de Dominica cantabitur, si in alia prius Dominica cantari commode non valebit. Si autem in Dominica Septuagesimæ, vel alia Dominica post illam hoc festum occurrerit, tunc Sabbato in Vesperis post Orationem de Virgine dicitur Responsorium, Versiculus, & Oratio de Dominica, & post, omnia de festo fiant, præter septimam, & octavam Lectionem de Homilia Dominicali, & in Laudibus Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem, & prima Missa de festo, secunda de Dominica, Major Missa de Virgine, et in Missa de festo *Gloria in Excelsis Deo*, et pro Alleluja canitur Tractus *Nunc dimittis*, vel *Laus tibi Christe post Partum*, quocumque die veniat infra Septuagesimam. Sequentia vero in nostra Ecclesia non cantatur a Septuagesima usque in Pascha. Sive sit festum, sive non *Credo in unum*, et Pręfatio *Et te in Purificatione* cum *Ite Missa est* dicitur. In secunda Missa, quæ fit de Dominica,

Glo-

Gloria in Excelsis non dicitur, nec *Ite Missa est*, sed tantum *Credo*, quod non dimittitur in aliqua Dominica: sed quandocumque hoc festum in Dominica venerit, antequam Clerus procedat ad majorem Processionem, Septimanarius, vel alius Sacerdos spargat Aquam benedictam Altaribus, Cantore in Choro more solito incipiente Antiph. *Asperges me*, et spargat in Choro, Clero, et Populo. Hoc facto, et dicta Oratione, universus Clerus vadit ad Processionem, ut supra dictum est.

De Festis novem Lectionum in Quadragesima venientibus. CCCXXVI.

QUia in Laodicensi Concilio Cap. LV. legitur. (*a*) *Quod non oportet in Quadragesima Natalitia Martyrum celebrare*, icciro nos, nisi quorundam Sanctorum, qui præcipui sunt, festivitates, quæ nullo modo prætermittendæ putantur, minime celebramus, ut pote Cathedram Sancti Petri, Natale Sancti Matthiæ Apostoli, Sancti Gregorii, Sancti quoque Benedicti, et Festivitatem Annunciationis Domini. Nulla tamen omnino festivitas in Quadragesima occurrere poterit, quæ jejunium excludat in ferialibus diebus. Sed, (*b*) sicut Beatus Augustinus ait in Sermone de Cathedra Sancti Petri; *Quandocumque in Quadragesima hæc solemnitas venerit, facere eam nobis debet Sanctorum dierum reverentia gratiorem, ut dies, quæ prius erat intemperantiæ, nunc sit sobrietatis: quæ erat gulæ, sit abstinentiæ, quæ erat peccati, sit sanctitatis.* Cum ergo Festivitas novem Lectionem aliqua feria in Quadragesima evenerit, a Vespera usque ad Vesperam festive celebretur, et post Orationem festivitatis Antiphona propria, et Oratio dicitur de jejunio. Matutinalis Missa de jejunio cum genuflexione, et festi commemoratione Populo dicitur: sed si est speciale festum nostræ Ecclesiæ, etiam Matutinalis Missa dicitur de festo, et secunda de jejunio. De festo autem in hora tertia Major Missa solemniter canitur, in qua Diaconus in Dalmatica, Subdiaconus in Tunica ad Altare ministrent, et in majoribus Pulpitis legant. Finita Missa statim Sexta cantetur: hora vero Nona dictis Psalmis illius horæ,

---

[*a*] In vulgatis editionibus (col. 1539. rursus 1548., & 1554. Tomi I. Concil. edit. Coleti, & Albritii) Canon 51. Laodiceni I. sic se habet: *Quod non oportet in Quadragesima Martyrum Natales peragere, sed Sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis, & Dominicis.*

(*b*) Sermonem hunc Augustino adimunt egregii PP. S. Mauri, qui eum in Appendicem rejiciunt [num. 191.] Vide quæ hoc de argumento tradunt. Utcunque sit, en quæ num. 1. allegati Sermonis edocemur: *Bene enim Natalem Cathedra inter ipsa jejuniorum initia nobis Deus præstitit, ut dies, qua prius erat in temperantia* (consule, quæ superiori Sermone tradita sunt) *nunc sit sobrietatis, qua erat gula, sit abstinentia; qua erat peccati, sit sanctitatis.*

horæ cum Antiphonis, Responsoriis, et Versiculis de festo, in ferialibus diebus pulsatur ad Vesperum, sicut mos est in festis novem Lectionum, et postea dicatur Vesperum de festo: in quo post Orationem de festo, dicetur Antiphona, et Oratio de jejunio, et sic finitis Vesperis, Fratres vadunt cęnatum. Si autem ab initio Quadragesimæ usque ad Pascha festum novem Lectionem Dominica die fuerit, in sequenti die celebriter agatur, si tamen celebris festivitas sit, et in Populo nominata, præter Festum Annuntiationis Beatæ Mariæ, quod illa die, qua venerit, celebratur.

De Festis trium Lectionum in Quadragesima. CCCXXVII.

SI vero aliqua Festivitas trium Lectionum in Quadragesima intervenerit, Officium Quadragesimæ in nullo, propter ipsam, prætermittitur, sed in Vesperis, et Matutinis, et in Missa Commemoratio fiat de illa per Antiphonam, et Orationem; et quandocumque in die Dominico per totum annum venerit, non facimus de festo trium Lectionum, nisi Collectam tantum per Antiphonam, et Orationem in Vespero, et Matutinis, et Commemorationem in Missa.

De Festo Sancti Blasii Martyris. De Festo Sanctæ Agathæ Virginis, & Martyris. Et de Festo Translationis Beati Ansani Martyris. CCCXXVIII.

DE Sancto Blasio Episcopo et Martyre, de uno Martyre cantamus; et Passionem ejus legimus in novem Lectionibus. Et si hoc festum in Dominica Septuagesimæ, vel alia postea venerit, in secunda feria celebretur. Ad Missam Officium *Statuit*. Oratio *Deus qui præsentem*. Epistola, et Evangelium *De Confessore*: hoc autem est notabile in hoc festo, quod in quibusdam Ecclesiis inolevit consuetudo, ut pro variis infirmitatibus hominum, et jumentorum ad hunc Sanctum vota plurima dirigantur, et in Candelis vota solvantur ad honorem ejus, quia ipse cuidam mulieri, quam sua Oratione sanavit, dixit, ut in die sui obitus singulis annis, ad memoriam ejus Candelam offerret.

In Natali Sanctæ Agathæ Virginis, et Martyris ad Vesperum Capitulum *Qui gloriatur*. ℟. *Quis es tu, qui venisti*. Hymnus *Jesu Corona*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Beata Agatha*. Oratio *Indulgentiam*: Ad Matutinum Invitatorium *Virginum Castitatis*. Hymnus. *Jesu Corona*. In primo Nocturno Antiph. *Ingenua sum*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Summa ingenuitas*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Ancilla Christi*. Psalm.

Do-

Domine quid. ℣. *Specie tua*. In secundo Nocturno Antiph. *Agatha Sancta*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Si ignem*. Psalm. *Verba*. Antiph. *Agatha lætissima*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Adjuvabit*. In tertio Nocturno Antiph. *Nisi diligenter*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Vidisti Domine*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Propter fidem*. Psalm *Eructavit*. ℣. *Diffusa*. Omnes Lectiones leguntur de vita ipsius. Responsoria de propria Historia. *Dum ingrederetur Beata Agatha*, et cætera, sicut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Beata Agatha*. In Laudibus Antiphona *Quis es tu*, et cæteræ. Capitulum *Qui gloriatur*. Hymnus *Virginis proles*. Ad Benedictus Antiph. *Paganorum*. Ad Missam Officium *Gaudeamus*. Oratio *Indulgentiam*. Epistola, et Evangelium de Virginibus. Per omnes horas diei Antiphonę de Laudibus, et Responsoria, et Versiculi de Virginibus. Ad Magnificat Antiph. *Mentem Sanctam*. Hunc Versiculum scriptum in Tabula quadam visibiliter per ministerium Angeli, quidam dicunt fuisse positum in tumulo ad Caput Beatæ Agathæ, ideoque inolevit consuetudo circum Castella tali die, ad Terræ conservationem, et Patriæ liberationem, cum Cruce, et Tabula ejus Imaginem continente Processionem celebrari. Si autem hoc festum in Dominica de Septuagesima, vel aliâ post illam venerit, quia in secunda feria propter festum Translationis Beati Ansani Martyris differri non potest, Sabbato ad Vesperum post Orationem de Dominica cantabitur Responsorium de Virgine, et Versiculus, et Oratio de festo; et ad Matutinum fient tres Lectiones in medio de festo, et Collecta in Laudibus per Antiphonam, et Orationem, et in Missa Matutinali similiter fiat Oratio de festo.

In Festo Translationis Beati Ansani Martyris ad Vesperum Capitulum *Beatus vir*. ℟. *Domine prævenisti*. Hymnus *Deus tuorum militum*. ℣. *Gloria, et honore*. Ad Magnificat Antiph. *Iste est*. Oratio *Propitiare*. (a) Postea de Sancta Agatha. Antiph. *Mentem Sanctam*, et Oratio *Indulgentiam*. Deinde *Benedicamus Domino* cum Organo. Item sero, competenti hora, facimus Vigiliam de Martyribus solemniter more consueto. Ad Matutinum Invitatorium *Æterni Patris*. Hymnus *Deus tuorum*. Antiphona, et Responsoria, et Versiculi de uno Martyre cantantur, et novem Lectiones de propria Legenda facta de Translatione ipsius leguntur, et totum Officium Nocturnum, & Diurnum solemniter de Martyre celebratur. Post Missam Matutinalem, et Majorem Missam cum Diacono, et Subdiacono de Martyre, ut mos est, solemniter celebramus. Per horas diei Antiphonæ de Laudibus, et Responsoria, et Versiculi de uno Martyre, et in Vesperis similiter usque Octavam fit de ipso Collecta per Antiphonam, et Orationem. Si autem hoc festum in Dominica de Septuagesima, vel alia Dominica post illam venerit, totum fiat, ut dictum est in festo Sanctorum Fabiani, et Sebastiani.

De

(a) Consule precem, quæ his ipsis verbis incipit *Propitiare* pag. 527. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomas. & affinem nosces illi, quæ hic citatur.

De Sancta Scholastica. De Sancto Valentino. De Sancto Faustino, & Jovita. De Sancta Juliana Virgine. CCCXXIX.

De Sancta Scholastica facimus tres Lectiones in Vita Beati Benedicti. (Lib. II. *Dialog.* cap. 33.)

De Sancto Valentino Episcopo, & Martyre novem Lectiones facimus de proprietate ipsius, & cantatur de uno Martyre. Ad Missam Officium *In virtute*. Epistola, & Evangelium de Confessore.

De Sancto Faustino, & Jovita tres Lectiones, & cantatur de pluribus Martyribus.

De Sancta Juliana Virgine tres Lectiones.

In Cathedra Sancti Petri Apostoli. CCCXXX.

Beati Petri Apostoli Cathedram celebramus, eo quod tali die primo in Sede Antiochena fuit locatus Episcopus. Hujus sedem recolimus, ut per eum sedem nobis in Cœlo paremus. In Cathedra igitur Sancti Petri ad Vesperum. Capitulum *Petrus Apostolus Jesu Christi*. ℟. *Tu es Pastor ovium*. Hymnus *Jam bone Pastor*. Sit *Trinitati*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Tu es Pastor*. Oratio *Deus qui Beato Petro*. Ad Matutinum Invitatorium *Tu es Pastor*. Hymnus *Jam bone Pastor*. Antiphonę in Nocturnis *In Plateis*, & cæteræ quæ sequuntur: vel *in omnem terram*. Omnes Lectiones leguntur ex Homelia de Evangelio Beati Matthæi *Venit Jesus in partes Cęsarę*. Responsoria, ut hic collecta sunt. ℟. *Simon Petre*. ℟. *Si diligis me*. *Tu es Pastor*. *Domine, si tu es*. *Surge Petre*. *Tu es Petrus*. *Quem dicunt*. *Ego pro te rogavi*. *Petre amas*. Antiph. *Solve jubente*. Antiph. *Simon Joannis*. Capitulum *Petrus Apostolus*. Hymnus *Quodcumque Vinclis* (a). ℣. *Exaltent eum in Ecclesia Plebis*. Ad Benedictus Antiph. *Quodcumque*. Ad Missam Officium *Statuit ei*. Epistola *Petrus Apostolus*. Evangelium *Venit Jesus in partes Cęsareæ*. Et *Credo in unum*. Et Pręfatio *Te Domine suppliciter*. Ad horas Antiph. de Laudibus.

---

[a] Est portio Hymni Paulini *in Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli*, qui ad hunc modum incipit:

Fælix per omnes

nam quinta Strophe sic se habet:

Quodcumque Vinclis super terram strinxeris.

qui Hymnus extat pag. 388. Tom. II. Oper. Ven. Card. Thomasii.

Capitulum, & Responsoria de Apostolis. Ad Vesperum Antiph. *Juravit* cum Psalm. de Apostolis. Hymnus (a) *Jam bone*. Ad Magnificat Antiph. *Simon*.

De Festo Beati Matthiæ Apostoli. CCCXXXI.

BEatus Matthias sorte ad Apostolatum electus, sicut meruit Apostolorum consortium, ita quoque similis solemnitatis Officium; hic enim fuit unus de LXX. Discipulis, qui pro Juda Scariot, (b) sorte ab Apostolis fuit electus. Ideoque Matthias interpretatur *Donatus*. Vigilia itaque Sancti Matthiæ Apostoli, sicut & aliorum Apostolorum cum Missa & jejunio, si extra Quadragesimam venerit, celebrari oportere, ratio exigit, licet hoc quibusdam consuetudini non sit. Sed qui Sanctum Matthiam minus cæteris Apostolis celebrant, nimirum omnium Apostolorum electioni & consecrationi derogant. Ipsi enim omnes, immo Christus in ipsis eum elegit & consecravit, & pari honore inter eos connumeravit. Unde Isidorus dicit: *Adimamus consuetudinem, servemus legem*. Ad Vesperum Capitulum *Jam non estis*. ℟. *Fuerunt sine querela*. Hymnus *Exultet Cœlum*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Tradent enim vos*. Oratio *Deus, qui Beatum Matthiam*. Ad Matutinum Invitatorium *Gaudete*. Hymnus *Exultet Cœlum*. Antiphonæ, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis. Sex Lectiones de legenda ipsius, quæ sic incipit: *Inclytam & gloriosissimam festivitatem*. Tres ultimæ de Homelia Beati Remigii ex Evangelio *Confitebor tibi Domine Pater Cœli*. Nonum ℟. *Cives Apostolorum*. Ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Jam non estis*. Evangelium *Confiteor tibi Domine*. Præfatio *Te Domine suppliciter*. Per horas diei Antiph. de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis. Ad Vesperum Antiph. super Psalm. *Juravit*, & cæteræ.

De Sancto Herculano Episcopo, & Martyre. De Festo Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis. De Sanctis Quadraginta Martyribus. Et de Sancto Gregorio. CCCXXXII.

KAlendis Martii de Sancto Herculano Episcopo, & Martyre, novem Lectiones, & habetur de ipso in Dialog. Libro III. cap. XII. (c) De

(a) Est portio Hymni, qui tribuitur Elpidi: cui tamen ab aliis demitur, & incipit ad hunc modum: *Aurea luce*, & emendatum ab Urbano VIII. nunc canitur in festo S. Petri. (b) Iscariote. (c) Nunc XIII.

De Festo Sanctarum Perpetuę, & Felicitatis tres Lectiones, vel Collectam in Quadragesima.

De Sanctis Quadraginta Martyribus tres Lectiones facimus, vel Collectam in Quadragesima.

De Sancto Gregorio Papa, & Confessore. Ad Vesperum Capitulum *Ecce Sacerdos*. ℟. *Juravit*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Amavit eum*. Ad Magnificat Antiph. *Sacerdos, & Pontifex*. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem Confessorum*. Hymnus *Summe Confessor*. Antiphonę, & Responsoria, & Versiculi cantantur de Confessoribus, & septem Lectiones de vita ejus, & duæ de Homelia Quadragesimæ. Nonum ℟. *Sint lumbi vestri*. Ad Missam Officium *Sacerdotes*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Homo quidam peregre proficiscens*.

De Festo Sancti Benedicti Abbatis, & Confessoris. CCCXXXIII.

DE Sancto Benedicto Abbate, & Confessore. Ad Vesperum Capitulum *Justum deduxit*. ℟. *Amavit eum*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Amavit eum*. Ad Magnificat Antiph. *Clementissime*, & Collecta de feria in Vesperis, & Matutinum per Antiphonam, & Orationem. Ad Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Iste Confessor*. Antiphona super Nocturnum *Beatus vir, qui in lege*, & cæteræ. Sex primæ Lectiones de vita illius cum istis ℟. *Euge serve bone*. *Justus germinabit*. *Domine prævenisti*. ℟. *Posui adjutorium*. *Justum deduxit*. *Amavit eum*. Septima, & octava Lectio de Homelia feriali cum suis Responsoriis. Ultima Lectio de festo, & nonum ℟. *Iste est qui ante Deum*. Item *Te Deum Laudamus*. In Laudibus Antiph. *Euge serve*. *Beatus ille*. *Fidelis servus*. *Ecce vere*. *Serve bone et*. Capitulum *Justus cor suum*. Hymnus *Tu procul casus*. ℣. *Justus, ut palma florebit*. Ad Benedictus Antiph. *Euge serve bone*. Ad Missam Officium *Os justi*. Epistola *Beatus vir*, vel *Justus cor suum*. Evangelium *Nemo accendit lucernam*. Per omnes horas diei Antiphonę de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Confessore. Ad Vesperum Antiphona super Psalm. *Virgam virtutis*. Psalm. *Dixit Dominus*, & cæteræ Antiphonæ cum Psalmis. Ad Magnificat Antiph. *Amavit eum*. Si autem hoc festum in feria quarta, vel quinta, vel sexta, vel Sabbato majoris Hebdomadæ venerit, tunc quia festum Anuntiationis in Hebdomada Paschali occurrit, & quando sic pervenit, in Hebdomada retro in feria quarta celebrari consuevit, in nostra Ecclesia festum Sancti Benedicti in feria tertia ejusdem Hebdomadæ ante, ut dictum est, poterit celebrari.

De Annuntiatione Salvatoris, vel *Beatæ Mariæ Virginis*. CCCXXXIV.

ANnuntiatio nostri Salvatoris inter præcellentissimas Solemnitates computanda est: dicitur enim hoc Festum esse festorum Christi fons, & principium; tunc autem non ingrati esse Redemptioni nostræ videbimur, si exordium ejus debita cum reverentia celebremus. Quia vero hæc festivitas sæpe in Hebdomada Palmarum, vel etiam Paschæ occurrit, diverso modo, cum in eis venerit, celebratur, nam si in die Palmarum fuerit, in secundam feriam differetur. Sed si alia Dominica in Quadragesima venerit, eadem Dominicâ, qua fuerit, celebrabitur. Si vero in Hebdomada Palmarum secunda, tertia, vel quarta feria occurrerit, ibidem solemniter celebretur. Sed si in quinta, vel sexta feria, vel Sabbato ejusdem Hebdomadæ, vel in die Paschæ, aut in Hebdomada Paschali venerit, in quarta feria post Dominicam Palmarum consuevit in nostra Ecclesia celebrari. Ad Vesperum Antiphonæ super Psalm. *Missus est Gabriel*. Psalm. *Laudate pueri*. Antiph. *Angelus Domini*. Psalm. *Laudate Dominum*. Antiph. *Antequam*. Psalm. *Lauda anima*. Antiph. *Ne timeas*. Psalm. *Laudate Dominum*, *quoniam bonus est Psalmus*. Antiph. *Ecce Ancilla*. Psalm. *Lauda Hierusalem*. Capitulum *Ecce Virgo* ℟. *Ave Maria*. Hymnus *Deus, qui Mundum*. (a) ℣. *Ave Maria*. Ad Magnificat Antiph. *Maria dixit*. Oratio *Deus, qui de Beatæ Mariæ*: post fit Collecta de feria per Antiphonam, et Orationem.

De

(a) Ex Libello Processionali &c. num. 750. cum notis unica linea.

Deus qui Mundum crimine jacentem,
Filii tui Carne relevasti,
Et veternosam perfidi serpentis
Noxam delesti.
Mortem, quam dudum Eva propinavit;
Ventre Beato Virginis fugasti,
Ad preces nostras aures pietatis
Tua inclina.
Cœlo dimissus Gabriel salutem,
In Galilæa Virgini detulit,
Gaudium certum nuntiare venit,
Mundo venturum.
Dudum jam Virgo desponsata erat
Proco famoso, anulo pudoris.
Joseph, qui numquam copulam jugali
Corpore gessit.

Nec

De Matutinali Officio. CCCXXXV.

AD Matutinum Invitatorium *Ave Maria*. Hymnus *Deus, qui Mundum*. In primo Nocturno. Antiph. *Missus est*. Psalm. *Domine, Dominus noster*. Antiph. *Angelus*. Psalm. *Cæli enarrant*. Antiph. *Antequam convenirent*. Psalm. *Domini est terra*. ℣. *Specie tua*. ℟. *Missus est*. ℣. *Dabit*. ℟. *Ave Maria*. ℣. *Quomodo*. ℟. *Ante multum*. ℣. *Portam*. In secundo Nocturno Antiph. *Ne timeas*. Psalm. *Eructavit*. Antiph. *Quomodo fiet*. Psalm. *Deus noster*. Antiph. *Ecce Ancilla*. Psalm. *Fundamenta*. ℣. *Adjuvabit eam*. ℟. *Ecce Virgo*. ℣. *Super solium*. ℟. *Suscipe Verbum*. ℣. *Paries quidem*. ℟ *Beatam me dicent*. ℣. *Et misericordia ejus*. In tertio Nocturno Antiph. *Gabriel*. Psalm. *Cantate I.* Antiph. *Maria dixit*. Psalm. *Dominus regnavit*. Antiph. *Beatam me dicent*. Psalm. *Cantate II.* ℣. de feria, vel de Dominica. Sex Lectiones leguntur de Homelia Ambrosii ex Evangelio *Missus est*, cum Responsoriis de festo; septima, & octava Lectio de feria, vel de Dominica, si fuerit in Dominica, cum suis Responsoriis. Ultima Lectio de festo, & ℟. *Gaude Maria*. Postea *Te Deum Laudamus*. ℣. *Elegit eam Deus*. In Laudibus Antiph. *Ave Maria*. Antiph. *Prophetæ prædicaverunt*. Antiph *Rorate Cæli*. Antiph. *Benedicta tu in*. Antiph. *Gaude Maria*. Capitulum *Ecce Virgo*. Hymnus *Gaudens in Verbo*. (a) ℣. *Speciosa facta es*. Ad Benedictus Antiph. *Spiritus San-*

Hic casto degens pectore puella,
Quam sic ingressus Angelus salutat;
Ave Maria, gratia plena,
Dominus tecum.
Festinus dehinc nuntius adjunxit,
Beata eris inter Mulieres,
Et Benedictus fructus ventris tui;
Quæ credidisti.

(a) Divisio.

Gaudens in Verbo tum turbata erat,
Cogitans, cur sit ita salutata,
Quomodo possint fieri, quæ dicis,
Angele Dei?
Quam affectus Gabriel affatur,
Noli timere gratia repleta,
Numinis alti Filium gestabis,
Ventre Beato.
Inquiens Virgo nuntium perquirit,
Unde hoc mihi virum non cognosco;
Quomodo possint fieri quæ dicis,
Unde hoc sciam?

Cui

Sanctus. Oratio *Deus qui de Beata*. Deinde fit commemoratio de feria, vel de Dominica per Antiphonam, & Orationem. Ad Primam Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Ave Maria*. Capitulum *Rorate Cæli*. ℟. *Christe Fili Dei*. *Qui natus es de Maria Virgine*. ℣. *Post Partum Virgo*. Oratio de Sancta Maria.

De Missa Matutinali, & Majori, & Horis diei, & Vesperis. CCCXXXVI.

CAntata Prima, Fratres cum aliis Clericis exeunt in Capitulum, & more solito in festis diebus, solvitur Capitulum; hac enim die omnes Clerici de Civitate ex antiqua consuetudine, cantatis Matutinis, veniunt ad Majorem Ecclesiam, antequam cantent Missas, & ibi morantur usque post Evangelium primæ Missę, quæ post solutionem Capituli canitur de festo, cum *Gloria in Excelsis*, in qua & *Credo*, & Pręfatio *Et te in Annuntiatione*, & *Ite Missa est* dicatur. Post primam Missam, nisi sit dies Dominicus, dicitur Missa *pro Defunctis*, qua dicta, canitur Missa de feria sine *Gloria in Excelsis*, & cum genuflexione. Postea hora congrua Major Missa de Virgine, cum Diacono, & Subdiacono more consueto, solemniter in hora Tertia celebratur, & est Officium *Rorate*. Epistola *Locutus est Dominus ad Achaz*. Graduale *Diffusa est*. Tractus *Ave Maria*, vel *Laus tibi Christe*. *Post Partum*. Evangelium *Missus est Gabriel*. Offertorium *Ave Maria*. Postcommunio *Ecce Virgo concipiet*: & nota quod si hoc festum venerit in Dominica, non consuevimus ea Dominica facere Processionem. Ad Tertiam Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Sicut Mirra*. Capitulum *Rorate*. ℟. *Ave Maria*. Ad sextum Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Beata es Maria*. Capitulum *Egredietur Virga*. ℟. *Benedicta tu*. Ad Nonam Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Gaude Maria*. Capitulum *Erit in*

Cui repente Angelus respondit,
Spiritus Sanctus super te descendet;
Ideo Sanctum quod erit vocatum,
Filius Dei.
Mox Sacra Virgo Angelo respondit;
Ecce Ancilla Domini sum ego: *contingat*;
Mihi juxta Verbum suum,
Sicut dixisti.
Statim discessit Angelus; at illa
Festinans abiit in montana,
Domum ingressa Zacharia vatis,
Cum claritate.
Gloriam summo referamus Patri,
Cui congaudet Filius dilectus,
Sanctus simulque Spiritus Creator,
In sempiternum. Amen.

in novissimis diebus. ℟. *Dignare me, laudare te*. Ad Vesperum Antiphonæ super Psalmos eædem quę in Vigilia ad Vesperum dictæ fuere. Capitulum *Ecce Virgo*. Hymnus *Deus, qui Mundum*. Ad Magnificat Antiph. *Maria dixit*, & Collecta de feria per Antiphonam, & Orationem.

De Sancto Tiburtio. CCCXXXVII.

DE Sancto Tiburtio, Valeriano, & Maximo, si fuerint intra Quadragesimam, facimus inde Collectam tantum per Antiphonam, & Orationem, sed si extra Quadragesimam fuerint, facimus inde novem Lectiones, & legitur eorum Passio in legenda Sanctæ Cęciliæ, ab eo loco. *Turgius* (a) *Almachius Urbis*, usque ibi, *& jussit, ut in Sarcophago ejus*. Ad Missam Officium *Sancti tui*. Epistola *Lingua Sapientium*. Evangelium *Ego sum vitis*.

De Ordine Officii in Festis a Resurrectione usque Pentecosten. CCCXXXVIII.

DE Festis a Resurrectione Domini usque ad Pentecosten hæc varietas observatur; primo quæcumque festivitas in Hebdomada Sancti Paschæ occurrerit, tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem: & fiet in Vesperis, & Matutinis de festo, & in Missa per Orationem commemoratio de illo. Ab Octava vero Paschæ usque ad Pentecosten, in festivitatibus Sanctorum, sive unius, vel plurimorum, sive Apostoli, sive Martyris, sive Confessoris, vel Virginis, nisi propriam habuerit Historiam, hunc ordinem consuevit nostra Ecclesia obtinere. In festis novem Lectionum in Vigilia ad Vesperum, Capitulum de festo. Hymnus *Vita Sanctorum*. Ad Magnificat Antiph *Filiæ Hierusalem*. Oratio illius Festi. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Martyrum*, vel *Confessorum*, vel *Apostolorum*, vel *Virginum*. Hymnus *Vita Sanctorum*. (b) Alleluja cum tribus Psalmis in primo Nocturno cantetur in eo tono, quo prima Antiphona sive plurimorum, sive unius in Historia dicitur. In secundo Nocturno, & in tertio similiter Lectiones de festo dicuntur. Si propria non habentur de festo, legatur super Joannem de Expositione Evangelii *Ego sum vitis*. ℟. *Beatus vir qui metuit Dominum*, & cætera, ut habentur in Antiphonario. *Te Deum Laudamus* cotidie in Ecclesia nostra dicitur usque ad Pentecosten. In Laudibus, sive sit festum unius, sive plurium, dicuntur Antiph. *Sancti tui Domine*, et cæteræ. Hymnus *Corda tu sursum*. (c) Ad

(a) Turcius. (b) Hunc Hymnum exhibebit Cassander pag. 135. *Vita Sanctorum decus Angelorum*. (c) Est portio superioris Hymni *Corda tu sursum modo nostra tolle*.

Ad Benedictus Antiph. - - - - - - - , et Oratio de festo. Ad Primam, et ad omnes horas Responsoria consueta de Sanctis, et cum Alleluja semper usque Octavam Pentecosten. Et postea in Vesperis omnes Antiphonæ de Laudibus, cum istis Psalmis *Dixit Dominus*. *Confitebor*. *Beatus vir*. *Credidi*. *Eripe me Domine* dicuntur. Capitulum, Hymnus, Versiculi non mutantur in Vesperis. Ad Magnificat Antiph. *Filiæ Hierusalem*. Ad Missam quoque in hoc tempore semper de pluribus Sanctis Officium *Sancti tui Domine*. Et de uno Sancto Officium *Protexisti me Deus* debet dici, nisi forsitan proprium Officium de aliquo festo habeatur, et primum Alleluja de Resurrectione: Secundum de Sancto, vel de Sanctis: sicut festum plurium. Sive autem de uno, sive de pluribus Sanctis fiat hoc tempore, semper Evangelium *Ego sum vitis vera dicitur*, nisi proprium habeatur, et semper tunc dicitur Pręfatio *Te quidem omni tempore*, nisi in festis, quæ proprias habent Pręfationes.

De Festis trium Lectionum. CCCXXXIX.

SI autem aliquod Festum trium Lectionum ab Octava Resurrectionis; usque ad Ascensionem infra Hebdomadam venerit, de ipso taliter Officium celebratur. In Vigilia ad Vesperum, Capitulum, Hymnus, Versiculus, et Antiphonæ de ipso festo, nisi aliud festum novem Lectionum ea die fuerit, quod si esset, post Orationem illius fieret de festo trium Lectionum tantum Collecta per hanc Antiph. *Lux perpetua*, et ejus Oratio. Item ad Matutinum Invitatorium *Alleluja*, *Regem Martyrum*, *Confessorum*, vel *Virginum*. Hymnus *Vita Sanctorum*. Deinde totum Matutinum, de Psalmis feriæ sub Allelujatica in tono primæ Antiphonæ, quam feria requirit. Tres Lectiones de festo, et tria Responsoria de Historia *Beatus vir*. Item *Te Deum Laudamus*. ℣. de festo. In Laudibus Versiculus, Psalmi sub prima Antiphona de Laudibus *Sancti tui Domine*. Ad Primam, et alias horas usque ad Nonam, tantum Antiphonæ de Laudibus festi; alia in Missa, et in horis non mutantur. Frequentatur autem in hoc tempore identitas Officiorum in festis Sanctorum, eo quod in alia vita idem erit denarius omnium, et tunc glorificati unum erimus cum Christo, qui est ille *Beatus vir*, de quo canitur Historia, & *vitis vera*, et Sancti sunt *palmites*, sicut dicitur in Evangelio. De Sanctis autem, qui cum Christo resurrexisse creduntur, et Cœlos ascendisse, non solemnizat Ecclesia specialiter hoc tempore propter auctoritatem Majorum, sed post Orationem Beatæ Mariæ, facit de ipsis generalem Collectam per Antiphonam, et Orationem, licet enim non de morte, quia descenderunt ad Inferos, tamen de glorificatione ipsorum solemnizare debemus.

De

De Festis in Dominica venientibus a Resurrectione usque Pentecosten. CCCXL.

NOtandum vero quod de omnibus festis novem Lectionum, quæ in Dominica venerint ab Octava Resurrectionis usque Pentecosten, facimus tantum tres Lectiones in medio, si habuerimus inde legendam: sed si non habuerimus, tunc faciemus de festo tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem in Vesperis, & Matutinis: & in Missa per Orationem commemoratio fiet de festo, prçterquam in festo Apostolorum Philippi & Jacobi, & Sancti Joannis ante Portam Latinam, & Sanctę Crucis, & Sancti Michaelis, & Sancti Victoris Martyris, & Sancti Barnabæ Apostoli, in quibus fit totum Officium de festo, præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali, & prima Missa dicetur de Dominica, & Major de festo. Sed in festo Sancti Michaelis, quia apud nos est, & speciale de ipso vocabulum habemus in Altari nostræ Ecclesiæ; prima Missa de festo, & secunda de Dominica, & Major de festo dicetur, & tunc ad Processionem, donec aqua spargitur Altaribus, & Clero, more solito cantatur in Choro prius Antiphona *Vidi aquam*; & postea incipitur ℟. de festo, si habetur proprium, vel aliquod ℟. de Historia *Beatus vir*, & cum eo cantando imus per Claustrum Canonicæ, & in ingressu Ecclesiæ cantatur *Gloria*, vel aliqua Antiphona quæ festo convenire videatur. Si autem festum trium Lectionum in Dominica, etiam per totum annum venerit, fiet de ipso tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem in Vespero, & Matutino, & in Missa commemoratio per Orationem.

De Sancto Georgio. CCCXLI.

DE Sancto Georgio Martyre. Ad Vesperum Capitulum *Beatus vir.* Hymnus *Vita Sanctorum*. ℣. *Gloria & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Filiæ Hierusalem*. Oratio *Deus, qui nos Beati Geati Georgii*. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluja*, *Regem Martyrum*. Hymnus *Vita Sanctorum*. In primo Nocturno Antiph. *Allelujatica* eo tono, quo canitur Antiphona *In lege*, cum tribus Psalmis ibi positis. In secundo Nocturno Antiph. *Allelujatica*, eo tono quo canitur Antiph. *Filii hominum*, cum aliis tribus Psalmis. In tertio Nocturno Antiph. *Allelujatica* in tono Antiphonę *Justus Dominus*, cum aliis tribus Psalmis. Novem Lectiones leguntur de Passione illius, & omnia Responsoria cantantur de Historia *Beatus vir*. In Laudibus Antiph. *Sancti tui Domine*, & cæteræ. Capitu-

lum *Beatus vir*. Hymnus (*a*) - - - - - - ℣. *Magna est*. Ad Benedictus Antiph. - - - - - - -. Ad Missam Officium *Protexisti me*. Epistola *Beatus vir*. Evangelium *Ego sum vitis*. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de uno Martyre, semper cum Alleluja, & in Vesperis super Psalmos Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis de uno Martyre. Si autem hoc festum in Dominica venerit, faciemus tantum tres Lectiones in medio de festo, & in Vesperis, & Matutino, & Missa commemoratio fiet de ipso. Sed si in Sabbato Sancto, aut in die Sancto Paschæ venerit, vel in Octava Paschæ, in secundam feriam post Octavam Paschæ differetur, & tunc una die fiet totum de Sancto Georgio, & alia die de Sancto Marco, sicut faciunt illi de Sancto Fridiano. Si tamen aliqui post tertiam feriam in Paschali Hebdomada de his festis facere velint, cum ita veniunt, facient tantum Collectam de festo in Vespero, & Matutino, & Missa, & post Missam Matutinalem fiet Processio, & Missa cantabitur de festo, & alia die post primam Missam fiant Litaniæ, & post Litanias cantabitur Missa *de Afflictione*. In hoc festo Sancti Georgii, in eundo cantamus Responsoria *Beatus vir: Pretiosa*, & eorum Versiculos cum Organo, & ℟. *Lætitia sempiterna*, cum Organo totum. Postea Antiph. *Surrexit*, & Antiph. *Crucifixum*, & cum ventum fuerit ad ipsam Ecclesiam, ibi statim cantatur Tertia, & post cum Diacono, & Subdiacono a Domino Episcopo, si fuerit præsens, vel Archipresbytero Major Missa de festo celebratur, quà finita cantatur sexta.

De Sancto Marco Evangelista. CCCXLII.

DE Sancto Marco Evangelista, ad Vesperum Capitulum *Jam non estis*, ℣. *Tristitia*. Hymnus *Tristes erant Apostoli*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Filiæ Hierusalem*. Oratio *Deus, qui Beatum Marcum*. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluja: Regem Apostolorum*. Hymnus *Vita Sanctorum*. In primo Nocturno *Allelujatica* Antiphona, in tono Antiphonæ *In omnem terram*, cum tribus Psalmis. In secundo Nocturno Antiphona *Allelujatica* in tono Antiphonæ *Principes populorum*, cum tribus aliis Psalmis. In tertio Nocturno Antiphona *Allelujatica*, in tono Antiphonæ *Exaltabuntur*, cum aliis tribus Psalmis. Omnes Lectiones de legenda ipsius quæ sic incipit: (*b*) *Per idem tempus, quo dispersi erant*

(*a*) Fortasse indicandus erat Hymnus *Gesta Sanctorum Martyrum*, quem *Ambrosianum*, & in festo S. Georgii cantatum fuisse, edocemur pag. 385. Tom. II. Oper. Ven. Card. Thomas.

[*b*] Narrationem hanc (nisi fallimur Apocrypham) tibi præbet egregius Henschenius adnotationibus adornatam ad diem XXV. Aprilis [in Opere Bollandiano pag. 347. To. III.] Eam consule, si libet.

erant Apostoli. ℟. ut hic Collecta sunt. ℟. *Beatus vir*. ℟. *Tristitia*. *Pretiosa*. *Lux perpetua*. *Filiæ Hierusalem*. *Virtute magna*. *Isti sunt Agni*. *Vidi portam*. *Vox exultationis*. Postea *Te Deum Laudamus*. In Laudibus Antiph. *Sancti tui Domine*, & cæteræ. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *Tristes erant Apostoli*, vel (a) *Corda tu sursum*. Ad Benedictus Antiph. - - - - - - Ad Missam Officium *Protexisti*. Epistola *Jam non estis*. Evangelium *Designavit Dominus*, & Præfatio *Te Domine suppliciter*. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & ℟., & ℣. de Apostolis, in fine quorum semper additur Alleluja. Ad Vesperum omnes Antiphonæ de Laudibus, cum Psalmis de Apostolis.

De Litaniis faciendis in festo Sancti Marci. (b) CCCXLIII.

HAc die facimus Litanias ad Sanctum Laurentium hoc ordine. Post Missam Matutinalem, quæ cantata est de Sancto Marco, pulsantur majores Campanæ, ut Clerus, & Populus conveniant ad majorem Ecclesiam pro Litaniis communiter faciendis: post trinam vero pulsationem hora congrua omnibus in Ecclesia coadunatis, prout factum est in aliis Litaniis, Cantor in Choro incipit canere *Sanctus Deus*. *Sanctus fortis*. *Deus misereatur*, & cætera, ut supra scripsimus in Litaniis. Postea Vexillo cum Cruce præcedente exeuntes Ecclesiam bini, & bini per gradus descendentes a sinistra, pie ac reverenter, prius Antiphonam, & postea Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis cantamus euntes usque ad Ecclesiam Sancti Laurentii, & cum illuc pervenerimus, Sacerdos ibi preparatus cantat Missam *de Afflictione*, (c) in qua post primam Orationem fit commemoratio de Sancto Marco per Orationem, & in ea non dicitur *Gloria in Excelsis Deo*, nec *Ite Missa est*, sed *Credo* non dimittitur, & dicitur Præfatio *Te quidem omni tempore*. Sed quia dies iste sæpe in Paschali occurrit Hebdomada, cum hoc fuerit, in secundam feriam post Octavam Paschæ celebratio festi Sancti Marci differtur, & tunc dies Litaniarum indivise

(a) Jam dixi esse portionem Hymni, qui ad hunc modum incipit *Vita Sanctorum, decus Angelorum*. [pag. 235. Cassand.]

(b) De hoc Argumento vide, obsecro, eos Scriptores, quos allegat præclarissimus Cardinalis Antonelli (*in Missale vetus*) pag. 198. adnotat. 1. & 2. Consule etiam obsecro, quæ *Glossar Media, & Inf. Latinit.* a Carolo Ducange editum, & ab Optim. Monach. S. Mauri auctum: *ad Voces Litan. Romana* tradit. Recole etiam quæ ad Capit. 225., & 226. dixi.

(c) Arbitror eam ipsam esse, quæ hodieque canitur, & cujus introitus ad hunc modum incipit: *Exaudivit de Templo Sancto suo vocem meam, Alleluja &c.* Oratio autem hæc est: *Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de sua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur. Per Dominum.*

divise celebratur. Quidam tamen, sed non ita de jure, post tertiam feriam infra Paschalem Hebdomadam, cum ita venerit, Collectam faciunt de festo in Vespero, & Matutino, & Missa, & postea faciunt Litanias, ut dictum est. Si autem in aliqua Dominica post Pascha hoc festum evenerit, in sequentem feriam differtur. Cum vero in Octavam Resurrectionis venerit, in die Octavæ ad Vesperum dicta Oratione Paschali dicetur Antiph. *Filiæ Hierusalem*, & ℣. *In omnem terram*, & Oratio de Sancto Marco, & postea fiet Collecta de Sancto Cleto Papa, & Martyre per hanc Antiph. *Lux perpetua*, & Orationem ipsius, & Collecta de Cruce, & de Sancta Maria, & postea in secundam feriam totum Officium fiet de Sancto Marco: & nota quod hac die Litaniarum, jejunium non habet Ecclesia, quidam tamen ex devotione tali die consueverunt a carnibus abstinere.

Quare istę Litaniæ dicuntur Gregorianæ, & Majores. CCCXLIV.

NOtandum quod hodiernę Litaniæ Gregorianæ dicuntur, & Majores tum auctoritate instituentis, tum auctoritate loci: Apostolicus enim eas instituit Romæ, cujus institutionis causas Paulus Montis Cassini Monachus, Longabardorum Historiographus, ita describit dicens: (a) Quod

(a) Pauli Diaconi verba exquisivi, & hæc sunt (lib. III. cap. 23., & 24.) *In hac Diluvii effusione in tantum apud Urbem Romam fluvius Tyberis excrevit, ut aqua ejus super muros Urbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alveum ejusdem fluminis cum multa Serpentium multitudine, Draco etiam miræ magnitudinis per Urbem transiens, usque ad Mare descendit. Subsecuta statim est hanc inundationem gravissima Pestilentia, quam inguinariam appellant: Qua tanta strage Populum devastavit, ut de inæstimabili multitudine vix pauci remanerent, primumque Pelagium Papam, Virum Venerabilem perculit, & sine mora extinxit. Deinde Pastore interempto, sic se per Populos extendit. In hac tanta tribulatione Beatissimus Gregorius, qui tunc Levita erat, a cunctis generaliter Papa electus est.* His simillima ea sunt, quæ num. X. prioris S. Gregorii vitæ ab egregiis S. Mauri Monachis editæ, [To. IV. Oper. S. Gregorii Magni] & Paulo Diacono tributę, extant, quæque consulat Lector opto. Sed ut revertar ad ea, quæ Paulus Diaconus in sua Historia docet, ad hunc modum narrationem suam prosequitur. *Qui* (Gregorius Magnus) *dum septiformem Litaniam fieri ordinasset, intra unius horæ spatium, dum hi Dominum deprecarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes spiritum exhalarunt. Septiformis autem Litania ideo dicta est, quia omnis Urbis Populus a Papa Gregorio in septem partes deprecaturus Dominum est divisus. In primo namque Choro fuit omnis Clerus; in secundo omnes Abbates cum Monachis suis; in tertio omnes Abbatissæ cum Congregationibus suis; in quarto omnes Infantes; in quinto*

quinto omnes Laici; in sexto universę Viduæ; in septimo omnes Mulieres conjugatæ. Micrologus etiam cap. 57. *Major Litania a B. Gregorio Papa Primo pro Pestilentia ipsius temporis instituta est*.

Porro ex verbis, quæ exscripsi, & præsertim ex verbis Pauli Diaconi, quæ ex emendatissima editione a Muratorio, & Sociis Palatinis diligentissime elaborata, & annotationibus egregiis illustrata est, insertaque in Tomum I. *Rer. Italicarum*: ex his, inquam, verbis assequeris, minime constare auctorem Litaniarum, quæ in die S. Marci Romana Ecclesia publice canit, auctorem fuisse S. Gregorium: scilicet id non traditur in allegatis Pauli Diaconi verbis, quæ tamen in eam rem, de qua agimus, afferri a Scriptoribus solent: atque adeo aliunde assequimur, antequam S. Gregorius M. Romano Pontificatu decoraretur, jam in more id fuisse. Scilicet declarare id videntur ea monita, quæ pag. 104., & 105. Tomi IV. adjicit Cl. Editor ejusdem Tomi IV. Oper. S. Gregorii, ex quibus etiam assequimur, *Litaniæ Majoris* nomine fuisse etiam appellatam eam Litaniam, quæ in triduo Rogationum celebrababatur. Integram eam annotationem libentissime exscriberem, nisi plurima complecteretur, quæ consulat per se Lector, rogo, qui moderationem etiam Cl. Editoris commendabit, qui ea, quæ in hac adnotatione docuit, eandide se hausisse fatetur, *ex Origin. Ecclesiast.* Joseph Bingami. Adde, si vis, non peculiarem fuisse Urbis Romanæ iis temporibus calamitatem, sed totam Italiam occupasse. Quam ob rem simillimum veri est, non modo, Simmacum, & deinceps Gregorium, sed reliquos Episcopos, subjectos sibi Populos ad Deum deprecandum excitasse. En vadem illum ipsum Paulum Longobardum, quem allegat noster Ordo 11 (ex Pauli vero monitis etiam disces errasse Scriptorem nostrum, dum Neronis Templum veteribus omnibus ignotum commemorat, cum Basilicam Veronensem S. Zenonis Paulus co[illegible] memorasset.) *Eo tempore* (inquit Paulus cap. 23.) *fuit aqua Diluvium in finibus Venetiarum, & Liguriæ, seu cæteris regionibus Italiæ, quale post Noe tempus creditur non fuisse. Factæ sunt Lavinæ Possessionum, seu Villarum, Hominumque pariter, & Animantium magnus interitus, destructa sunt itinera, dissipatę sunt viæ, tantumque Atesis fluvius tunc excrevit, ut circa Basilicam Beati Zenonis Martyris, quæ extra Veronensis Urbis muros sita est, usque ad superiores fenestras Aqua pertingeret, licet B. Gregorius post Papa scripsit, in eandem Basilicam Aquam minime introisse. Urbis quoque ejusdem Veronensis muri ex parte aliqua eadem sunt inundatione subruti. Facta est autem hæc inundatio sexto decimo Kal. Novembris . . . In hac Dilu..i effusione &c.* Adjice etiam ex his, & superioribus Pauli Diaconi verbis minime erui illud Processionis genus, quod hodieque in S. Marci die peragimus. Forma sane nonnihil diversa est: neque ea, quam hodie servamus, Processionis species illi similis diei poterit, quam describit Paulus Diaconus, neque aliquid habet unde *Septiformis* queat appellari. Tempus etiam quo celebrata illa est, valde distat ab eo, quod nunc ex prisca institutione celebramus: Autumno scilicet tum acta ea est, quam egit Simmacus, tum ea etiam, quam S. Gregorius Pontifex jam electus solemniter celebravit; Constat enim ex prioribus Historiæ Pauli Diaconi verbis proxime post electionem suam a S. Gregorio eam fuisse indictam, & actam. Id quoque assequeris ex num. XII., & XIII. Vitæ S. Gregorii a Paulo Diacono conscriptæ. *Igitur dum magna multitudo . . . . . Cumque adhuc futurus antistes fuga latibulum præpararet &c.*

Et

Quod tempore Pelagii Papæ tanta fuit aquarum inundatio per Italiam, quod aquę ascendebant usque ad superiores fenestras Templi Neronis, quod erat Romæ: Nec aqua intrabat Templum, quod erat miraculum. Tunc per Tiberim effluxit multitudo Serpentium, inter quos fuit maximus Draco, ex quorum flatibus aer est corruptus, & inde emersit Pestis inguinaria, quam homines passi subito moriebantur, qua cum pœne totus Romanus Populus delereretur, Pelagius Papa omnibus jejunium, & Processionem indixit, sed in ipsa Processione cum LXX. aliis expiravit. Cui substitutus Gregorius Primus, qui & Magnus dictus est, hanc Litaniam ubique Terrarum observari pręcepit. Ideoque dicitur hæc Litania Gregoriana, vel Romana, quia eam Beatus Papa Gregorius Romæ propter sævientem Pestilentiam instituit, sicut in Sermone ejus legitur, quem ipse tunc fecit ad Populum dicens: (a) *Oportet dilectissimi Fratres, ut flagella Dei &c.* & pro mortalitate Hominum quæ tunc in Romanum Populum grassabatur, posterisque perpetuo jure observandas relinqueret. Lege vitam ejus, & invenies. Has itaque Litanias tota Ecclesia per Orbem Terrarum diffusa [b] exemplo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sed etiam pro quarumcumque periculis necessitatum Corporum, vel Animarum, ut communibus Ecclesiæ precibus Deo placatus, quod pro peccatis nostris meremur, avertat, & salutaria quæque, quæ non meremur, Sanctorum nobis intercessio obtineat.

De Sancto Cleto. De Sancto Vitali. Et de Festo Apostolorum Philippi, & Jacobi. CCCXLV.

DE Sancto Cleto Papa, & Martyre novem Lectiones: & legitur, & cantatur de uno Martyre.

De Sancto Vitali Martyre tres Lectiones, quæ requirantur in legenda Sanctorum Gervasii, & Protasii.

Kalen-

Et sane ex Martyrologio Romano discimus, III. Nonas Septembris fuisse electum Pontificem: nec diu post illius electionem videtur celebrata fuisse ea Litania, cum cunctos, & præsertim piissimum Pontificem ad statim Deum publice deprecandum præsentissima, gravissimaque urgeret calamitas. Neque vero dubitationem submovent allata Pauli Diaconi verba: non enim ab iis edocemur, tum fuisse primùm institutam eam, de qua agimus, *Litaniam*, sed tantum *institutam*, quod commode accipimus ad significandam aptam præsenti calamitati removendæ institutionem, licet aliàs adhibitam: neque etiam edocemur, eam S. Marci die fuisse celebratam, neque eo exemplo fuisse decretum, ut in singulos annos S. Marci die celebraretur.

(a) Vide hunc Sermonem n. XI. Vitæ S. Gregorii Magni a Paulo Diacono elucubratæ. [b] Substitue: *adhibet*.

Kalendis Maii Natale Apostolorum Philippi, & Jacobi. Hic est dictus Jacob Minor, non ætate, sed vocatione, (a) quod adhuc in Fratrum susceptione consuetudo servat Ecclesiæ. [b] Iste dictus est *Frater Domini*, quia ei similabatur in facie, vel quia erat frater ejus consobrinus. Iste fuit filius Alphei, (c) & Episcopus Hierosolymitanus. (d) Istorum autem Apostolorum Vigilia nec cum Missa, nec cum jejunio ab Ecclesia celebratur, quia, ut prædictum est, per L. dies a Resurrectione jejunium nescit Ecclesia. In Vigilia itaque ad Vesperum dicitur Capitulum *Stabunt justi*. ℟. *Non turbetur vestrum*. Si hoc festum venerit ante Ascensionem, hunc Hymnum dicimus in Vesperis, & Matutinum *Tristes erant Apostoli*. Si vero postea, (e) *Vita Sanctorum*. Ad Magnificat Antiph. *Ecce quomodo*. Oratio *Deus qui nos annua Apostolorum*. Ad Matutinum Invitatorium *Alleluja, Regem Apostolorum*. Hymnus eo ordine dicatur, ut dictum est superius. In primo Nocturno *Alleluja* cum tribus Psalmis eo tono, quo dicitur *In omnem terram*, cantetur. In secundo Nocturno Allelujatica cum aliis tribus Psalmis in tono Antiphonæ *Principes*, & in tertio Nocturno Allelujatica cum tribus Psalmis in tono quo dicitur Antiph. *Exaltabuntur*. Sex Lectiones de proprietatibus eorum. Tres ultimæ de Homelia Beati Augustini in Evangelium. *Non turbetur cor vestrum*, quas in expositione *super Joannem* in secunda particula, in tertiodecimo Capitulo invenietis. (f) Responsoria, ut hic collecta sunt. ℟. *Ego sum vitis vera*. *Non turbetur*. *Tanto tempore*. *Virtute magna*. *Isti sunt Agni*. *Vidi portam*. *Candidi facti sunt*. *Lætitia sempiterna*. *Vox exultationis*. In Laudibus Antiph. *Domine ostende nobis Patrem*, & cæteræ. Capitulum *Stabunt justi*. Hymnus *Claro Paschali*, (g) vel *Corda tu sursum*. (h) Ad Be-

---

(a) Adjieit hæc Durandus lib. VII. cap. 10. n. 2. *Sicut contingit in Episcopis, qui loco Apostolorum sunt, quoniam qui primo consecratus est, alios quantum libet majores antecedit XVII dist. §. fin.*

(b) Idest, si duo cognomines sunt in Collegio, vel Societate aliqua Sacra, ille dicitur *Major*, qui prior Societati illi se adjunxit, *Minor*, qui postea eidem Societati adjunctus est. Id passim in veteribus Canonicorum Regularium, & nisi etiam fallor, Monachorum Catalogis occurrit.

(c) Duran. VII. 10. n. 3.

(d). Hoc de Argumento consule quæ tradunt Tillemont (Tom. I. Hist. Eccles. *S. Jacque le Mineur* pag. 365., & pag. 618. *notes Sur Saint Jacque le Mineur*) & Godefridus Henschenius pag 18., & subsequent. Tomi I. Maii in Opere Bollandiano.

(e) Recole quæ diximus ad Cap. 343. Hymnum hunc habet Cassander pag. 235.

(f) In editione notissima Patrum S. Mauri est Tractatus LXVII. *in Joan. Evangel.* incipitque ad hunc modum. *Erigenda est nobis, fratres, ad Deum intentio . . . . Ait enim Dominus Jesus: Non turbetur cor vestrum: credite in Deum, & in me credite* Jo. XIV 1. &c. Eandemque Homeliam hodieque in hac solemnitate legimus.

[g] Est portio Hymni *Aurora lucis rutilat* pag. 233. Oper. Cassand. & 371. Tom. II. Ven. Card. Thomasii. [h] Est portio Hymni *Vita Sanctorum* Cass. 235.

Benedictus Antiph. *Non turbetur*. Ad Missam Officium *Exclamaverunt*. Epistola *Stabunt justi*. Evangelium *Non turbetur Cor vestrum*. Prefatio *Te Domine suppliciter*. Hodie facimus Processionem ad Sanctum Leonardum de Montone, et in eundo cantantur ℟. *Pretiosa*. *Tristitia*. *Filiæ Hierusalem*. *Lætitia sempiterna*. *Virtute Magna*. *Isti sunt Agni*, & ibi Missam *de Consecratione* cantamus solemniter. Ad horas diei Antiphonæ de Laudibus ℟., & ℣. de Apostolis. Ad Vesperas eædem Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis de Apostolis. Ad Magnificat Antiph. *Si cognovissetis me*. Si autem hoc festum Apostolorum die Dominica venerit, totum Officium fiat de festo præter Homeliam Dominicalem in duabus Lectionibus, & prima Missa de Dominica, & secunda, & major de festo dicetur. Sed si tunc Historia mittitur, in Sabbato ad Vesperum primum Responsorium de festo, & post Orationem de festo, Responsorium de Historia Dominicę, Versiculus, & Oratio dicuntur. Deinde totum Officium fiat de festo, ut dictum est; sed si hoc festum in Octava Paschæ fuerit, fiet de ipso tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem in Vespero, & in Missa commemoratio.

De Sancto Athanasio. Et de Festo Inventionis Sanctæ Crucis. CCCXLVI.

De Sancto Athanasio Episcopo, & Confessore tres Lectiones.

Inventionis Sanctæ Crucis diem Hierosolymitana prius celebravit Ecclesia (*a*), sed postmodum Eusebius Papa illum ubique celebrari præcepit, & eodem die festum Alexandri, Eventi, & Theodoli Martyrum, & ideo hunc ordinem in Officio Nocturno, & Diurno nostra confirmat Ecclesia. Ad Vesperum Capitulum *Mihi autem absit gloriari*. ℟. *Hoc signum Crucis*. Si hoc festum ante Ascensionem venerit, hunc Hymnum dicimus *Qui Crucem propter Hominem*. (*b*) Si vero postea (*c*), *Salve Crux Sancta*. Ad

---

(*a*) Vide quæ tradit Meratus in Gavant: sect. VII. cap. VII. ad III. Maii, rursus ad XIV. Septemb. diem. Consule etiam Annotat. Eminentiss. Antonelli in hoc festum quod extat *in Sacram. Gelas. nonas Madiae*: in Missali Gottico, *& in Sacrament. Vet. Gallicano*, quæ consulas opto.

(*b*) Portionem hanc esse comperi Hymni, qui incipit. *O Rex æterne Domine* (quem Hymnum vetera Breviaria habent): nam postrema Strophe hæc est

Qui Crucem propter hominem
Suscipere dignatus es,
Dedisti tuum Sanguinem
Nostra salutis precium.

cui procul dubio adjungebatur notissima Strophe

Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti a Mortuis &c.

(*c*) Hunc Hymnum tibi præbet Cassander pag. 259.

Ad Magnificat Antiph. *Cum oraſſet Judas*. Oratio *Deus, qui in præclara*. Poſtea fit commemoratio de Sanctis per Antiphonam & Orationem. Item ad Matutinum Invitatorium *Crucem Sanctam*. Hymni eo ordine dicantur, ut dictum eſt. In primo Nocturno ſub una Antiph. *Dulce lignum*, tres Pſalmi *Beatus vir*. *Quare fremuerunt*. *Domine quid*. ℣. *Hoc ſignum Crucis*. In ſecundo Nocturno Antiph. *Beati pauperes ſpiritu*. Pſalm. *Cum invocarem*. *Verba mea*. *Domine*, *Dominus noſter*. ℣. *Lætamini in Domino*. In tertio Nocturno ſub hac Antiph. *Adoramus Crucem tuam*. Pſalm. *In Domino confido*. *Domine quis*. *Conſerva me*. ℣. *Adoramus te Chriſte*. Sex Lectiones de legenda Sanctæ Crucis, quæ ſic incipit. (a) *Perrexit autem Helena*, & tres in medio de Sanctis. Reſponſoria ſunt hæc. *Dulce lignum*. *Hoc ſignum*. *O Crux benedicta*. ℟. *Pretioſa*. *Filiæ Hieruſalem*. *Lux perpetua*. ℟. *Adoramus te Chriſte*. *Te Sanctum Dominum*. *Arbor decora*. In Laudibus Antiph. *Helena Conſtantini* (b), & cæteræ. Capitulum *Mihi autem abſit*. Hymnus *Protege*, *ſalva* (c). ℣. *Per ſignum Crucis*. Ad Benedictus Antiph. *Ecce Crucem*. Oratio *de Cruce*, & poſtea Collecta *de Sanctis* per Antiphonam, & Orationem, & in Miſſa fit commemoratio de Sanctis per Orationem. Ad Miſſam Officium *Nos autem*. Epiſtola *Confido de vobis*. Evangelium *Erat homo*: & *Credo in unum*, & Præfatio *de Cruce*. Hac die Crux ſuper Altare poni debet, ubi de ligno Sanctæ Crucis eſſe memoratur, ut ibi venerabiliter adoretur. Ad Tertiam Capitulum: *Mihi autem abſit*. ℟. *Hoc ſignum Crucis*. Ad Sextam Capitulum *Chriſtus peccata noſtra pertulit in Corpore ſuo ſuper lignum*, *ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus*, *cujus livore ſanati ſumus*. ℟. *Per ſignum Crucis de inimicis noſtris*. Ad Nonam Capitulum *Verbum Crucis pereuntibus*. ℟. *Adoramus te*. Ad Veſperum Antiphonæ de Laudibus cum quinque Pſalmis Dominicalibus. Ad Magnificat Antiphona *Propter lignum*; & ſi hoc feſtum venerit in die Dominico, idem ſervabitur ordo, quem ſupra diximus, in feſto Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, ſi die Dominico veniat.

(a) De Actis apocryphis, dubiis, & ſinceris Inventionis Dominicæ Crucis conſule, quæ in Actis Bollandianis ad tertium Maii diem tradit egregius Criticus Daniel Papebrochius pag. 361., & ſeqq. Tom. I. Maii; rurſus quæ de S. Juda Quiriaco pag. 439. ejuſdem Tomi idem Daniel Papebrochius docet.

(b) Has Antiphonas in vetuſtis Breviariis invenies.

(c) Eſt portio Hymni, qui ab his Verbis ducit exordium *Salve Crux Sancta*. Caſſand. 239.

De festo Sancti Joannis ad Portam Latinam. CCCXLVII.

Sancti Joannis Evangelistæ, quando in ferventis olei dolium est missus, prima festivitas *ante Portam Latinam* vocatur, juxta quam Romæ factum fuit hoc. Ad Vesperum Capitulum *Qui timet*. ℟. *Tristitia*. Hymnus *Tristes*, vel *Vita Sanctorum*. Ad Magnificat Antiph. *In ferventis Olei*. Oratio *Deus, qui conspicis*. Ad Matutinum Invitatorium, Hymni, Antiphonæ, Versiculi, & Responsoria sicut in Sancto Marco collecta sunt. Sex Lectiones de vita ejus, quæ sic incipit *Secunda post Neronem* (a). Tres ultimæ de Homelia Evangelii *Sequere me*. In Laudibus Antiphonæ *Sancti tui Domine*, & cæteræ. Capitulum *Qui timet Deum*. Hymnus *Corda tu sursum*. Ad Benedictus Antiph. *Occurrit Beato Joanni*. Ad Missam Officium *Protexisti me*. Epistola *Qui timet Deum*, & Alleluja *Hic est Discipulus*. Evangelium *Dixit Jesus Petro: sequere me*. Offertorium *Confitebuntur*, & Prefatio *de Apostolis*. Postcommunio *Exiit sermo*. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, Capitulum, & ℟., & ℣. de Apostolis. Ad Vesperum Antiphonę de Laudibus *Sancti tui Domine* cum Psalmis de Apostolis. Ad Magnificat Antiph. *In ferventis Olei*.

De Apparitione Sancti Michaelis Archangeli. CCCXLVIII.

FEstum Sancti Michaelis, *quod apparitio*, vel *Victoria ejus* dicitur VIII. Idus Maii celebratur, (*b*) quia tunc temporis Christiani triduano indicto jejunio, contra hostes, qui Apuliam devastabant, Sancti Michaelis implorantes auxilium, de hostibus victoriam habuerunt. Ad Vesperum itaque Capitulum *Factum est prælium*. ℟. *In conspectu Angelorum*, & ipsum cantando cum incenso imus ante Altare ipsius, & ibi Vesperæ solemniter finiun-

---

[a] Has Lectiones habes in Breviario Venetiis edito an. 1522. sumptu, & impensis Andreæ Thoresani. At ii præclarissimi Viri, qui jubente S. Pio V. Romanum Breviarium emendarunt, Hieronymi monitis nos tantummodo in hac festivitate uti voluerunt; ideoque tam secundi, quàm tertii Nocturni Lectiones ex Hieronymi libris compositas legimus.

(*b*) Hæc ipsa habet Durand. VII. 12. 3. Colitur etiam, & jam dudum coli consuevit hac ipsa die dedicatio Ecclesiæ S. Michaelis in Monte Gargano. Consule obsecro, quæ de S. Michaele Arcangelo, & illius Basilicæ dedicatione traduntur Tomo II. Oper. Ven. Card. Thomas. pag 514. Rursus To. IV. pag. 107. 141. 171. To. V. pag. 213. 265. 280. 309. 392. 406. 499. To. VI. pag. 151. Nec prætereas, quæ docet Meratus ad diem hunc & ad XXIX. Septembris, ea quoque quæ præclarif. Card. Autonellus tradit. [Missale Vetus pag. 275.]

niuntur. Si venerit hoc festum ante Ascensionem, hic Hymnus dicitur: (a) *Sermone blando Angelus*. Si vero postea *Tibi Christe* (b). Ad Magnificat Antiph. *Dum sacrum*. Oratio *Deus qui miro ordine*. Ad Matutinum Invitatorium Alleluja *Regem Archangelorum Dominum*. Hymnus eo ordine dicatur, ut dictum est. In primo Nocturno sub Antiph. *Stetit Angelus*. Psalmi *Domine, Dominus noster*. *In Domino confido*. *Domine quis*. ℣. *Stetit Angelus*. In secundo Nocturno sub Antiphona *Michael Præpositus*. Psalm. *Domini est terra*. *Benedicam Dominum*. *Exaudi Deus Orationem meam cum*. ℣. *In conspectu Angelorum*. In tertio Nocturno sub Antiph. *Michael Gabriel*. Psalmi *Cantate I. Dominus regnavit, exultet*. *Benedic Anima meo Domino, & omnia*. ℣. *Adorate Deum* Alleluja. Sex Lectiones legantur in Homelia Beati Gregorii, ubi dicitur *Angelorum quippe, & hominum*, quæ in tertia Dominica est post Octavam Pentecostes. (c) Tres ultimæ de Homelia quæ est in Libro Beati Remigii, de Evangelio *Accesserunt Discipuli ad Jesum*. Primum ℟. *Locutus est ad me unus ex septem Angelis*. ℟. *Audivi voces in Cælo Angelorum*. ℟. *Ostendit mihi Angelus*, cetera ut habentur in Historia ejus. Nonum ℟. *Mons Gargane*. In Laudibus Antiphonæ *Dum præliarentur*, & cæteræ. Capitulum *Significavit*. Hymnus (d) *Quo Custode*. Ad Benedictus Antiphona *Factum est*. In Missa de festo, si venerit infra Octavam Ascensionis, Epistola dicta, & primum Alleluja *Ascendit*, secundum *Alleluja Concussum est*. Hac die Majorem Missam in Ecclesia nostra dicimus, idcirco quia propitiante Deo hujus Sancti Michaelis vocabulum, & Altare, apud nos longo tempore habere meruimus. Ad Missam Officium *Benedicite*. Epistola *Factum est prælium*. Evangelium *Edissere nobis*. Sed cum in diebus Rogationum hoc Festum, vel aliud, in quo Majorem Missam dicimus, venerit, secundum amittimus, ideo quia de Litaniis necessario nos convenit celebrare. Ad Tertiam Antiph. *Michael*. ℟. *Stetit Angelus*. Ad Sextam Antiph. *Archangele*. ℟. *In conspectu*. Ad Nonam Antiph. *Angeli, Archangeli*. ℟. *Adorate Deum*. Alleluja *Omnes Angeli*. Ad Vesperum Antiph. de Laudibus cum istis Psalmis *Dixit Dominus*. *Laudate pueri*. *Letatus sum*. *Nisi Dominus*. In ultimo Antiph. *In conspectu*. Psalm. *Confitebor*. Ad Magni-

(a) Est portio Hymni *Tristes erant Apostoli*. Eo nunc utimur, sed ab Urbano VIII. emendato in Vesperis festi Apostolorum tempore Paschali.

[b] In Veteribus Breviariis Cassan. 276.

(c) Homil. XXXIV. in Evang., ut puto, est: etenim num. 6. hujusce Homiliæ hæc occurrunt: *Angelorum quippe, & hominum naturam ad cognoscendum se Dominus condidit &c.* Et ex eadem Homelia desumptæ sunt Lectiones II. Nocturni, quas in Solemnitate *Dedicationis* S. Michaelis XXIX. Septembris die recitamus.

(d) Est portio veteris Hymni *Tibi Christe splendor Patris &c.*, Cassan. 276.

Quo custode procul pelle
Rex Christe piissime
Omne nefas inimici &c.

gnificat Antiph. *Sancte Michael*. Et si hoc festum in Dominica venerit, totum fiet de festo præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali, nisi paucitati Officiorum, & superabundantiæ consulatur Hebdomadarum, quia tunc tantum fieret de festo.

De SS. Gordiano, & Epymacho. Et S. Christina. CCCIL.

IN festo Sanctorum Martyrum Gordiani & Epymachi, & Sanctæ Christinæ tres primæ Lectiones de propria legenda Sanctorum, & tres in medio de Sancta Christina cum suis Responsoriis, & tres ultimæ vel de propria Legenda, vel de Homelia Beati Remigii super Matthæum, ex Evangelio *Nolite arbitrari*, & cantatur de pluribus Martyribus, & fit Collecta de Sancta Christina in Vespero, & Matutino per Antiphonam, & Orationem.

De Sancto Antimo. De Sanctis Nereo, & Achilleo. Et de festo Sanctæ Mariæ ad Martyres. CCCL.

DE Sancto Antimo Episcopo, & Martyre novem Lectiones de propria legenda.

De Sanctis Nereo, Achilleo, & Sancto Pancratio novem Lectiones. Ad Missam Officium *Ecce oculi Domini*. Epistola *Justi autem*. Evangelium *Accesserunt ad Jesum Pharisei tentantes eum*.

Festum Sanctæ Mariæ ad Martyres celebratur III. Idus Maii, quia tali die primo Bonifacius Papa Templum Romæ, quod Pantheon vocabatur, objectis idolis, ad honorem Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Martyrum dedicavit, sicut prius festum omnium Apostolorum instituerat in Kalendis Maii (a). Sed postea Gregorius VII. (b) transtulit utrumque festum, & omnium Sanctorum ad diem Kalendarum Novembrium celebrandum. Ea igitur die facimus tres Lectiones de Sanctis, & cantatur de pluribus Martyribus. Ad Missam Officium *Sancti tui Domine*. Oratio *Concede quæsumus*. Epistola *Reddet Deus justis*. Evangelium *Ego sum vitis*. Officium autem *Terribilis est locus*, quod hac die ponitur in Antiphonario, non hic dicimus, sed in Dedicationibus Ecclesiarum.

De

[a] Vide To. VI. Oper. Ven. Card. Thomas. II. pag. 499. V. pag. 181. 276. 393. 464. VI. vi.
(b) Lege IV. De hoc festo etiam consule quæ tradit Cl. Meratus sect. VII. cap. XIII. ad 1. Novemb. diem, & quæ ante eum tradiderat Belethus cap. 127.

De SS. Victore, & Corona. De S. Pudentiana. De Sancto Desiderio. De Sancto Urbano. De Sancto Eleutherio. De Sancto Joanne. De Sancto Felice. Et de Sancta Petronilla.
CCCLI.

DE Sancto Victore Martyre, cujus caput in Ecclesia nostra est in Altare Sancti Savini, novem Lectiones facimus de ipsius legenda, & de Sancta Corona facimus tantum Collectam in Vespero, & Matutino, & Missa. Et si hoc festum in die Dominico venerit, idem fiat quod diximus in festo Sancti Michaelis esse faciendum, si die Dominico veniret, nisi quod prior Missa de Dominica dicetur, in qua fiet Oratio de festo.

De Sancta Potentiana proprietas ejus legitur in tribus Lectionibus.

De Sancto Desiderio Episcopo, & Martyre novem Lectiones.

De Sancto Urbano Papa, & Martyre novem Lectiones, & de uno Martyre cantatur, & legitur.

De Sancto Eleutherio Papa, & Martyre novem Lectiones.

De Sancto Joanne Papa, & Martyre facimus similiter novem Lectiones.

De Sancto Felice Papa Primo, & Martyre novem Lectiones.

In festo Sanctæ Petronillæ Virginis tres Lectiones legimus de proprietate ipsius.

De Sancto Proculo. De festivitate SS. Martyrum Marcellini, & Petri. De Sancto Laurentino. De Sancto Bonifacio. De festo Sanctorum VII. Dormientium. Et de Sanctis Primo, & Fæliciano.
CCCLII.

KAlendis Junii de Sancto Proculo, & Nicomede tres Lectiones.

In festivitate Sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri novem Lectiones facimus de legenda ipsorum. Ad Missam Officium *Clamaverunt*. Epistola, & Evangelium de pluribus Martyribus.

De Sanctis Laurentino, & Bergentino tres Lectiones de proprietate ipsorum.

De Sancto Bonifacio Martyre tres Lectiones.

In festo Sanctorum septem Dormientium novem Lectiones de propria legenda ipsorum.

De

De festo Sanctorum Primi, & Fœliciani, novem Lectiones de Passione ipsorum legimus, & ad Missam Officium *Sapientia Sanctorum*. Epistola *Justorum animæ*. Evangelium *Hæc mando vobis*.

De Sancto Barnaba. Et de Sanctis Basilide, Cyrino, Nabore, & Nazario. CCCLIII.

IN festo Sancti Barnabę Apostoli. Ad Vesperum Capitulum *Jam non estis*. ℟. *Fuerunt sine*. Hymnus *Exultet Cœlum*. ℣. *In omnem terram*. Oratio *Deus, qui nobis Beati Barnabæ*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Apostolorum*. Hymnus, Antiphonę, Responsoria, & Versiculi de Apostolis. Primo loco tres Lectiones leguntur de Actibus Apostolorum ab eo loco ubi ait: *Barnabas autem, & Saulus reversi sunt ab Hierosolymis expleto Ministerio*, usque *admirans super Doctrinam Domini*. Tres aliæ Lectiones ab eo loco, ubi legitur, *& quidam descendentes de Judæa*, usque *pervenit autem in Derben*. Tres ultimæ de Homelia Beati Remigii circa finem libri, ubi dicitur *Data est mihi potestas in cælo*. In Laudibus Antiph. *Hoc est præceptum meum*, & cætera, sicut in festo Apostolorum. Ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Jam non estis*. Evangelium *Data est mihi*, vel *Designavit*, & si hoc festum fuerit in Dominica, totum fit de festo præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali. Ad Vesperum Antiphona *Juravit Dominus*. Psalm. *Dixit Dominus*, & cæteri.

De festo Sanctorum Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii novem Lectiones; & legitur, & cantatur de pluribus Martyribus, nam legenda in Passionario nostro posita fabula est. Ad Missam Officium *Intret*. Epistola *Justi autem*. Evangelium *Videns Jesus Turbas*.

De Sanctis Cancio, Canciano, & Cancianilla. Et de Sanctis Vito, & Modesto, & Crescentia. CCCLIV.

IN Festo Sanctorum Martyrum Cancii, Canciani, & Cancianillę. Ad Vesperum Capitulum *Sancti per fidem vicerunt*. ℟. *Sancti mei*. Hymnus *Rex gloriose*. ℣. *Sancti tui Domine*. Oratio *Propitiare*. Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Responsoria, & Versiculi de pluribus Martyribus, & de propria legenda ipsorum facimus novem Lectiones (*Quære in fine homiliarii festivi*) quia eorum Corpora nostra Ecclesia in Altare Beatæ Mariæ Virginis habere memoratur.

De Sanctis Martyribus Vito, & Modesto fiunt novem Lectiones de Passione ipsorum: & de Sancta Crescentia eodem die fit Collecta in Vesperis, & Matutino, & Missa.

De

De Sanctis Marcelliano, & Marco. De Sanctis Cervasio, & Protasio. De Sanctis Albino, & Paulino, & cæteris. (a) CCCLV.

DE Sanctis Martyribus Marcelliano, & Marco novem Lectiones, & legitur eorum Passio in legenda Sanctorum Fabiani & Sebastiani, ubi dicitur *Clarissimis igitur viris*, usque *putant enim*, *quod ista vita*, & ab alio loco ubi dicitur *Tenentur post hæc Marcellianus*, usque *his igitur expletis*: & ad Magnificat, & ad Benedictus dicitur hæc Antiphona *Clarissimis cotidie viris*. Ad Missam Officium *Salus autem*. Epistola *Justi autem*. Evangelium *Cum venerit Filius hominis*, & requiratur in feria secunda primæ Hebdomadæ Quadragesimæ.

In Natali Sanctorum Cervasii, & Protasii, Passio eorum legitur in novem Lectionibus, quam edidit Beatus Ambrosius Archiepiscopus (*b*). Ad Missam Officium *Loquetur*. Epistola *Reddet Deus*. Evangelium *Hæc mando vobis*.

De Sanctis Martyribus Albino, Paulino, Niceto cum D. ccccLXII. Millibus (*c*) facimus novem Lectiones.

De Nativitate Beati Joannis Baptistæ. CCCLVI.

NAtivitas Beati Joannis Baptistæ, qua ex utero sanctificatus exivit, Vigiliam habet, & quia eo inter natos Mulierum nemo surrexit major, ipsam devotissime celebrat Ecclesia, & cum Missa, & jejunio prevenit: nam de ipsa prædixit Angelus, quod in Nativitate ejus *Multi gaudebunt*. In Vigilia igitur Nativitatis ipsius, ad Matutinum legitur Homelia de Vigilia ex Evangelio Lucæ *Fuit in diebus Herodis*. Ad Missam Officium *Ne timeas*. Oratio *Præsta quæsumus Omnipotens Deus*. Epistola *In diebus illis factum est*. Evangelium *Fuit in diebus Herodis*. Item post No-

(*a*) Sanctos istos Martyres perquire (ex parte saltem) in Actis Bollandianis Junii ad diem X. pag. 267. Lectorem etiam ad Tabulas Senenses allego, inventurum fortasse quod meam diligentiam effugit.

(*b*) Quæ ad hos Sanctos pertinent etiam ex S. Ambrosio desumpta tibi præbebit Clarif. Papebrochius in Opere Bollandiano ad XIX. Junii diem.

(*c*) Quid denotet numerus iste, me ignorare fateor. In multis Usuardi Martyrologiis recolitur hodierna die (idest X. Kal. Julii) memoria decem millium Martyrum in Monte Ararath crucifixorum. An hic ii commemorantur, & fuisse dicuntur novies centum, & sexaginta duo millia? Lector judicet. De horum numero Critici non conveniunt.

Nonam in hora competenti, facta secunda pulsatione ad Vesperum, prius Fratres Canonici in Majori Ecclesia, Vesperum Sanctæ Mariæ, (a)& de festo aliquantulum discursim dicunt. Postea his dictis, fit statim tertia pulsatio, & tunc vadunt omnes in Plebem, ubi tali die totus Clerus Civitatis cum Domino Episcopo Vesperis interesse consuevit. Deinde dictis Psalmis ad Vesperum Capitulum *Audite Insulę*. ℟. *Inter natos Mulierum*, & totum cum Organo. Hymnus *Ut queant laxis*, & totus cum Organo cantetur. ℣. *Fuit homo*. Ad Magnificat Antiph. *Ingresso Zacharia*. Post *Benedicamus* cantetur solemne, (b) *Zachariæ Elisabeth* more consueto. Tandem post Solis occasum, in Plebe Vigilia cum tribus Psalmis, & Lectionibus more solito celebratur. (c) Ad Matutinum Invitatorium *Regem Præcursoris*. Hymnus *Ut queant laxis*. Omnes Antiphonæ ante Psalmos, & post Psalmos finiantur, & omnia solemniter fiant. In primo Nocturno Antiph. *Priusquam te*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Ad omnia*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Ne timeas*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Fuit homo*. In secundo Nocturno Antiph. *Misit Dominus*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Ecce dedi*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Dominus ab utero*. Psalm. *Domine, Dominus noster*. ℣. *Elisabeth Zachariæ*. In tertio Nocturno Antiph. *Posuit os meum*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Formans me*. Psalm. *Domine in virtute*. Antiph. *Reges videbunt*. Psalm. *Benedicam*. ℣. *Inter natos Mulierum*. Sex Lectiones de Sermonibus ad hunc diem pertinentibus, tres de Homelia ex Evangelio *Helisabet impletum est tempus*. Responsoria recto ordine cantentur in Antiphonario. Nonum ℟. *Inter natos*. In Laudibus Antiph. *Helisabeth*. *Innuebant*. *Joannes vocabitur*. *Joannes est nomen ejus*. *Tu puer Propheta*. Capitulum *Audite Insulæ*. Hymnus *Non fuit vasti*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Apertum est os*.

De Officio Missæ, & Horis diei, & Vespero in festo Sancti Joannis Baptistæ. CCCLVII.

Notandum, quod Officium hujus solemnitatis, partim est de veteri Testamento, partim de novo, quia Joannes fuit finis veteris, & initium novi Testamenti: fuit enim lapis angularis inter vetus, & novum Testamentum, unde in quibusdam Ecclesiis una Missa cantatur in Aurora: quia fuit ipse finis noctis (nam lex, & Prophetæ usque ad Joannem), & initium diei, ejus namque Nativitas fuit Aurora Nativitatis Christi, qui est ortus Solis. Vel in exordio lucis Sacrificium offertur, quoniam ab accepto lumine obtulit Sacrificium abstinentiæ, ad laudem Creatoris, qui

(a) Aliquid deest: fortasse *recitant*.
(b) Tropus, seu *Trophus* aliquis hic indicari videtur, aut aliud affine.
(c) Vide quæ diximus ad Caput LII.

qui illum dignatus est honorare ex utero Matris suæ. Ad Missam itaque Matutinalem canitur Officium *Justus ut palma*. Epistola. (*a*) *Ecce adsunt ad Sion, & ad Hierusalem*. Evangelium *Dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam?* In nostra vero Ecclesia hæc Missa hodie non dicitur, sed in ejus Octava reservatur. Alia Missa cantatur in clara die, juxta consuetudinem aliarum solemnitatum, in qua canitur Officium *De Ventre*. Epistola *Audite Insulæ*. Evangelium *Elisabeth impletum est tempus*; & est sciendum quod Romana Ecclesia non dicit hac die *Credo in unum*, propter incredulitatem Zachariæ, qui non credidit verbis Angeli, quando nuntiavit ei, se Filium habiturum. (*b*) Nostra tamen Ecclesia non dimittit. Postea hora congrua, in Plebe Major Missa a Domino Episcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono solemniter celebratur. Ad Tertiam Antiph. *Joannes vocabitur*. Capitulum *Et posuit os meum, quasi gladium acutum*. ℟. *Fuit homo*. Ad Sextam Antiph. *Joannes est*. Capitulum *Hæc dicit Dominus formans me ex utero*. ℟. *Elisabeth Zachariæ*. Ad Nonam Antiph. *Tu puer Propheta*. Capitulum *Reges videbunt*. ℟. *Inter natos Mulierum*. ℣. *Fuit homo missus*. Ad Vesperum Antiph. de Laudibus, cum Psalmis de Martyre. Capitulum *Audite Insulæ*. Hymnus *Ut queant laxis*, & totus cum Organo. ℣. *Fuit homo*. Ad Magnificat Antiph. *Lumen quod*, quæ ante, & post cum Organo tota cantatur. Post *Benedicamus Zachariæ Elisabeth* solemniter cantetur. (*c*)

De Officio intra Octavam Beati Joannis, & quando Dominica interveniat.
CCCLVIII.

Infra Octavam facimus ante Festum Sancti Petri cotidie novem Lectiones de Sancto Joanne legentes in Sermonibus, vel Homeliis ipsius, nisi Dominica, vel aliud festum interveniat. Cum autem Dominica infra Octavam ante festum Sancti Petri venerit, tunc si ea Dominica Festum

(*a*) Vereor, ne error huc irrepserit, & legendum sit: *Ecce adsunt*: tumque sic legendum est: [desumptum scilicet ex Isaia XLI. 27.] *Primus ad Sion dicit: Ecce adsunt: & Jerusalem Evangelistam dabo &c.*

(*b*) In prima Vita Urbani V. pag. 383. Tomi I. Paparum Avenionensium hæc extant. *Eodem etiam Anno in die Nativitatis B. Joannis Baptistæ dictus Urbanus Papa de consilio Cardinalium fratrum suorum ordinavit, quod in Missa dicta festivitatis, & per Octavas ejusdem diceretur in antea* Credo in unum Deum, *quod per prius non fiebat secundum antiquas regulas. Licet enim non fuerit de numero Apostolorum, non tamen reputandus est ipsis fuisse minor, & sic ejus festivitas in hoc non debet minus honorari.*

(*c*) Tropus aliquis, aut Antiphona, quæ tum canebatur, innuitur.

Sanctorum Joannis & Pauli non occurrerit, Sabbato ad Vesperum dicitur Capitulum *Audite Insulæ*, & Hymnus *Ut queant laxis*, nec dicitur aliquod R., sed post Orationem Sancti Joannis fit Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem, & ad Matutinum majoritas Officii fit de Sancto Joanne, & septima, & octava Lectio de Homelia Dominicali, & Collecta de Dominica in Laudibus per Antiphonam, & Orationem: & prima Missa de Dominica dicetur. Et ad Processionem R. *Inter natos*, & in ingressu Ecclesiæ Antiph. *Ingresso Zacharia*. Deinde major Missa de Sancto Joanne celebrabitur. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus Sancti Joannis, & Responsoria, & Versiculi de ipso, & quandocumque de Sancto Joanne usque Octavam, majoritatem Officii facimus, ad Matutinum dicimus nonum R. *Inter natos Mulierum*, vel *Ipse præcedet*, vel *Ecce*. (a) Sive autem de ipso, sive de alio fiat Officium, semper usque Octavam, in Vesperis fit Collecta de ipso per hanc Antiph. *Pro eo, quod non credidisti*, quam semper cum Organo cantamus, & Oratio ipsius, & in Laudibus per Antiphonam, & Orationem, & in Missa commemoratio de ipso.

De Festo Sanctorum Martyrum Joannis, & Pauli, Et Sancti Vigilii Episcopi, & Martyris. CCCLIX.

IN Festo Sanctorum Martyrum Joannis & Pauli, & Sancti Vigilii Episcopi, & Martyris. Ad Vesperum dictis Antiphonis, & Psalmis de Sancto Joanne Baptista dicitur Capitulum *Hi sunt viri Misericordiæ*. R. *Vidi conjunctos*. Hymnus *Rex gloriose*. V. *Sancti tui Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Isti sunt duæ Olivæ*. Oratio *Quæsumus Omnipotens Deus, ut nos geminata:* postea Collecta de Sancto Joanne Baptista, & de Sancto Vigilio, per eorum Antiphonas, & Orationes. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Regem Regum*. Hymni, Antiphonæ super Psalmos, Versiculi, & Nocturni de pluribus Martyribus. Tres primæ Lectiones de Legenda ipsorum cum his R. *Isti sunt duo viri*. *Vidi conjunctos*. *Beati misericordes*. Tres Lectiones in medio de Sancto Joanne Baptista cum suis Responsoriis. Tres ultimæ de prima Legenda Sanctorum, & duo Responsoria de Historia plurimorum Martyrum, & nonum R. *Hæc est vera fraternitas*. In Laudibus Antiph. *Paulus, & Joannes*, & cæteræ. Capitulum *Hi sunt viri Misericordiæ*. Ad Benedictus Antiph. *Isti sunt Sancti*, & Collecta de Sancto Joanne, & de Sancto Vigilio Episcopo, & Martyre per eorum Antiphonam, & Orationem. Ad Missam Officium *Multæ tribulationes*. Epistola *Hi sunt viri Misericordiæ*. Graduale *Ecce quam bonum*. V. *Sicut unguentum*, & *Alleluja*. V. *Mandavit*. Evangelium *Attendite a fermen-*

(a) Fortasse *Ecce Agnus Dei*.

mento Pharisæorum. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de pluribus Martyribus. Ad Vesperum Antiph. *Paulus, & Joannes*, & cæteræ, cum Psalmis de Martyribus. Capitulum *Audite Insulæ*. Hymnus *Ut queant laxis*. ℣. *Fuit homo*. Ad Magnificat Antiph. *Pro eo quod non credidisti*. Post Orationem dicitur Antiph. *Hæc est vera fraternitas*, & Oratio de Sanctis.

De Sancto Leone. De Vigilia Apostolorum Petri, & Pauli. CCCLX.

DE Sancto Leone Papa, & Confessore tres primæ Lectiones, aliæ tres de Sancto Joanne, septima, & octava de Vigilia Apostolorum, & ultima de Confessoribus.

Eodem die Vigilia Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ cum jejunio & Missa devotissime celebratur. Ad Matutinum de Sancto Leone, totum Officium de Sancto, tres Lectiones mediæ, & septima & octava Lectio, quas legimus de Homelia Augustini super Joannem ex Evangelio *Dixit Simoni Petro Jesus*. Postea Missa de Vigilia sine *Gloria in Excelsis*, & sine Alleluja, in qua canitur Officium *Dicit Dominus*. Epistola *Petrus, & Joannes*. Evangelium *Dixit Simoni Petro*, & in hac Missa fit commemoratio per Orationem de Sancto Joanne Baptista, & de Sancto Leone.

De Solemnitate Apostolorum Petri, & Pauli. CCCLXI.

SIcut Beatus Maximus in quodam Sermone refert, (a) *Non sine causa factum putemus, quod Sancti Apostoli Petrus & Paulus una die, uno anno, uno in loco, unius Tyranni toleravere sententiam. Una die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent: uno in loco, ne alteri Roma deesset: sub uno Persecutore, ut aequalis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, Persecutor decernitur pro virtute.* Hinc etiam Gelasius Papa omnibs Episcopis. (b) *Beatissimi Apostoli Petrus, &*

(a) Hom. V. de SS. Apostolis Petro, & Paulo. Hunc Sermonem in Rom. Breviario legimus V. Julii, *septima die infra Octavam Apostolorum* cum nonnullo, levi tamen, discrimine.

[b] Locus iste extat in celeberrimo Decreto, quod a Gelasio Papa *cum septuaginta Episcopis habitum fuisse dicitur, de Apocryphis Scripturis*, & in editione Labbeana (pag. seu col. 386. edit. Venet. Albrit. Tomi V.) sic se habet: *Cui* (Petro Apostolo) *data est etiam Societas Beatissimi Pauli Apostoli, va-*

& Paulus non diverso: sicut Haeretici garriunt, sed uno tempore, eodemque die, in Urbe Roma sub Cæsare Nerone Augusto Martyrio Coronati sunt. Cum igitur eodem die sit passio perpetrata, eodem esset eorum solemnitas celebranda. Sed Beatus Gregorius instituit, ut eo die celebraretur specialis solemnitas Petri, in sequenti commemoratio Pauli, tum quia eo die fuit dedicata Ecclesia Petri, tum quia major est dignitate, tum quia prior conversione, & secundum quosdam Passione, tum quia primatum tenuit Romæ. Quod autem invenitur alicubi Paulum esse majorem, alibi vero æqualem, sic intelligitur, major est prædicatione, minor dignitate, æqualis vitæ sanctitate. Hoc festum habet Vigiliam, solemnitatem & octavam, Vigiliam ut ei compatiamur (a), cum quo regnare quærimus, Solemnitatem, ut de ipsorum prima Stola lætemur, Octavam, ut de secunda (b) procul dubio gratulemur: Considerantes enim jam Sanctis adesse principium fœlicitatis, finemque, idest consummationem extendi usque in Octavam Resurrectionis, jure usque in Octavam diem producimus lætitiam Solemnitatis: Quamvis autem totius Officii cursus Beati Petri specialiter esse videatur, sub honore tamen utriusque Apostoli, & Vigilia communiter jejunatur, & solemnitas celebris habetur, & venerabiliter colitur.

De Ordine Officii in festo Apostolorum. CCCLXII.

IN festo itaque Sancti Petri Apostoli. Ad Vesperum Capitulum *Misit Herodes Rex manus*. ℟. *Tu es Pastor ovium*. Hymnus *Aurea luce*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Beatus Petrus Apostolus vidit*, & *Benedicamus Domino* cum Organo. Post Orationem de Apostolis fit festiva commemoratio de Sancto Joanne per Antiph. *Pro eo quod non*. Ad Matutinum Invitatorium *Tu es Pastor*. Hymnus *Aurea luce*. In primo Nocturno Antiph. *In plateis*. Psalm. *Cæli*. Antiph. *Ait Petrus*. Psalm. *Benedicam*. Antiph. *Petrus*. Psalm. *Eructavit*. ℣. *In omnem terram*. In secundo Nocturno Antiph. *Factum est*. Psalm. *Omnes Gentes*. Antiph. *Advenientе*. Psalm. *Exaudi*. Antiph. *Ponens*. Psalm. *Exaudi*. ℣. *Constitues*. In

---

li vasis electionis, qui non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa Morte cum Petro in Urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est: & pariter supradictam Sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt. Decretum hoc allegatur, & commendatur a multis, & præsertim a Nicolao I. Vide Commentarios in hæc verba a Viris præclarissimis collectos in editione Romana Anastas. Bibliothecarii Tomo IV. pag. LXI., & alibi etiam.

(a) Vide quæ de Vigiliis, idest *de jejuniis Sanctor. festivitates praecedentibus* dixi: *de Cultu Sanctor.* Dissert. VI. totis Capitib. 26. 27. 28. 29., & 30. Et *de Cultu Mariæ Sanctiss.* Disser. XIV. cap. 3.

(b) Stola.

In tertio Nocturno Antiph. *Cornelius*. Psalm. *Confitebimur*. Antiph. *Aperiens*. Psalm. *Dominus regit*. Antiph. *Angelus*. Psalm. *Dominus regnavit, irascantur populi*. ℣. *Nimis honorati sunt*. Sex Lectiones leguntur de Passione ejus edita a Beato Lino Papa, quæ sic incipit. *Licet plurima de Apostolicis*. (a) Tres ultimæ de Homelia *Venit Jesus in partes*. Responsoria de propria Historia *Simon Petre*, & alia, ut habentur in Antiphonario. Nonum ℟. *Cum esset Petrus*, vel *Hodie Roma*. In Laudibus Antiph. *Petrus & Joannes*, & cæteræ. Capitulum *Misit Herodes*. Hymnus *Jam bone Pastor*. ℣. *Tu es Petrus*. Ad Benedictus Antiph. *Quodcunque*, & Collecta de Sancto Joanne. Ad Missam Officium *Nunc scio vere*. Oratio *Deus qui hodiernam diem Apostolorum*. Epistola *Misit Herodes*. Evangelium *Venit Jesus in partes Cæsareæ*. Ad Tertiam Antiph. *Dixit Angelus*. Capitulum *Ecce Angelus Domini*. ℟. *In omnem terram*. Ad sextam Antiph. *Misit Dominus*. Capitulum *Dixit Angelus ad Petrum*. ℟. *Constitues*. Ad Nonam Antiph. *Tu es Petrus*. Capitulum *Et Petrus ad se reversus dixit*. ℟. *Nimis honorati sunt*. Ad Vesperum Antiph. *Juravit Dominus*, & cæteræ cum Psalmis. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *Felix per omnes*. Ad Magnificat Antiph. *Hodie Simon Petrus*. Oratio *Deus qui Apostolo tuo Petro*: qua dicta cantetur ℟. *Scio cui credidi*. ℣. *Annuntiaverunt opera Dei*. Oratio *Deus, qui multitudinem Gentium*, & Collecta de Sancto Joanne per Antiphonam, & Orationem. Postea *Benedicamus* cum Organo.

De Celebratione Sancti Pauli Apostoli. (b) CCCLXIII.

(c) PRo celebratione Sancti Pauli Apostoli sequenti die ad Matutinum Invitatorium *Gaudete*. Hymnus *Doctor egregie*. In primo No-

(a) De his, & affinibus aliis Petri, & Pauli Actis Bollandianos Socios consule ad diem hunc. Acta S. Lino supposita habes pag. 424. sed quæ ab Ordine nostro citatis differre videntur.

[b] Alii *Natali*: aliter alii apellabant, nunc *Commemorationem* dicimus.

[c] S. Gregorio Magno ab omnibus fere tribuitur institutio hujus festi: cum enim una, eademque die utriusque Apostoli solemnitas in Romana Ecclesia celebraretur, ideoque Romanus Pontifex Missam in utraque Ecclesia diversis horis celebraret, Gregorius Magnus [si omnes fere Scriptores audis] hoc incommodum sustulit, & xx x. Junii die festivitatem S. Petri, atque adeo utriusque Apostoli in Basilica S. Petri celebrari jussit, atque in ea solemnem Missam cani, in alteram vero diem transtulit peculiarem S. Pauli memoriam, & in Basilica S. Pauli propriam ejusdem S. Pauli solemnitatem agi, & Missam cani. Vide, obsecro, quæ tradunt Menardus nota 429. ad Gregorii *Sacramentarium*, Venerab. Card. Thomasius in Præfat. ad libros *Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ* [pag. VI., & VII. Tomi VI. Oper. Ven. Card. Thomasi] & his.

Nocturno Antiph. *Qui operatus est Petro*. Antiph *Scio cui*. Antiph. *Mihi vivere*: & nota quod Antiphonæ in Historia Beati Pauli, quibusdam versibus insigniuntur *Antonomastice*, quia plus cæteris creditur laborasse. (*a*) In secundo Nocturno Antiph. *Tu es vas*. Antiph. *Magnus Sanctus Paulus*. Antiph. *Bonum certamen*. In tertio Nocturno Antiph. *Saulus, qui*. Antiph. *Ne Magnitudo*. Antiph. *Reposita est*. Psalmi, & Versiculi sicut in Historia superiori. Sex Lectiones de Passione ejus, quæ sic incipit: *Cum venisset Paulus Romam*. Tres ultimæ de Homelia *Dixit Simon Petrus ad Jesum*. *Ecce nos reliquimus omnia*. Responsoria de propria Historia, scilicet *Qui operatus est Petro*, & cætera, ut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Damasci Præpositus*. In Laudibus Antiph. *Ego plantavi*, & cæteræ cum Versiculis. Capitulum *Bonum certamen*. Hymnus *Non impar Paulus*. (*b*) Ad Benedictus Antiph. *Vos qui secuti*. Oratio *Deus, qui multitudinem Gentium*. Postea fit Collecta de Sancto Petro per Antiph. *Quodcumque ligaveris*, & ejus Orationem, & de Sancto Joanne Baptista similiter. Ad Missam Officium *Scio cui*. Epistola *Notum vobis facio*. Evangelium *Dixit Simon Petrus ad Jesum*. Per horas Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis. Ad Tertiam Capitulum *Bonum certamen*. Ad Sextam Capitulum *Ne Magnitudo revelationum*. Ad Nonam Capitulum *Fratres, omnibus omnia factus sum*: Et nota, quod si hoc festum Sancti Joannis Baptistæ, vel Apostolorum Petri & Pauli, in feria secunda venerit, in Sabbato præcedenti, & Homelia legitur, & Missa de Vigilia cantatur. Item in die celebrationis Sancti Pauli, ad Vesperum super Psalmos Antiph. *Juravit Dominus*, & cæteræ cum Psalmis. Capitulum *Audite Insulę*. Hymnus *Ut queant laxis*. ℣. *Fuit homo*. Ad Magnificat Antiph. *Ingresso Zacharia*, & Oratio de Sancto Joanne. Postea Collecta de Apostolis per hanc Antiph. *Petrus Apostolus*, & Oratio *Deus qui hodiernam diem*, vel *Exaudi nos Deus*.

De

& his antiquior Micrologus: etenim cap. 42. libri *Observat. Eccles.* hæc habet: *Cum duæ festivitates novem Lectionum in unum diem concurrunt, aut in ipsa die ambabus singula officia persolvantur . . . . aut una earum in sequentem diem differatur, sicut S. Gregorius Papa festum S. Pauli post festum S. Petri voluit observari*.

(*a*) Hæc habe ex Durando lib. VI. cap. 114. n. 1. *Quia tota intentio est laudare ipsum* [Deum], *ideo in quibusdam Ecclesiis in singulis Antiphonis Laudum præponitur versiculus, qui laborem significat ad ostendendum, quod toto labore, totoque nixu debemus nos vertere ad laudandum Deum, & Sanctam Trinitatem, & eodem modo fit in quibusdam Ecclesiis in festo Beatæ Mariæ in Antiphonis Laudum pro eo quia ipsa se totam vertit in laudem Dei . . . in Antiphonis quoque de Beato Laurentio, & de Beato Paulo, & de Beato Stephano proponuntur quidam versus antiqui ad majorem laborem notandum, quem in suis Martyriis sustinuerunt*. Hos tamen Versiculos sustulere præclari ii viri, qui emendando Breviario Romano a S. Pio V. præpositi sunt.

(*b*) Est portio Hymni *Fęlix per omnes* (Cassand. 265., & To. II. Ven. Thomas. 389.)

De Officio in Octava Beati Joannis Baptistæ. CCCLXIV.

KAlendis Julii Octava Beati Joannis Baptistæ, in qua omnia cantantur, & leguntur, sicut in Nativitate ejus, præter quod tres Lectiones fiunt in medio de Apostolis, cum Responsoriis ipsorum, & in Laudibus post Orationem Sancti Joannis, Antiph. *Gloriosi Principes*, & Oratio de Apostolis, & in Missa commemoratio de ipsis per Orationem. Item ad Missam Officium *Justus, ut palma*. Epistola *Hæc dicit Dominus Deus. Ecce adsum*. Evangelium *Dixit Zacharias ad Angelum; Unde hoc sciam*; Per omnes horas Antiph. de Laudibus Sancti Joannis, & Responsoria, & Versiculi de ipso. Ad Vesperum super Psalmos Antiphonæ *Elisabeth Zachariæ* cum Psalmis de Martyribus, quibus finitis non dicitur aliquid ultra de Sancto Joanne, sed dicitur Capitulum *Stabunt justi*. Hymnus *Rex gloriose Martyrum*. ℣. *Sancti tui Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Isti sunt Sancti*, & Collecta de Apostolis.

De Sanctis Processio, (a) & Martiniano. CCCLXV.

IN Natali Sanctorum Martyrum Processii, & Martiniani cantatur de pluribus Martyribus, & sex Lectiones de Passione ipsorum leguntur, & tres in medio de Apostolis cum Responsoriis eorum. Ad Missam Officium *Judicant Sancti*. Epistola *Stabunt justi*. Evangelium *Loquente autem Jesu*. Per horas diei Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & ℣. de pluribus Martyribus. Ad Vesperum Antiphonæ super Psalm. *Virgam virtutis*, & cæteræ cum Psalmis de Martyribus. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *Fœlix per omnes*. (b) ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Petrus Apostolus*, & Oratio de Apostolis. Postea fit Collecta de Sanctis, & de Sancta Mustiola.

De diebus infra Octavam. CCCLXVI.

INfra Octavam Apostolorum post festum Sanctorum Processii, & Martiniani ad Matutinum Invitatorium *Gaudete*. Hymnus *Aurea luce*, & totus dicitur. Super Nocturnum Antiph. *In omnem terram*, & cæteræ, cum ℣. de Apostolis. Semper etiam usque Octavam facimus de Apo-sto-

(a) Nunc *Processum* appellare solemus.
(b) Pag. 388. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomas., & pag. 265. Oper. Cassandri.

stolis novem Lectiones de Legenda, ubi in die Sancti Pauli dimissum fuit, & ubi una die dimittitur, ibi altera die reincipitur, & cantantur Responsoria de communi Historia Apostolorum, scilicet *Ecce ego mitto vos*. Sed in festo Sanctæ Mustiolæ facimus tres Lectiones in medio de ipsa, nisi die Dominico venerit. In Laudibus Antiph. *Hoc est praeceptum meum*. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *Olive bina*. (a) ℣. *Annuntiaverunt*. Ad Benedictus Antiph. *Gloriosi Principes*. Oratio communis dicatur ad Matutinum, ad Missam, & ad omnes horas, scilicet *Deus, qui hodiernam*. Ad Primam, & alias horas diei Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis. Ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Jam non estis*. Evangelium *Dixit Simon Petrus*. *Credo in unum*, & Præfatio de Apostolis. Ad Vesperum Antiph. *Juravit Dominus*. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *Fœlix per omnes*. Ad Magnificat Antiphona *Petrus Apostolus*.

De Dominica, si venerit infra Octavam Apostolorum. CCCLXVII.

NOtandum, quod si aliqua Dominica infra Octavam venerit, totum Officium fiet de festo in Vespero: & tunc in Sabbatis ad Vesperum ℟. non dicetur, nisi novum festum sequeretur, & similiter in Matutino, præter septimam, & octavam Lectionem, quæ legentur de Homelia Dominicali, & in Laudibus post Orationem de festo dicetur Antiphona, Versiculus, & Oratio de Dominica: & prima Missa de Dominica dicetur, & ad Processionem ℟. de festo, & in ingressu Ecclesiæ *Gloria Patri*, vel Antiphona de festo. Postea major Missa de festo, & per omnes horas de festo tantum fiet, & sero in Vesperis post Orationem de festo dicetur Antiphona, Versiculus, & Oratio de Dominica, nam semper in Octavis Sanctorum, Dominica nullo modo suo debet privari Officio, nisi forsitan aliquotiens paucitati Dominicarum consulatur; tunc enim nihil fiet de Dominica, sed tantum de Octava.

De Sancta Mustiola. De Sancta Margarita. De Officio in Octava Apostolorum Petri, & Pauli. Et de S. Romulo Episcopo, & Martyre. CCCLXVIII.

DE Sancta Mustiola facimus tres Lectiones in medio Nocturnorum. De Sancta Margarita facimus tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem, & in Missa. In

(a) Est portio Hymni *Aurea luce* pag. 264. Cassand., & 389. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomas.

In Octava Apostolorum Petri & Pauli. Ad Vesperum Capitulum *Hi sunt viri Misericordiæ*. Hymnus *Fœlix per omnes*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Petrus Apostolus*. Oratio *Deus, cujus dextera*. Ad Matutinum Invitatorium *Gaudete*. Hymnus *Aurea luce*. Antiph. super Nocturno *In omnem terram*, & cæteræ. Novem Lectiones fiunt de Homelia Beati Remigii ex Evangelio *Jussit Jesus discipulos suos*. Responsoria de Historia Apostolorum *Ecce ego mitto*. Cętera fiunt, sicut supra scripsimus de Apostolis infra Octavam. Ad Missam Officium *Sapientia Sanctorum*. Epistola *Hi sunt viri misericordiæ*. Evangelium *Jussit Jesus Discipulos*. Per omnes horas dicuntur Antiphonę de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Apostolis, & in Vesperis super Psalmos, Antiphonę, & totum de Apostolis usque ad finem.

De Sancto Romulo Episcopo, & Martyre facimus tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem in Vespero, & Matutino.

De Festo Sanctorum Septem Fratrum, & Sanctæ Fęlicitatis Matris. De Sancta Rufina, & Secunda: Et Natali Sanctorum Martyrum Naboris, & Fęlicis. CCCLXIX.

IN Festo Sanctorum Septem Fratrum, & Sanctæ Fęlicitatis Matris eorum, cujus Reliquias in Altari Sancti Savini nostra Ecclesia memoratur habere, ad Vesperum Capitulum *Expectatio justorum*. ℟. *Sancti mei*. Hymnus *Rex gloriose Martyrum*. ℣. *Sancti tui*. Ad Magnificat Antiph. *Gloria Martyrum*. Oratio *Sanctæ Fęlicitatis*, & Oratio *Fraterna*, quæ ambę sub una conclusione dicantur, & *Benedicamus Domino*, cum Organo. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Regem Magnum*. Hymnus, Antiphonæ super Nocturno, Versiculi, & Responsoria de pluribus Martyribus. Sex Lectiones leguntur de passione eorum, quæ sic incipit. *Temporibus Antonini Imperatoris orta est seditio Pontificum*. (a) Tres ultimæ de Homelia Beati Gregorii Papæ ex Evangelio Matthæi *Loquente Jesu ad turbas*. Ad Missam Officium *Laudate pueri*. Epistola *Expectatio justorum*. Evangelium *Loquente Jesu ad turbas*.

De Sancta Rufina, & Secunda tres Lectiones de vita ejus, quæ sic incipit: *Rufina, & Secunda duę Sorores*.

In Natali Sanctorum Martyrum Naboris, & Fęlicis facimus tres Lectiones.

(a) Hæc Acta invenies in Opere Bollandiano ad X. Julii diem pag. 12. Tomi III. Julii, & in Actis sinceris Martyrum collectis ab egregio Ruinart pag. 22. edit. Veron.

De Sancto Anacleto Papa, & Martyre. De Sancto Eugenio Episcopo, & Confessore. De Sancto Quirico, & Julitta. De Sancto Alexio Confessore. De Sancto Rosillo, Et de Sancta Praxede. CCCLXX.

DE Sancto Anacleto Papa, & Martyre novem Lectiones, & cantatur & legitur de uno Martyre.

In Festo Beati Eugenii Episcopi, & Confessoris facimus novem Lectiones, quæ sic incipiunt *Dum orta fuisset persecutio in Christianos*; & cantantur omnia de Confessore Episcopo.

De Sancto Quirico, & Julitta Matre ejus facimus novem Lectiones de passione eorum, & cantatur de pluribus Martyribus. Ad Missam Officium, & Epistola de pluribus Martyribus. Evangelium *Loquente Jesu*.

De Sancto Alexio Confessore novem Lectiones, & cantantur Responsoria, & Antiphonę in Laudibus, ut positum est in Sancto Benedicto.

De Sancto Rosillo Episcopo, & Confessore tres Lectiones.

De Sancta Praxede tres Lectiones de propria Legenda, scilicet *Virgo venerabilis Praxedis*, & cantantur ℟. de Virgine non Martyre.

De Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ. CCCLXXI.

FEstum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, *cui (a) dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum*, quam Dominus amavit plurimnm ob singulare exemplum pœnitentiæ, devotissime celebrari oportet: sibi enim primo post Resurrectionem suam Dominus apparuit. (*b*) Ad Vesperum Capitulum *Confitebor tibi Domine Rex*. ℟. *Tulerunt Dominum*. Hymnus *(c) Nardi Maria pistici*. *Honor decus*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Vespere autem Sabbati*. Oratio *Beatæ Mariæ Magdalenæ*. Ad Matutinum Invitatorium *In festivitate*. Hymnus *Nardi Maria*. *Honor Decus*. In primo Nocturno Antiph. *Tulerunt*. Psalm. *Domine, Dominus*. Antiph. *Venit Maria*. Psalm. *Cœli enarrant*. Antiph. *Noli flere*. Psalm. *Domini est*. ℣. *Specie tua*. ℟. *Maria Magdalenæ*. ℟. *Congratulamini*. ℟. *Tulerunt Dominum*.

(*a*) Luc. VII. 47. &c. (*b*) Jo. XX. 11. &c.
(*c*) 391. Tom. II. Oper. Ven. Card. Thomas., & invenitur in Veteribus Breviariis.

num. In secundo Nocturno Antiph. *Venite, & videte*. Psalm. *Eructavit*. Antiph. *Quem quæris*. Psalm. *Deus noster*. Antiph. *Surgens autem mane*. Psalm. *Fundamenta*. ℣. *Adjuvabit eam*. ℞. *Super lapidem*. ℞. *Maria stans ad Monumentum*. ℞. *Dum flerem ad Monumentum*. In tertio Nocturno Antiph. *Venerunt ad Monumentum*. Psalm. *Cantate I.* Antiph. *In Galilea*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. Antiph. *Et recordare*. Psalm. *Cantate II.* ℣. *Diffusa est*. ℞. *Dixit Angelus ad Mulieres*. ℞. *Et valde mane*. ℞. *Dum transisset*. Sex Lectiones de vita ejus, quæ sic incipit *Josephus narrat* (a). Tres ultimæ de Homelia Gregorii ex Evangelio *Rogabat Jesum quidam Pharisæus* (b). In Laudibus Antiph. *Et valde mane*, & cæteræ. Capitulum *Confitebor*. Hymnus *Hujus obtentu*. ℣. *Specie tua*. Ad Benedictus Antiph. *Maria stans ad Monumentum*. Ad Missam Officium *Cognovi Domine*. Epistola *Confitebor*. Graduale *Concupivit Rex*. Evangelium *Rogabat Jesum*. Offertorium *Diffusa*. Postcommunio *Principes persecuti*. Per omnes horas Antiphonę de Laudibus, Capitulum, & Responsoria, & Versiculi de Virginibus. Ad Vesperum Antiphonę de Laudibus, cum istis Psalmis *Dixit Dominus*. *Laudate pueri*. *Lætatus sum*. *Nisi Dominus*. *Lauda Hierusalem*, & post Magnificat Antiph. *Maria Ergo unxit*.

De Festo Sancti Apollenaris Archiepiscopi. CCCLXXII.

IN Festo Sancti Apollenaris Archiepiscopi, & Martyris, ad Vesperum Capitulum *Beatus vir*. ℞. *Cumque ingressus fuisset*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria, & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Surge, accipe*. Oratio *Da nobis Omnipotens Deus*. Postea de Sancta Maria Magdalena Collecta per Antiphonam, & Orationem. Ad Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Deus tuorum*. In primo Nocturno Antiph. *Post multum*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Qui sedes*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Multitudo*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Gloria, & honore*. In secundo Nocturno Antiph. *Constat enim*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Imposita manu*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Hic, de quo loquitur*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Posuisti*. In tertio Nocturno Antiph. *Mittat Dominus*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Exuite eum*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Exclamantes*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Magna est*. Omnes Lectiones de propria ipsius Legenda leguntur, & ℞. de Historia ipsius. *Dixit autem Princeps Apostolorum*, & alia per ordinem sicut sunt in Antiphonario. Nonum ℞. *Jam me perducto*. In Laudibus Antiph. *Deus enim tantam tribuit potestatem*, & cæteræ. Ad Benedictus Antiph. *Accipe Spiritum*

(a) Vitam hanc minime inveni, sed quod ad Magdalenam attinet, Bollandiana Acta consule. (b) Homil. hæc XXXIII. in Evang. hodieque eam legimus feria V. in Hebdomada Passionis.

ritum. Ad Missam Officium *Sacerdotes tui*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Ite, ego mitto vos sicut agnos*. Per omnes horas Antiphonę de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de uno Martyre. In Vesperis Antiphonę de Laudibus cum Psalmis de Martyribus. Ad Magnificat Antiph. *Jam me perducto*. Si autem hoc festum Sancti Apollenaris fuerit in die Sabbati, quia tunc Vigilia Sancti Jacobi Apostoli occurrit, prima Missa dicetur de Vigilia, & in ea fiet commemoratio de Sancto Apollenari per Orationem, & tunc sero in Vesperis dicetur Capitulum de Dominicali Epistola, & alia fient secundum ordinem consuetum, de festo, & de Dominica.

De Sacto Victorino Martyre. Et in Vigilia Beati Jacobi Apostoli. CCCLXXIII.

De Sancto Victorino Martyre facimus tres Lectiones de ejus proprietate.

In Vigilia Beati Jacobi Apostoli, quam cum Missa, & jejunio celebramus, ad Missam Officium *Ego autem sicut*. Epistola *Beatus vir*. Evangelium secundum Marcum *Accesserunt ad Jesum Jacobus, & Joannes dicentes: Magister volumus*. Iste itaque Jacob, qui major est dictus, & frater fuit Joannis Evangelistæ filius Zebedæi, missus est ad prædicandum Hispanis, sed ejus verbum illis audire nolentibus, Hierosolymam rediit, & quos converterat, errantes invenit propter Hermogenem, & Filetum, arte magica miracula facientes, quos Apostolus aggrediens ad fidem convertit. Hunc Herodes circa Pascha gladio decollavit, cujus Corpus Hermogenes, & Filetus, & alii tres Discipuli in Navi posuerunt, & intrantes Mare sine remige, sepulturæ locum Divinæ Providentiæ tribuerunt, & tandem in Hispania in Regno Lupæ applicuerunt: erat enim Regina sic vocata nomine, & merito vitæ. Cui dixere Discipuli *Dominus Jesus Christus, misit Corpus Discipuli sui ad vos, ut saltem suscipiatis mortuum, qui noluistis suscipere vivum*. Unde propter hæc & alia miracula ipsa Regina stupefacta est, & ad fidem conversa, & de suo Palatio ad honorem Apostoli fecit Ecclesiam dedicari, (a) cujus festum Dedicationis potest hoc tempore potius celebrari, quam suæ passionis, quæ circa Pascha, sicut Actuum Apostolorum recitat Historia, fuit consummata.

De

(a) Acta hæc displicent Criticis, atque adeo iis ipsis, qui Hispanis prædicasse Jacobum ajunt: quo de argumento consule, quæ Bollandiani Socii sapienter, ac caute tradiderunt pag. 69. Tomi VI. Julii.

De Festo Sancti Jacobi Apostoli. CCCLXXIV.

IN festo igitur Sancti Jacobi Apostoli dicitur ad Vesperum Capitulum *Jam non estis*. ℟. *Fuerunt sine*. Hymnus *Exultet Cælum*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Tradent enim vos*. Oratio *Esto Domine plebi*. Postea fit Collecta de Sancto Christophoro per Antiphonam, & Orationem. Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Antiphonę, Versiculi, et Responsoria de Apostolis. Tres primæ Lectiones leguntur de Legenda Beati Jacobi, tres in medio de Sancto Christophoro, et tres ultimæ de Homelia Beati Remigii de Evangelio Matthæi, ab eo loco, ubi dicit, *Et audientes decem*. In Laudibus Antiphonę, Capitulum, Hymnus, Versiculus, et Antiphona ad Benedictus, et Oratio de Apostolo, et postea Collecta per Antiphonam, et Orationem de Martyre. Ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Jam non estis*. Evangelium *Accessit ad Jesum Mater Filiorum Zebedai*. Præfatio *Te Domine suppliciter exorare*. Per omnes horas Antiphonę de Laudibus, et ℟. et ℣. de Apostolis. Ad Vesperum super Psalmos Antiph. *Juravit*, et cæteræ.

De Festo Sanctorum Martyrum Nazarii, & Celsi. De Sanctis Felice Papa, & Martyre, & SS. Simplicio, Faustino, & Beatrice, Flora, & Lucilla. De Sanctis Adon, & Senen. Et de Sancto Germano Episcopo. CCCLXXV.

IN Festo Sanctorum Martyrum Nazarii, & Celsi novem Lectiones facimus de vita ipsorum.

In Natali Sancti Fęlicis Papæ & Martyris, & Sanctorum Simplicii, Faustini, & Beatricis, Floræ, & Lucillæ novem Lectiones de Legendis ipsorum, & cantatur de pluribus Martyribus, & Oratio Sancti Fęlicis, & aliorum Sanctorum in Vespero, & Matutino, sub una conclusione dicuntur Ad Missam autem Officium *Sacerdotes*. Epistola. *Fratres*, *Benedictus Deus*, *& Pater*. Evangelium *Vigilate*: & fit commemoratio in Missa de Sanctis per Orationem.

In Natali Sanctorum Martyrum Adon, & Senen novem Lectiones de vita ipsorum, quæ sic incipit: *Tempore, quo Decius Templum in Babilonia ædificavit*. Ad Missam Officium *Intret*. Epistola, & Evangelium de pluribus Martyribus.

De Sancto Germano Episcopo, & Confessore tres Lectiones. (a)

De

(a) De superioribus Sanctis, eorumque Actis hic quoque consule, quæ tradunt Bollandiani Socii.

De Festo Sancti Petri ad Vincula; Et Sanctorum Machabeorum. CCCLXXVI.

KAlendis Augusti festum Sancti Petri ad Vincula, & Sanctorum Machabeorum; in quo festo dicitur ad Vesperum Capitulum *Misit Herodes*. ℟. *Tu es Pastor*. Hymnus *Petrus Beatus catenarum*, & *Quodcumque vinclis*. *Gloria Deo*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Tu es Pastor*. Oratio *Deus, qui Beatum Petrum*. Postea fit collecta de Machabæis per Antiphonam, & Orationem *Fraterna*, altera Oratio Sanctæ Felicitatis, quæ posita est in Missali, non dicitur in hoc festo, quia supra in festo septem Fratrum, & Sanctæ Felicitatis dici debuit. Ad Matutinum Invitatorium *Tu es Pastor Ovium*. Hymnus *Petrus Beatus catenarum*. Antiph. *In plateis*, vel *In omnem terram*, et cæteræ, quæ sequuntur. Tres Lectiones de propria Legenda, quam habemus *de Vinclis Sancti Petri*. Tres in medio de Sanctis, tres ultimæ de Homelia *Venit Jesus in partes Cæsareæ*. Responsoria de propria Historia *Simon Petre*, & alia recto ordine, ut habentur in Antiphonario. Ultimum ℟. *Tu es Pastor ovium*, vel *Petre amas*. In Laudibus Antiphone *Petrus, & Joannes*, et cęteræ, quæ sequuntur. Capitulum *Et ecce Angelus Domini astitit*. Hymnus *Jam bone*. *Sit Trinitati*. ℣. *Annuntiaverunt*. Ad Benedictus Antiphona *Quodcumque ligaveris*, et commemoratio de Sanctis per Antiphonam, et Orationem. Per horas diei Antiphone de Laudibus. Ad Missam Officium *Nunc scio vere*. Epistola *Misit Herodes*. Evangelium *Venit Jesus in partes*. Ad Vesperum Antiph. *Juravit Dominus*. Ad Magnificat Antiphona *Solve jubente Deo*. Nota quod si hoc festum venerit in Dominica, qua nova Historia mitti debeat, tunc in Sabbato ad Vesperum, dicto Capitulo, Responsorio, Hymno, Versiculo, et Oratione de festo, et Collecta de Sanctis per Antiphonam, et Orationem, dicetur secundum Responsorium de nova Historia Dominicali, et Versiculus, et Oratio de Dominica. Postea ad Matutinum totum Officium fiet de festo, præter septimam, et octavam Lectionem de Homelia Dominicali cum suis Responsoriis. Item prima Missa de Dominica, in qua fiet commemoratio de Apostolo, et de Sanctis: Major dicetur de festo, et tunc de Sanctis fiet Collecta per Antiphonam, et Orationem tantum in Vespero et Matutino, et commemoratio in Missa.

De

De Sancto Stephano Papa, & Martyre. De inventione Corporis B. Stephani Protomartyris, Et SS. Nichomedis, (a) Gamalielis, & Abibon. CCCLXXVII.

De Sancto Stephano Papa et Martyre, passionem ejus legimus in novem Lectionibus. Ad Missam Officium *Justus ut palma florebit*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum*. Et legitur hoc Evangelium frequentius, quandocumqe est festum unius Martyris, et Pontificis.

De Inventione Corporis Beati Stephani Protomartyris, Nichomedis, Gamalielis, et Abibon novem Lectiones facimus de Legenda ipsorum, quæ sic incipit (*b*): *Lucianus misericordia indigens*. Historia de ipsis posita in Antiphonario in Ecclesia nostra non cantatur, sed tantum de pluribus Mertyribus. Ad Missam Officium *Sapientiam Sanctorum*. Epistola *Sancti per fidem*. Evangelium *Descendens Jesus de Monte stetit in loco campestri*: Sed illi de Sancto Fridiano, cantant de uno Martyre, et dicunt Orationem *Da nobis quæsumus imitari*, et cętera, et addunt in Oratione ipsa, ubi dicitur, *& discamus inimicos diligere, quia ejus inventionem colimus, qui novit*. Hæc autem Inventio Sancti Stephani, et Sociorum dicitur fuisse facta eo die, quo ejus Passio celebratur, et e converso ejus Passio hac die, sed quibusdam ex causis facta est transmutatio.

De festo Beati Sixti Papæ, & Martyris, & Sanctorum Fęlicissimi, & Agapiti. CCCLXXVIII.

In festo Beati Sixti Papæ et Martyris, et Sanctorum Fęlicissimi, et Agapiti [*c*] novem Lectiones facimus de propria Legenda, quæ sic incipit: *Tempore quo Galba*, sed cantantur omnia de uno Martyre, et ad Magnificat, et ad Benedictus dicitur hæc Antiph. *Non ego te desero fili*, et post Orationem Beati Sixti fit Collecta de aliis Sanctis per Antiphonam, et Orationem. Ad Missam Officium *Sacerdotes*. Epistola *Omnis Pontifex*. Evangelium *Vigilate*. Hac autem die ad Missam uvæ benedicuntur, quod Sanctus Euticianus (*d*) Papa constituit, ut fruges super Altare tantum, fabæ,

---

[*a*] Nunc legimus Nicodemi. (*b*) Consule monumenta ad inventionem hanc spectantia in Appendice Tomi VII. Oper. S. Aug. edit. PP. S. Mauri.

(*c*) S. Sixti Papæ, & Martyris. Acta habes pag. 124. & seqq. Tomi II. Augusti in Opere Bollandiano. (*d*) Belethus *Explic. Divin. Offic.* cap. 144. Num Eutychianus Papa id instituerit, statuent Critici.

fabæ, et uvæ benedicerentur. Præparatis igitur honeste, et ablutis, et coopertis in Vasculo competenti uvis, antequam in Canone dicatur, *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, offerantur a Diacono Sacerdoti, et Secrete, tamen ut possit a circumstantibus audiri, benedicat eas in hæc verba *Benedic Domine hos fructus novos*, et cætera sicut continetur in libro. Deinde reportentur, et Missa suo ordine peragatur. Hæ autem uvæ benedictę ab Hebdomadario servitore Mensæ, particulatim dimembrentur, et antequam Fratres quicquam gustent, ipsis per Mensas in sedilibus jam locatis distribuantur.

De Sancto Donato Episcopo, & Martyre. Et Sancto Hilariano Monacho, & Martyre. CCCLXXIX.

DE Sancto Donato Episcopo, et Martyre, et Hilariano Monacho, et Martyre novem Lectiones facimus de ipsorum Legenda, quæ apud nos sic incipit: *Beatissimorum Martyrum*. Sed est alia, quam composuit Severinus Episcopus, et incipit ita: *Crebrescente rabie Juliani*, et fit totum Officium de pluribus Martyribus: Historiam namque ipsorum aliquando cantare consuevimus. Ad Missam Officium *Domine Jesu*. Epistola *Sancti per fidem*. Evangelium *Qui vos audit*. Hac die consuevimus ad Ecclesiam Sancti Donati facere Processionem, et in eundo prius cantantur Antiphonæ de tribus Nocturnis plurimorum Martyrum, et postea Responsoria quot sufficiant, et ibi cum Diacono, et Subdiacono, Dominus Episcopus, vel Archipresbyter consuevit majorem Missam celebrare.

De Sanctis Ciriaco, Largo, & Smaragdo Martyribus. CCCLXXX.

IN Natali Sanctorum Martyrum Cyriaci, Largi, et Smaragdi facimus novem Lectiones de propria Legenda eorum, quæ requiratur in Legenda Sancti Marcelli Papæ, et Martyris ab eo loco ubi dicitur: *Et dum multo tempore*, usque *eodem tempore Beata Lucina fecit donationem*. Ad Missam Officium *Timete*. Epistola *Fratres rememoramini*. Evangelium *Euntes in Mundum* (Require in Evangelio Ascensionis) et finitur in illo versu, *& bene habebunt*. Si tamen hoc festum venerit die Sabbati, tunc Missa tantum fiet de Vigilia Sancti Laurentii, et in ea fiet commemoratio de Sanctis per Orationem. Per omnes horas Antiphonę de Laudibus Martyrum, et ad Vesperum Antiphonę super Psalmos *Virgam*, et post Orationem Sanctorum dicitur Antiphona de Sancto Romano Martyre *Dixit Romanus*, et ejus Oratio.

De

De Vigilia Sancti Laurentii. CCCLXXXI.

IN Vigilia Sancti Laurentii. Ad Matutinum facimus de Vigilia duas Lectiones in Homelia Beati Remigii. Evangelium *Si quis vult post me venire*, & tertia Lectio de Sancto Romano Martyre in Legenda Sancti Laurentii Martyris ab eo loco: *eadem hora unus de militibus nomine Romanus*, & Responsoria de uno Martyre. In Laudibus sub una Antiphona dicuntur Psalmi, & ad Benedictus Antiph. *Dixit Romanus*, & ejus Oratio. Vigiliam autem Sancti Laurentii cum jejunio, & Missa propria ubique terrarum Sancta Ecclesia veneratur, & ejus festum ab omnibus devotissime celebratur. Ad Missam in Vigilia Officium *Dispersit*. Oratio *Adesto Domine*, & Oratio de Sancto Romano Martyre. Epistola *Confitebor*. Evangelium *Si quis vult post me venire*.

De Beato Laurentio Martyre. CCCLXXXII.

LAurentium, & Vincentium Cognatos, vel Fratres consobrinos B. Syxtus Romam de Hispania duxit. Vincentius in Hispaniam rediit, ibique Martyrio vitam finivit, Laurentius Romæ remansit, ubi gravissima tormenta sustinuit. Privilegiatus est autem Beatus Laurentius in eo quod solus inter Martyres cum jejunio Vigiliam habet, & in Antiphonis suæ Historiæ, Versiculi superadduntur, propter excellentiam passionis. (*a*) Licet enim aliqui Sancti, vel majora, vel æque gravia sustinuissent tormenta, non tamen ea tam generaliter, & sic autentica tenet Ecclesia, tum propter loci dignitatem, quia Romæ passus est, tum propter ipsius auctoritatem, quia se Apostolico consortio copulavit, & sicut ipse Beatum Syxtum, sic Hipolytus secutus est Laurentium. Insuper habet Octavam, quam inter Martyres nulli alteri, nisi Stephano Protomartyri, facit Ecclesia (*b*).

(*a*) Vide quæ diximus ad Cap. CCCLXIII. annot. (*a*) pag. 334.
(*b*) En quid de Laurentio tradit Durandus VII. 23. *Beatus Laurentius, quia post Beatum Stephanum, inter alios Martyres primatum obtinet, Vigiliam habet, non quia majorem pœnam sustinuerit, quam alii, nam multi tantam pœnam sustinuerunt, sicut Beatus Vincentius, & Beatus Georgius, & alii quidam, sed propter officium prædicationis & Martyrii locum, quia Roma, & propter bonam administrationem thesaurorum Ecclesiæ: Unde incipit introitus in Vigilia ipsius:* Dispersit, dedit pauperibus.

De Officio in festo Beati Laurentii Martyris. CCCLXXXIII.

AD Vesperum itaque Capitulum *Qui parce seminat*. ℟. *Levita Laurentius*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria, & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Beatus Laurentius cum in Craticula*. Oratio *Da nobis quæsumus*. Ad Matutinum Invitatorium *Æterni Patris genitum*. Hymnus *Deus tuorum*. In primo Nocturno Antiph. *Quo progrederis*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Noli me derelinquere*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Non ego te desero*. Psalm. *Domine quid multiplicati*. ℣. *Gloria, & honore*. In secundo Nocturno Antiph. *Beatus Laurentius orabat*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Dixit Romanus*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Beatus Laurentius*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Posuisti*. In tertio Nocturno Antiph. *Strinxerunt*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Igne me examinasti*. Psalm. *Exaudi Domine*. Antiph. *Interrogatus*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Magna est gloria*. Omnes Lectiones de passione ejus leguntur, vel tres ultimæ de Homelia ipsius, & Responsoria de propria Historia: scilicet *Quo progrederis*, & cætera per ordinem, ut habentur in Antiphonario. Nonum ℟. *Gaudeo plane*. In Laudibus Antiph. *Laurentius*, & cæteræ. Capitulum *Qui parce*. Hymnus *Martyr Dei, qui unicum*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *In Craticula*. Ad Missam Officium *Confessio*, & Epistola *Qui parce seminat*. Evangelium *Nisi granum*. Per omnes horas Antiphonę de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de uno Martyre.

De Ordine Processionis in Festo S. Laurentii. CCCLXXXIV.

HAc die consuevit Dominus Episcopus, & Canonici cum Clero, & Populo Processionem facere ad Ecclesiam Sancti Laurentii, & in eundo primum Cantor in descensu graduum incipit Antiphonam *Quo progrederis*, & cum aliis Canonicis totam canit, & similiter Versiculum. Postea Clerus repetit Antiphonas, & sic per ordinem cantantur Antiphonæ omnes de Nocturnis, & Versiculis, quibus finitis, cantant Responsoria *Quo progrederis*. ℣. *Noli me derelinquere*, & tantum Versiculum cum Organo. Item ℟. *Levita* totum cum Organo. ℟. *Beatus Laurentius*. ℟. *Strinxerunt*. ℟. *Meruit*. Tandem cum illuc pervenerint, ibi major Missa a Domino Episcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono solemniter celebratur. Item ad Vesperum Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis de Martyribus. Ad Magnificat Antiph. *Levita Laurentius*: & nota quod usque ad Octavam facimus Collectam de Sancto Laurentio per Antiphonam, & Orationem in Vesperis, & Matutinis, & in Missa commemorationem, præterquam in Vespero de Vigilia Assumptionis, & in die Solemnitatis ipsius. *De*

De Sancto Tiburtio Martyre, & S. Susanna. CCCLXXXV.

IN festo Sancti Tiburtii Martyris, & Sanctæ Susannæ Virginis. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Martyrum*. Hymnus *Deus tuorum*. Antiphonę, Versiculi, & Responsoria de uno Martyre. Tres primæ Lectiones, & tres ultimæ de vita ejus descripta in Legenda Sancti Sebastiani Martyris (*a*) ab eo loco ubi dicitur *Interea dum Sancto Gajo*, usque ad locum ubi legitur, *& ipse cum palma Martyrii migravit ad Christum*, et tres in medio de Legenda Sanctæ Susannæ, cum Responsoriis de Virginibus. Ad Missam Officium *Justus ut palma*. Epistola *Justus, si morte*. Evangelium *Nihil opertum*, et in Vesperis, et Matutinis, et Missa fiat commemoratio de Sancta Susanna.

De Sancto Hippolyto, & Sancto Cassiano. Et de Sancto Eusebio Presbytero, & Confessore. CCCLXXXVI.

DE Sancto Hippolyto, et Cassiano novem Lectiones facimus de Legendis ipsorum, et cantatur pe pluribus Martyribus, et dicitur nonum R. *O Hippolyte*. Ad Missam Officium *Justi Epulentur*. Epistola *Sancti per fidem*. Evangelium *Attendite a fermento Pharisęorum*. Si autem hoc festum venerit die Sabbati, prima Missa dicetur de Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ, in qua fiet commemoratio de Sanctis per Orationem.

De Sancto Eusebio Presbytero, et Confessore, tres Lectiones facimus de Legenda ipsius, et totum Nocturnum, vel Diurnum cursum de ipso celebramus, Missam autem de Vigilia Beatissimæ Virginis Mariæ dicimus, propter quam Populus ad Ecclesiam congregatur, et in eadem Missa fit commemoratio de Sancto Eusebio per ejus Orationem: in qua Missa canitur Officium *Salve Sancta Parens*. Oratio *Deus qui Virginalem*. Pro Epistola leguntur Cantica Canticorum, et sic Lector pronuntiat in principio dicens *Lectio libri Sapientiæ* [*b*]. *Osculetur me*, et cætera, et legit eam in Ecclesia nostra tali die Subdiaconus Canonicus in Choro,

(*a*) De Actis *S. Sebastiani* alibi dixi. Quæ hic citantur, habes Cap. XXI. n. 77. Eorumdem Actorum pag. 277. Tomi II. Januarii Bollandi; sed, nisi fallor, nonnulla varietas inter ea, quæ Bollandus præbet, & ea quæ hic allegantur, extat. Consule n. 82.

(*b*) Cur liber *Sapientia* appelletur *Cantica Canticorum* inquirat, si vult, Lector.

super ligneum Pulpitum, et totum usque ad finem. Item Evangelium: *Factum est autem cum loqueretur*, vel *loquente Jesu ad Turbas*, et si hoc festum Assumptionis feria secunda venerit, hæc Missa de Vigilia in Sabbato dicitur, ut superius diximus, nam Virginis gloriosæ Assumptionem cum Missa, et jejunio devote prævenit omnis Ecclesia.

De Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis. CCCLXXXVII.

Transitus Beatæ Mariæ Virginis antonomastice *Assumptio* nominatur quæ prius Assumpta est in Anima, et postea, sicut pie creditur, Assumpta est in Corpore, et ut quidam dicunt, XL. diebus post Assumptionem Animæ: (a) et nota quod quinque sunt festivitates autenticæ de Beata Virgine. Prima est *Nativitas*, secunda est *Annuntiatio*, tertia est *Partus*, quarta *Purificatio*, quinta est *Assumptio*: Veruntamen secunda, et tertia potius sunt Domini. Inter illas, quæ ad Virginem specialiter pertinent, hæc major est: regulariter enim verum est de quolibet Sancto, quod majus est festum transitus, quàm aliud de eo, quia de miseria transit ad vitam, nisi in casu, ut in Joanne Baptista, ideoque dumtaxat hæc Virginis festivitas habet jejunium, et Octavas. Solemnitas autem Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis in Ecclesia nostra, et ubique terrarum ab Ecclesia celebriter colitur, et honoratur, et sicut Nativitas Domini consuevit devotissime celebrari; in cujus honore merito se totam expendit humana fragilitas, quia ejus solemnitas superat omnium Sanctorum festivitates; cujus laudes, miserationes Christi sunt, cujus prædicatio est nostræ commemoratio Redemptionis; sive enim prædices Matrem per Filium, sive Filium laudes venientem per Matrem, eadem dignatio Dei est, eadem salvatio est, quam laudas. Quidquid igitur potest, quidquid habet in majoribus Solemnitatibus consuetudinis Ecclesiarum usus, totum devotissime exhibeat Beatissimæ Dei Genitrici piæ Devotionis affectus; et quoniam propter tantæ Dominæ Reginæ Nostræ reverentiam, in hac festivitate majorem quàm in toto anno patimur concursum Populi, necesse est, ut Fratres tanto sint in Officio ferventiores, quanto ex diversis partibus concurrunt numerosiores. Habentes itaque unusquisque Officium Nocturnum, et Diurnum in promptu, invicem sibi omnes Fratres adjuvent, Psalmos distinguant; quæque incipienda, ad nutum Cantoris incipiant, tumultum diversorum cantuum sua gravitate componant, effrænatos retineant, et totum Officium suo rigore, et moderamine honeste ad finem perducant.

De

(a) De hoc Argumento vide quæ dixi Differ. XLVI. *De Vita Mariæ Sanctissimæ*.

De Officio Vesperi in Vigilia Assumptionis. CCCLXXXVIII.

IN Vigilia itaque Assumptionis ad Vesperum super Psalmos. Antiphona *Ecce tu pulchra (a)*, et cæteræ, cum Psalmis *Laudate pueri*, et om-

(a) Lectori exhibeo quæ de Officio in *Assumptione* Virginis Mariæ antiquitus a Canonicis Senensibus recitato didici ex Viro Cl: itemque humanissimo Josepho Abbate Ciaccheri, qui hæc transcripsit ex Antiphonario Cod. Memb. & ad me misit.

In Assumptione Sanctæ Mariæ Virginis:

Ad Vesperum Antiph. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Psalm. *Laudate pueri.* Antiph. *Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Psal. *Laudate Dominum omnes.* Antiph. *Favus distillans labia tua, sponsa, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Psalm. *Lauda Anima.* Antiph. *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* Psalm. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.* Antiph. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui mirram meam cum aromatibus meis.* Psalm. *Lauda Hierusalem.* ℣. *Assumpta est Maria.*

Ad Magnificat Antiph. *Virgo prudentissima, quæ progrederis quasi Aurora valde rutilans, filia Sion, tota formosa & suavis es, pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Psalm. *Magnificat.* Invitatorium *Venite adoremus Regem Regum, cujus hodie ad æthereum Virgo Mater assumpta est Cœlum.* Psalm. *Venite.* In primo Antiph. *Specialis Virgo, inter agmina Virginum gaude munere magnifico, quæ sola Regem Regum ferre Maria digna fuisti casta intra viscera, qui minoratus paululum ab Angelis est deitate, qui Patri consimilis.* Psalm. *Domine Dominus noster.* Antiph. *Cœli Regina Maria te jure fatemur, ex cujus thalamo processit justitia Sol.* Psalm. *Cœli enarrant.* Antiph. *Virgo Creatoris Cœlorum Mater & orbis. Innocuis manibus mundo quoque corde Beata, rite Dei pingues meruisti scandere montes.* Psalm. *Domini est terra.* ℣. *Assumpta est Maria.* Aliæ Antiphonæ *Exaltata est Sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum ad Cœlestia Regna.* Psalm. *Domine, Dominus.* Antiph. *Paradisi porta per te nobis aperta sunt, quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.* Psalm. *Cœli.* Antiph. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Psalm. *Domini est terra.* ℟. *Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. Et sicut dies verni circumdabant eam flores Rosarum, & Lilia convallium.* ℣. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus mirræ & thuris. Et sicut.* ℟. *Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in Monte Sion, quasi mirra electa dedi suavitatem odoris.* ℣. *Et sicut cynnamomum, & balsamum aromatizans. Dedi.* ℟. *Veni electa mea & ponam in te thronum meum. Quia concupivit Rex speciem tuam.* ℣. *Surge Virgo*

Virgo Regia aeterno digna decore, conscende praeclarum Palatium Regis aeterni. Quia.

In secundo Nocturno Antiph. *Gratia coelestis reparatrix totius orbis diffusa est labiis, Virgo Maria, tuis. Propterea Regum te Rex benedixit in aevum, & facit a dextris casta sedere suis; Aurea quam fulvo vestis circumdata limbo ambit, & exornat ritèque condecorat.* Psalm. *Eruct.* Antiph. *Sanctificans Dominus templum Christus sibi dignum, Virgine Matre satus descendit ab arce polorum, cuncta cui gentes terra simul omnia regna gaude Dei Genitrix dicant te Kyria, Kere. Deus noster.* Antiph. *Aula Maria Dei castè titulusque pudoris porta Sion rutilis semper fundata Saphiris. Qua clausa es cunctis, patuisti sola tonanti, suscipe servorum miserans pia vota tuorum.* Psalm. *Funda.* ℣. *Exaltata est Sancta.* Aliæ Antiphonæ *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.* Psal. *Eructavit.* Antiph. *Adjuvabit eam Deus vultu suo Deus in medio ejus non commovebitur.* Psalm. *Deus noster.* Antiph. *Sicut laetantium omnium nostrum habitatio est in te, Sancta Dei Genitrix.* Psalm. *Fundamenta.* ℟. *Ornatam monilibus filiam Hierusalem Dominus concupivit, & videntes eam filiae Sion beatissimam prędicaverunt dicentes; unguentum effusum nomen tuum.* ℣. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Beatissimam.* ℟. *Quae est ista quae processit sicut Sol, & formosa tamquam Hierusalem, viderunt eam filiae Sion, & Beatam dixerunt, & Reginae laudaverunt eam.* ℣. *Et sicut dies Verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Viden.* ℟. *Beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.* ℣. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.*

In tertio Nocturno Antiph. *Psallite cantantes Domino nova cantica Christo. Omnis, & illius nomen benedicite tellus, Mundo Virginea quem florens protulit alvus.* Psalm. *Cantate.* Antiph. *Exultet tellus, laetentur & insulae Christo regnante Davitico germine, quem Virgo sacra paritatis gremio prolatum Mundo edidit; castissima Maria tui celebrentur solemnia.* Psalm. *Dominus regnavit.* Antiph. *Ave, o theotocos, Virgo Maria, quae trinam Mundi regentem machinam filium protulisti, hinc ritè exaltata supra sydera, laudaris per saecula.* Psalm. *Cantate.* ℣. *Dignare me, laudare.* Aliæ Antiphonæ *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo Mundo.* Psalm. *Cantate.* Antiph. *Speciosa facta es, & suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix.* Psalm. *Dominus regnavit, exultet.* Antiph. *Post partum Virgo inviolata permansisti, Dei Genitrix intercede pro nobis.* Psalm. *Cantate II.* ℣. *Dignare me, laudare.* ℟. *Ista est speciosa inter filias Hierusalem, sicut vidistis eam plenam claritate, & dilectione. In cubilibus, & in hortis aromatum.* ℣. *Ista est quae ascendit per desertum deliciis affluens. In cubilibus.* ℟. *Beata es Virgo Maria Dei Genitrix, quae credidisti Domino: perfecta sunt in te quae dicta sunt tibi, ecce exaltata es super Choros Angelorum. Intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.* ℣. *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Inter.* ℟. *Felix namque es Sancta Virgo Maria, & omni laude dignissima. Quia ex ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.* ℣. *Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam Sanctam Assumptionem. Quia.*

In Laudibus Antiph. *Assumpta est Maria in Coelum, gaudent Angeli laudantes bene-*

et omnes Antiphonæ ante Psalmos, et post totæ cantantur, et sine Organo, sed ultima cantatur cum Organo, et finitur cum jubilo. Capitulum *In omnibus requiem quæsivi*. ℞. *Veni electa mea*, quod in duobus Choris cantatur, et cum Organo totum cantatur, et una medietas Responsorii, et Versus canitur ab uno Choro, et alia ab alio, et finito Versiculo qui remanent ad sedes, cantant repetendam cum Organo. Expleto Responsorio omnes simul in eodem loco Chori, primum Versiculum Hymni cum Organo cantant, et postea veniunt ad manum Episcopi, si fuerit præsens. Hymnus *Ave Maris Stella*, et totum cum Organo. ℣. *Assumpta est Maria*. Ad Magnificat Antiph. *Virgo prudentissima*, quæ primo tota cum Organo, et post cum Organo, et finitur cum neumate. Oratio *Veneranda nobis*, (a) qua dicta & *Benedicamus Domino*, cantatur *Hodierna fulget die*, (b) a Cantore cum duobus in Choro, et respondetur

---

benedicunt Dominum. Antiph. *Maria Virgo assumpta est ad ethereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio*. Antiph. *In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Antiph *Benedicta filio tuo, Domina, quia per te fructum vitæ communicavimus*. Antiph. *Pulchra es, & decora filia Hierusalem, terribilis ut castrorum acies decorata*. ℣. *Speciosa facta est, & suavis in delitiis tuis, Sancta Dei Genitrix*.

Ad Benedictus Antiph. *Quæ est ista, quæ ascendit sicut Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*.

Ad Tertiam ℟. *Assumpta est Maria in Cœlum, gaudent Angeli*. ℣. *Laudantes benedicunt Dominum, Gaudent*. ℣. *Exaltata*.

Ad Sextam ℟. *Exaltata est Sancta Dei Genitrix*. ℣. *Super Choros Angelorum ad Cœlestia Regna. Sancta*. ℣. *Dignare me*.

Ad Nonam ℟. *Dignare me, laudare te, Virgo sacrata. Da mihi virtutem contra hostes tuos. Virgo*. ℣. *Speciosa*.

Antiph. *Hodie Maria Virgo Cœlos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum*. Psalm. *Magnificat*.

[a] Orationem hanc tibi integram præbebit pag. 509. Tom. II. Oper. Ven. Card. Thomas.

[b] En, Cantilenam, quæ hic allegatur, mihi missam, ab eodem Clar. Abbate Josepho Ciaccheri, quem antea laudavi:

Ex Libello Processionali Sanctæ Ecclesiæ Senensis. Cod. Memb. Biblioth. Acad. Senarum num. 780.

In Assumptione.

Hodierna fulget die Virginis Assumptio,
De qua Christus veram Carnem suscepit, redemptio.
Ejus festum celebremus magno cum tripudio,
Quæ fecunda mansit credens Angelico nuntio,
Et in Cælis modo regnat proprio cum filio.
Ejus prece eruamur a Mortis naufragio:
Unde Chorus noster lætus benedicat Domino.

Di-

tur ab altera parte Chori: quo dicto ii qui cantaverunt, vadunt ad manum Episcopi, si fuerit præsens: non autem facimus in Ecclesia nostra, ad has Vesperas, vel in die festi ad Matutinum, vel Missam, Collectam de Sancto Laurentio. Statim vero cantato *Benedicamus Domino*, post Vesperas, Cantor incipit ℞. *pro Defunctis*, scilicet *Libera me Domine*. Interim autem Custodes ornent tumulum Episcopalem, Pallium superponentes, et Cereos accensos ante ipsum super Candelabra, et Cruce præcedente, et universo Clero, Dominus Episcopus, et Canonici cum aliis Clericis cantantes dicunt Responsorium cum Organo, vadunt ad Sepulcrum Episcoporum per medium Ecclesiæ, et cum illuc pervenerint, faciunt Chorum, et cantato Responsorio, Episcopus, vel Archipresbyter thurificat Sepulchrum, et dicit Orationem *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes. Deus in cujus miseratione. (a) Fidelium Deus &c.* Quibus dictis, omnes eodem ordine revertuntur in Chorum, et tunc a Domino Episcopo, si fuerit præsens, solemni Benedictione prolata, et dicto ibi *Benedicite*, honorifice ducantur ad potum; ex antiqua enim consuetudine, totus Clerus Civitatis in Majori Ecclesia tali sero Vesperis interesse consuevit.

De Officio Matutinali in Festo Assumptionis. CCCLXXXIX.

AD Matutinum Invitatorium *In honore beatissimæ*: et fiunt duo Chori pro cantando *Venite*, et dicitur totum Invitatorium divisim a Choris cum Organo, et post æqualiter reiteratur a Choro, et dicto *Venite*, Hymnus *Quem terrà* ibidem incipitur, et totus primus Versus ab eis dicitur, et semper cum Organo. Quo dicto veniunt ad manum Episcopi, si fuerit præsens. In primo Nocturno Antiph. *Specialis*, quæ omnes ante Psalmos, et post Psalmos cantentur totæ, et cum Organo quælibet, et tertia Antiphona in Nocturno finitur cum jubilo. Antiph. *Cœli Regina*. Antiph. *Virgo Creatoris*. ℣. *Assumpta est*. ℞. *Vidi speciosam*. ℞. *Sicut*

Divisio.

Stella Maris incorrupta Virgo, & puerpera,
Hodie cœlesti cætu vecta est ad athera.
Cujus casta detulerunt Mundi lucem viscera.
Adest dies veneranda tanta Matris annua,
Cujus Mundi Creatorem lactaverunt ubera:
Qua sit nobis Cęli scala, atque vitæ janua.
Tanta igitur Regina referamus gratias.

(a) Eam Orationem hic indicari arbitror, quæ pag. 568. modo allegati Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii extat, & hæc est: *Deus, cujus miseratione animę Fidelium requiescunt, famulis tuis* (Illis, & illis, vel omnibus) *hic in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti sine fine lætentur.*

cut Cedrus. ℟. *Veni electa*. In secundo Nocturno Antiph. *Gratia Cœlestis*. Antiph. *Sanctificans*. Antiph. *Aula Maria*. ℣. *Exaltata est*. ℟. *Ornatam monilibus*. ℟. *Quæ est ista*. ℟. *Beatam me dicent*. In tertio Nocturno Antiph. *Psallite*. Antiph. *Exultet*. Antiph. *Ave o Theotocos*. ℣. *Dignare me, laudare te*, & dicuntur Psalmi consueti de Matutino Sanctæ Mariæ. ℟. *Ista est speciosa*. ℟. *Beata es Virgo*. ℟. *Felix namque*. Sex Lectiones leguntur de tractatu Beati Hieronymi, qui sic incipit: *Cogitis me, o Paula*, & tres ultimæ de Homelia ex Evangelio *Intravit Jesus in quoddam Castellum*: & nota quod omnes Lectiones leguntur super majus Pulpitum, & cum Pluviali, & ad quodlibet ℟. dicitur *Gloria Patri*. Sed omnes Versiculi, & Gloria cantantur cum Organo, & in quolibet Nocturno semper tertium ℟. totum cum Organo, & in medio Nocturni, dum legitur quarta Lectio, datur incensum Altaribus, & Clero, & Populo. In Laudibus Antiph. *Assumpta est Maria*, & cæteræ, quæ sine Organo, & ante Psalmos, & post totæ cantantur. Capitulum *In omnibus requiem*. Hymnus *O Gloriosa Domina*, & cum Organo. ℣. *Speciosa facta es*. Ad Benedictus Antiphona *Quæ est ista*. Oratio *Veneranda*, & canitur *Benedicamus* solemne. Ad Primam Hymnus *O gloriosa*, & cum Organo. Antiph. *Maria Virgo*. Capitulum *Et sic in Sion*. ℟. *Christe Fili Dei*. *Qui assumpsisti Virginem*. ℣. *Post partum Virgo*. Oratio *Concede nobis*, & hic ordo non mutatur ad Primam usque Octavam, præter Hymnum, & nisi in Octava Sancti Laurentii. Ad Missam Officium *Gaudeamus*. Epistola *In omnibus Requiem*, & *Alleluja post Partum*. Evangelium *Intravit Jesus*. *Credo in unum*. Præfatio *Et te in Assumptione*: & hanc Missam usque Octavam cotidie dicimus, præterquam in Octava Sancti Laurentii, vel Dominica, si infra Octavam occurrerit, in cujus Sabbato ℟. non dicetur, & una tantum dicetur Oratio, nisi festum occurrat. Post Missam autem popularem hac die dicitur Missa pro Defunctis, nisi fuerit dies Dominicus.

De Missa, & Horis diei, & Vespero in die Assumptionis. CCCXC.

POst Missam Popularem completa tertia pulsatione, hora congrua Major Missa honorifice a Domino Episcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono celebratur: & nota quod hoc Evangelium *Intravit Jesus*, potius propter Allegoriam, quam propter Historiam legitur in hoc festo; Beata namque Virgo Maria fuit Castellum, quia bene se munivit contra Diabolum, ipsa etiam fuit *Maria*, quia nulla melior in contemplatione, de qua dicitur: *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo (a)*, fuit etiam *Martha* cum abiit in montana ad Elisabeth,

(a) Luc. II. 19.

& in nutrimento Pueri Jesu, & cura ejus. Ipsa enim sollicita aliquando dixit ei: (a) *Fili, quid fecisti nobis sic*, & cætera, & in nuptiis Canæ Galilææ dixit (b), *Vinum non habent*. Ad Tertiam Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *In odorem*. Capitulum *Et sic in Sion*. ℟. *Assumpta est Maria in Cœlum*. Si autem festum Assumptionis venerit die Dominico, ea die non facimus Processionem, sicut diebus Dominicis fieri consuevit, & nihil ea die fiet de Dominica, sed Officium Dominicale primo, vel postea cantabitur, quando posse fieri convenientius videatur. Ad Sextam Hymnus *O gloriosa Domina*. Antiph. *Benedicta filia*. Capitulum *Quasi Cedrus*. ℟. *Exaltata est*. Ad Nonam Hymnus *O Gloriosa*. Antiph. *Pulcra es*. Capitulum *Quasi Oliva speciosa in campis*. ℟. *Dignare me, laudare*. Ad Vesperum Antiph. *Ecce tu pulcra*, & cæteræ cum Psalmis *Laudate &c.* Capitulum *In omnibus Requiem*. Hymnus *Ave Maris* (& tunc fiet incensum Clero, & Populo) totus cum Organo ℣. *Assumpta est Maria*. Ad Magnificat Antiph. *Hodie Maria*, quæ cotidie cum Organo usque Octavam ad Magnificat cantatur. Postea fiet Collecta de Sancto Laurentio per Antiphonam ejus, & Oratio de Dominica, si die Sabbati venerit. Ad Completorium Antiph. *Beata Mater*. Psalm. *Cum invocarem*, & cæteri; totum aliud de Beata Maria more solito dicatur. Oratio tantum una dicitur, scilicet *Concede nobis omnipotens Deus*, & cætera, & sic usque Octavam servatur.

De Officio inter Octavam Assumptionis. CCCXCI.

Sequenti die post festum ad Matutinum festive pulsatur, sicut in Dominicis diebus, & sic usque Octavam; cotidie enim usque Octavam novem Lectiones facimus de Assumptione, præterquam in Octava Sancti Laurentii, & nisi dies Dominicus interveniat: sic autem intra Octavam facimus Officium. Ad Matutinum non dicuntur Psalmi Graduales usque Octavam, sed statim post tertiam pulsationem incipitur majus Officium. Invitatorium *Venite adoremus Regem Regum*. Hymnus *Quem terra*. In primo Nocturno Antiph. *Exaltata est*. Antiph. *Paradisi Porta*. Antiph. *Benedicta tu in*. In secundo Nocturno Antiph. *Specie tua*, & cæteræ. In tertio Nocturno Antiph. *Gaude Maria*. Antiph. *Speciosa facta es*. Antiph. *Post partum*. Psalmi, & Versiculi non mutantur. Lectiones omnes legantur de supradicto tractatu, & Responsoria cantentur recto ordine, ut sunt in Antiphonario. In Laudibus Antiph. *Assumpta est*, & cæteræ. Capitulum *In omnibus requiem quæsivi*. Hymnus *O gloriosa Domina*. Ad Benedictus Antiph. *Quæ est ista*. Ad Primam Hymnus *Jam lucis orto* in tono quo canitur *O Gloriosa*, & *Gloria tibi Domine*, *Qui assumpsisti*

(a) Ibid. II. 48. (b) Jo. II. 3.

psisti Virginem. Antiph. *Maria Virgo:* per omnes horas diei Hymni feriales cantantur in tono quo canitur *O gloriosa*, & ad omnes Hymnos feriales semper in fine additur *Gloria tibi Domine*, *qui assumpsisti Virginem*, & nullus Hymnus infra Octavam cum Organo cantatur, & Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi *de Assumptione*. Ad Vesperum super Psalmos, Antiphonæ de Laudibus, & Psalm. *Laudate*. Capitulum *Qui parce*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria*, *& bonore*. Ad Magnificat Antiph. *Beatus Laurentius*, *cum in craticula*: post fit Collecta de Sancta Maria per Antiph. *Hodie Maria*, quæ cum Organo tantum post Psalmum canitur infra Octavam. Oratio *Concede*; sed si aliqua Dominica venerit infra Octavam Assumptionis, Sabbato ad Vesperum post Orationem Sanctæ Mariæ fit Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem. Ad Matutinum totum fiet de festo Assumptionis præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali; & in Laudibus, & Vesperis Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem. Item prima Missa de Dominica, & Major dicetur de festo. Ad Processionem cantatur ℟. *Beatam me dicent*.

De Officio in Octava Sancti Laurentii. De Sancto Acapito Martyre: Et de Sancto Magno Episcopo, & Martyre. CCCXCII.

IN Octava Sancti Laurentii ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ super Psalmos, Nocturni, & Versiculi, Lectiones, & Responsoria, ut in principali festo ipsius; sed in medio fiunt tres Lectiones de Beata Virgine cum suis Responsoriis, & in Laudibus post Orationem Sancti Laurentii Collecta de Sancta Maria per ejus Antiphonam, & Orationem. Ad Missam Officium *Probasti Domine*. Epistola, & Evangelium, ut in die Sancti Laurentii. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus Sancti Laurentii, Responsoria, & Versiculi de uno Martyre. Ad Vesperum Antiphonæ super Psalmos de Laudibus Sancti Laurentii, & Capitulum *In omnibus requiem*. Postea non fit amplius de Sancto Laurentio, quia Octava Sanctorum non habebit finem.

De Sancto Acapito Martyre facimus tres Lectiones in medio Nocturni de proprietate ipsius.

(*a*) De Sancto Magno Episcopo, & Martyre facimus tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem in Vespero, & Matutino.

(*a*) Sancti Magni memoria habetur etiam in Lib. *Sacramen*. Gelasii XIV. Kalend. Septembris, Agapiti vero XV. Kal. Sept.

De Officio in Octava Assumptionis Beatæ Mariæ. CCCXCIII.

IN Octava Sanctæ Mariæ. In Vigilia ad Vesperum pulsantur majores Campanæ, & similiter ad Matutinum. In Vigilia Octavæ ad Vesperum super Psalmos Antiph. *Ecce tu pulchra*, & cæteræ cum Psalmis *Laudate &c.* Capitulum *In omnibus requiem*. ℟. *Veni electa mea*. Hymnus *Ave Maris*, & cum Organo ℣. *Assumpta est*. Ad Magnificat Antiph. *Virgo prudentissima*. Oratio *Veneranda*, & Collecta fiat de Sanctis Timofeo (*a*), & Synforiano per Antiphonam, & Orationem, *Et Benedicamus Domino* solemniter. Ad Matutinum Invitatorium *In festivitate*. Hymnus *Quem terra*. In primo Nocturno Antiph. *Hodie gloriosa*. Antiph *Exultemus*. Antiph. *Lætetur omnis orbis*. In secundo Nocturno Antiph. *Hæc est Regina*. Antiph. *Celebremus omnes*. Antiph. *Oportet nos*. In tertio Nocturno Antiph. *Admirabilis*. Antiph. *Hodie Militiæ*. Antiph. *Ascendit hodie Cælos*. Omnes hæ Antiphonæ totæ ante Psalmos, & post cantantur, & æquali voce. Psalmi, & Versiculi, & Lectiones sicut in die festi, sed non leguntur super majus Pulpitum, & eadem Responsoria cantantur, & tantum ℣. cum Organo, nec ad quodlibet ℟. dicitur *Gloria Patri*. In Laudibus Antiphonæ, Capitulum, & Hymni non mutantur, & Missa sicut in die festivitatis, in qua fiet commemoratio de Sanctis: sed hac die Missam majorem non cantamus, nisi dies Dominicus esset. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & in Vesperis similiter, & sic totum Officium fit de Assumptione Beatæ Virginis per totum diem usque ad finem Completorii. Si autem hæc Octava fuerit in Sabbato, quia tunc Vigilia Beati Bartholomæi Apostoli occurrit, in mane post Missam *de Sancta Maria*, & Missam Mortuorum, cantabitur Missa de Vigilia, vel in prima Missa fiet commemoratio de Vigilia, & de Sanctis, & ea die ad Vesperum post Psalmos de festo dicetur Capitulum, Responsorium, ℣. Antiphona ad Magnificat, & Oratio de Dominica, & nihil ultra Capitulum dicetur *de Assumptione*.

De Sancto Timofeo (a), & Synforiano. Et de festo Beati Bartholomæi Apostoli. CCCXCIV.

DE Sancto Timofeo, & Synforiano facimus tantum Collectam per Antiphonam, & Orationem.

In

(*a*) Idest Timotheo.

In Vigilia Sancti Bartholomæi Apostoli ad Missam Officium *Ego autem*. Epistola *Beatus vir*. Evangelium *Ego sum vitis*. Item ad Vesperum, dictis Psalmis, quia in nostra Ecclesia festum hujus Sancti Apostoli colitur, & ejus Altare habere meruimus, Sacerdos Hebdomadarius, vel Archipresbyter, indutus Pluviali dicit Capitulum *Jam non estis*, & præparato Incenso, Cantor incipit ℟. *Fuerunt sine querela*, & cum eo imus ante Altare Apostoli, & fit incensum Altaribus, & Clero, & Populo. Hymnus *Exultet Cælum*, & cum Organo. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Orante*, quæ tota ante Psalmum, & post, & cum Organo canitur. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus*. Postea *Benedicamus Domino* solemniter cantetur. Deinde hora congrua, ibidem ante Altare Apostoli Vigilia in tribus Lectionibus more solito post tertiam pulsationem solemniter celebratur. Item ad Matutinum Invitatorium *Gaudete*. Hymnus *Exultet Cœlum*. In Nocturno Antiph. *In omnem terram*, & cæteræ. Omnes Lectiones leguntur de propria ipsius Legenda. Responsoria, & ℣. de Historia Apostolorum. Nonum ℟. *Cives Apostolorum*; & post ultimam Lectionem, accepto Pluviali a Septimanario Sacerdote, & incenso, cum Responsorio imus ante Altare Apostoli, & datur incensum Altaribus, & Populo, cum Clero. In Laudibus Antiphonæ propriæ, quæ habentur: scilicet: (a) *Intravit Bartholomæus*, & cæteræ. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *In his paterna*. Ad Benedictus Antiph. *Postquam Lycaoniam*, & sic ibi ante Altare Apostoli totum Matutinum solemniter finiatur, & ibidem postea Popularis, & Major Missa cantatur cum Diacono, & Subdiacono. Ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Jam non estis*. Evangelium *Facta est contentio*. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus, & ℟, & ℣. de Apostolis. Ad Vesperum Antiph. *Intravit* cum Psalmis de Apostolis. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *Exultet Cœlum*. Ad Magnificat Antiph. *O quam multiplicata*. Postea fit Collecta de Sancto Lucio per hanc Antiph. *Iste est*, & ejus Orationem, & de aliis Sanctis per Antiphonam, & Orationem ipsorum.

De

(a) Acta sincera S. Bartholomæi non habemus. Quæ extant, & a Fabricio edita sunt Lib. VIII. *Apostolic. Historia* (Cod. Apocry. *Novi Testam.* pag. 669.) authentica non sunt. Quæ hic indicantur, ex aliis Actis desumpta esse videntur: sed, nisi fallor, ea quoque Apocryphis accensenda erant.

De Sancto Lucio Papa, & Martyre. De S. Genasio (a), & Pontiano. De Sancto Zepherino Papa, & Martyre. Et de Sancto Rufo Martyre. CCCXCV.

DE Sancto Lucio Papa, & Martyre facimus novem Lectiones, & de Sancto Genasio, et Pontiano fiat tantum Collecta per Antiphonam, et Orationem.

De Sancto Zepherino Papa, et Martyre novem Lectiones, et cantatur, et legitur de uno Martyre, et eodem die festum Sanctorum Martyrum Abundii, et Abundantii, de quibus tantum Collectam facimus per Antiphonam, et Orationem.

De Sancto Rufo Martyre facimus tres Lectiones.

De Festo Beati Augustini Episcopi, & Confessoris. CCCXCVI.

FEstum Beati Augustini Episcopi, et Confessoris celeberrime a Canonicis faciendum est: et hoc multiplici de causa, tum quia Regulam Canonicorum composuit, et scripsit, et in Sancta Dei Ecclesia reformavit, et in omnibus servire Deo volentibus regulare præceptum ab Apostolis institutum, et observandum reliquit, tum quia Columna fuit Ecclesiæ Dei, et opposuit se viriliter murum pro Ecclesia Dei adversus Hæreticos, et Fidei impugnatores, tum quia studuit obscura loca Scripturarum nobis exponendo aperire; fuit enim unus ex quatuor Expositoribus principalibus Sacræ Paginæ apud Latinos, qui sunt Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, et Gregorius, qui etiam quasi Prophetæ fuerunt: ut enim Prophetæ ex revelatione Sancti Spiritus habuerunt ventura, et præterita, et quæcumque præsentia dicere, sic illi Expositores habuerunt Sacras Scripturas Veteris, et Novi Testamenti ex revelatione Sancti Spiritus exponere: non enim aliter tam obscura, et operta exponere potuissent, si Spiritum Prophetiæ non habuissent (b); ideoque dicti Expositores ab universa Dei Ecclesia in magna reverentia, et honore habendi sunt, quia lumen, et lucerna fuerunt in Ecclesia Dei exponendo novum, et vetus Testamentum, et per vitæ meritum formam vivendi posteris exhibendo. Ad Vesperum itaque Capitulum *Ecce Sacerdos*. ℟. *Juravit Dominus*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Amavit eum*. Ad Magnificat Antiph. *Clementissime*. Oratio *Adesto supplicationibus*. Postea fit Collecta de

(a) Idest *Genesii*. Usuard. 25. Aug. (b) In latissima significatione hæc dicta accipe.

de Sancto Hermete Martyre per Antiphonam, Versiculum, et Orationem, et in Matutino similiter. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem*. Hymnus (a) *Summe Confessor*. Antiphonæ, & ℣. de Confessore. Novem Lectiones de vita ejus, quæ sic incipit: *Beatissimus Augustinus:* cætera omnia fiunt de Confessoribus. Ad Missam Officium *Sacerdotes*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Nemo accendit lucernam*, et in hac Missa fit commemoratio de Sancto Hermete Martyre: et est notandum, quod quando festum Sancti Augustini, vel Decollationis Sancti Joannis venerit in die Dominico, quo nova Historia debeat immitti, tunc ad Vesperum post Orationem de festo, cantatur Responsorium de nova Historia Dominicali, et Oratio de Dominica. Deinde totum Officium fiet de festo, præter septimam, et octavam Lectionem de Dominicali Homelia cum suis Responsoriis. Prima Missa de Dominica, et Major de festo celebrabitur, et hic facimus de Sancto Augustino quamdam specialitatem, quam non faceremus in alio Sancto, qui propriam non haberet Historiam, quia festum Sancti Augustini est Canonicis festivitas specialis.

De Festo Decollationis B. Joannis Baptistæ. CCCXCVII.

BEatus Joannes Baptista fuit decollatus circa Pascha, cujus Corpus sepelierunt Discipuli sine Capite in Sebaste Civitate, ubi Deus multa operabatur Miracula: Unde illuc Christianorum Turba maxima confluebat: (b) Ideoque Julianus Apostata ejus ossa per agros spargere fecit, sed cum Miracula non cessarent, ossa collegerunt, et ea combusserunt, et pulverem ventilaverunt; sed digitus ille, quo Dominum demonstravit dicens: *Ecce Agnus Dei*, comburi nequivit, vel latenter a Fidelibus sublatus est; quidam enim Fideles, qui Gentilibus intererant (c), quod occultare poterant, reservabant. Hoc itaque festum est de collectione, et combustione Ossium, quod celebrat Ecclesia, quasi in jam mortuo secundum Martyrium; vel de Decollatione (d) ipsius, quia tali die Caput ipsius, quod ignobiliter in quodam specu fuerat humatum, est revelatum. Ad Vesperum usque Capitulum *Beatus vir*. ℟. *Puellæ saltanti*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria, & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Interrogatus*. Oratio *Sancti Joannis Baptistæ*. Postea fiat Collecta de Sancta Savina per Antiphonam, et Orationem, et ad Matutinum similiter.

De

(a) Pag. 401. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii.

(b) Vide quæ tradit Rufinus cap. 28. Libri II. Historiæ additæ Eusebii libri; aliàs lib. XI. Historiæ. Adiice, si vis, ea quæ ad locum hunc adnotavit Cl. Petrus Thomas Cacciari, & docuit Egreg. Tillemont Tom. I. Hist. Eccl. *S. Joan. Baptista*, ar. VIII. pag. 101. (edition. Ven.)

(c) Id est: *intermixti erant*. (d) Lege *revelatione*.

De Matutinali Officio in Decollatione Beati Joannis Baptistæ. CCCXCVIII.

AD Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Deus tuorum*. In primo Nocturno Antiph. *Audivit Herodes*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Hic est Joannes*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Herodes autem*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Gloria*, *&* *honore*. In secundo Nocturno Antiph. *Dicebat Joannes*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Die autem Natali*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Die autem illa*. Psalm. *Domine*, *Dominus*. ℣. *Posuisti Domine*. In tertio Nocturno Antiph. *Interrogatus*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Petiit Puella*. Psalm. *Domine*, *quis*. Antiph. *In medio Carceris*. Psalm. *Domine*, *in virtute*. ℣. *Magna est Gloria*. Sex Lectiones leguntur de proprietate ipsius, quæ sic incipit: *Vetus narrat Historia*, et tres ultimæ de Homelia Beati Remigii ex Evangelio *Misit Herodes*. Responsoria de propria Historia, scilicet *Misit Herodes*, et cætera sicut habentur in Antiphonario. Nonum ℟. *In medio Carceris*. In Laudibus Antiph. *Herodes enim tenuit*, et cæteræ. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Martyr Dei*. Ad Benedictus Antiph. *Misso Herode*. Ad Missam Officium *Justus*, in qua fiat commemoratio de Sancta Savina. Epistola *Beatus vir*. Evangelium *Misit Herodes*, ac *tenuit Joannem*. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, et Responsoria, et ℣. de uno Martyre. In Vesperis Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis de Martyribus, Ad Magnificat Antiph. *Misit Rex incredulus*.

De Festo SS. Martyrum Fœlicis, & Audacti. Et de S. Paulino Episcopo, & Confessore. CCCIC.

IN Festo Sanctorum Fœlicis, et Audacti facimus tres Lectiones, et cantatur, et legitur de pluribus Martyribus: et nota quia quidam dicunt *Audacti*, quia audacter venit ad Martyrium, alii dicunt Adaucti, quia adjunctus est Beato Fœlici, cum ad Martyrium traheretur, pro eo quod exclamavit Carnificibus dicens: *&* *ego Christianus sum*, et sic cum illo Martyrium sumens (*a*), taliter est vocatus. Ad Missam Officium *Sapientiam Sanctorum*. Epistola *Reddidit Deus*. Evangelium *Nihil opertum*.

De

(*a*) Vide Acta horum Sanctorum in Opere Bollandiano pag. 545., & seqq. Tomi VI. Aug.

De Sancto Paulino Episcopo, & Confessore facimus tres Lectiones de proprietate ipsius in tertio libro Dialogorum Beati Gregorii (a).

De festo SS. Prisci, Reguli, Peregrini, Fidelis, & Ægidii Confessoris. De S. Octabiano Confessore, & S. Antonino Martyre. De S. Lazaro. De S. Bonifacio Episcopo, & Confessore. Et de Sancta Regina Virgine. CCCC.

KAlendis Septembris Natale Sanctorum Martyrum Prisci, Reguli, Peregrini, Fidelis, & Ægidii Confessoris (b), de quibus facimus novem Lectiones, & in omni Officio cantatur, & legitur de pluribus Martyribus. Si tamen hoc festum fuerit in Dominica, fiet de festo tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem, & in Missa commemoratio, & totum aliud de Dominica.

De Sancto Octabiano Confessore, (c) & Sancto Antonino Martyre, facimus tres Lectiones, & cantatur, & legitur de pluribus Martyribus.

De Sancto Lazaro Episcopo, & Martyre (d), quem Dominus suscitavit, tres Lectiones. Z z De

(a) Vide Caput I. Libri III. Dialog., & Annotationes huic capiti appositas ab egregiis Monachis S. Mauri. Cur hac die ejus festivitas Senis celebraretur, ignoro. Sed, nisi probabilis conjectura nos fallit, ex anniversaria reliquiarum translatione id provenit. Vide quæ tradidit egregius Muratorius Dissert. XIX. addita Tomo I. Anecdoctorum.

[b] De SS. Prisco, Castrensi, aliisque Confessoribus mentio fit in Martyrol. Romano I. Septemb. diem. Luculenter quoque de iis agitur pag. 109. & seqq. Tomi I. Septembris in Opere Bollandiano. At de Sanctis Prisco, Regulo, & Peregrino, Fidele, & Ægidio simul cunctis nullam inveni sive in Martyrologiis, sive in Opere Bollandiano mentionem. In Martyrologio tamen Florentinii Kal. Septembris hæc extant: *Sancti Reguli Martyris. In Capua Aquaria Natalis S. Prisci:* (ad quæ verba vide quæ notat Egreg. Florentinius) Ægidii quoque festivitas in Romano Breviario ponitur. Arbitror itaque multorum Sanctorum, quos aut simul junctos Altari apposita icon repræsentabat, festivitatem simul etiam recoli: aut, si vis, ideo horum Sanctorum festivitatem recoli, quod horum reliquias vel simul collectas, vel hac die Senensi Ecclesiæ traditas Senensium pietas veneraretur.

[c] *Octaviani* ad XXII. Martii fit mentio in Martyrologio Romano. *Octaviani Eremitæ* fit mentio in Martyrologio Usuardi [in Aucta:] ad II. Septembris diem, ubi Florentinii Martyrologium allegatur.

(d) De Sancto Lazaro, quem Dominus suscitavit in Martyrologio memoria recolitur XVII. Decembris die. Consule quæ docet Baronius in hunc Martyrologii locum; at Martyribus eum minime accenset.

De Sancto Bonifacio Episcopo, & Confessore novem Lectiones de proprietate ipsius in primo libro Dialogorum Beati Gregorii (a).

De Sancta Regina Virgine tres Lectiones (b).

De Nativitate Sanctæ Mariæ.
CCCCI.

IN Nativitate Sanctæ Mariæ ad Vesperum super Psalmos Antiph. *Ecce tu pulchra*, & cæteræ, ut in Vigilia Assumptionis. Capitulum *Dominus possedit me*. ℟. *Regali ex progenie*. Hymnus *Ave Maris Stella*. ℣. *Ave Maria*. Ad Magnificat Antiph. *Quando nata es*, quæ primo tota cum Organo, & postea finitur cum neumate. Oratio *Supplicationem*. Postea fiat Collecta de Sancto Adriano Martyre per Antiphonam, & Orationem, & in Matutino similiter. Deinde *Benedicamus* solemniter cantatur. Ad Matutinum Invitatorium *In Nativitate*. Hymnus *Quem terra*, & cum Organo. In primo Nocturno Antiph. *Benedicta tu*, & cæteræ. ℣. *Ave Maria*. In secundo Nocturno Antiph. *Specie tua*, & cæteræ. ℣. *Benedicta tu*. In tertio Nocturno Antiph. *O quam pulchra*, & cæteræ. ℣. *Dignare me*. Sex Lectiones leguntur de Sermone, qui sic incipit: *Nativitas beatissimæ, & intemeratæ*: tres ultimæ de Homelia Beati Remigii ex Evangelio. *Liber generationis*. Responsoria de propria Historia, ut habentur in Antiphonario. Nonum ℟. *Fælix namque*. In Laudibus Antiph. *Nativitas gloriosæ*, & cæteræ. Capitulum *Beatus homo, qui audit me*. Hymnus *O gloriosa*, & cum Organo. ℣. *Speciosa facta es*. Ad Benedictus Antiph. *Nativitatem*, & cum Organo primo, & post. Ad Primam Hymnus *O gloriosa Domina*. Antiph. *Nativitas est hodie*. Capitulum *De Sancta Maria*. ℟. *Christe Fili Dei: Qui natus es de Maria Virgine*. Ad Missam Officium *Vultum tuum*. Epistola *Dominus possedit*. Alleluja *Nativitatem*. Evangelium *Liber generationis*. Post Missam popularem hora congrua, Major Missa cum Diacono, & Subdiacono solemniter celebratur. Per omnes horas diei Hymnus *O gloriosa*. Antiphonę de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Sancta Maria. Ad Vesperum Antiph. de Laudibus cum Psalmis *Laudate*. Ad Magnificat Antiph. *Cæleste Beneficium*. (c) Eo quia Innocentius Papa IV. statuit in Concilio Lugdunensi, ut de Nativitate fiat Octava, in eundem modum fiet Officium usque ad Octavam cum commemoratione Orationum, & Lectionum, Festivitatum, quæ interim occurrerint (d).

De

---

[a] Consule Caput IX. Libri I. Dialog.

[b] Martyrum, quæ *Reginæ* cognomines essent, mentio fit in Usuardi Martyrologio commentariis illustrato a Cl. Sollerio VII. Septem. Alibi etiam in Auctariis memorantur Sanctæ *Reginæ* cognomines. At in Martyrol. Florentinii alteram habes 22. Febru., alteram 2. Aprilis.

(c) Subsequentia addita sunt

[d] Vide quæ dixi Differ. XIII. *De Cultu Vitæ Sanctis.* sect. II. quæst. III.

De Sancto Gorgonio Martyre. De Sancto Salvio Episcopo, & Confessore. Et de Festo SS. Martyrum Proti, & Hyacinthi. CCCCII.

DE Sancto Gorgonio Martyre facimus tres Lectiones.

De Sancto Salvio Episcopo, & Confessore, (a) tres Lectiones.

In Natali Sanctorum Martyrum Proti, & Hyacinthi, facimus novem Lectiones de Legenda ipsorum, quæ sic incipit *Imperator Commodus*. (b) Ad Missam Officium *Judicant Sancti*. Epistola *Justorum animæ*. Evangelium *Euntes in Mundum*, usque *& Dominus quidem*. Require in Ascensione.

De Festo S. Crescentii Martyris, & Exaltatione Sanctæ Crucis. Et de Festo Sanctorum Martyrum Cornelii, & Cypriani. CCCCIII.

IN festo Sancti Crescentii Martyris, & Exaltationis Sanctæ Crucis, & Sanctorum Martyrum Cornelii, & Cypriani, sic nostra Ecclesia consuevit Officium variare; debet enim a nobis festum Beati Crescentii cum Majori reverentia celebrari, quia ejus Sacro Corpore meruit nostra Ecclesia decorari. (c) In Vigilia itaque ipsius prius Vesperum Beatæ Mariæ superius dicimus, & postea imus ante Altare Beati Crescentii, & ibi assumpto pluviali ab Archipresbytero, vel Hebdomadario Sacerdote solemniter Vesperum incipitur, & ante Psalmos, & post Psalmos Antiphonę replicantur. Capitulum *Beatus vir*. ℟. *Domine prævenisti*. Hymnus *Deus tuorum*, & cum Organo. ℣. *Gloria, & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Iste est*, quæ prius

Zz 2 tota

(a) In Romano Martyrol. hac ipsa die, idest X. Septembris, notatur memoria S. Salvii Episcopi Albigensis. Num ille ipse sit, cujus festivitas hic indicatur, Lectiones, quæ hic allegantur docebunt.

[b] *Legenda* quæ hic allegatur, alia, nisi fallimur, Acta indicat. Num probata? Quid de his sentiam, tum dicam, quum hęc ipsa Acta legero.

[c] An is est, qui ad hanc ipsam diem in Romano Martyrologio notatur, & de quo hæc tradit (in adnotationibus in Martyrol.) Magnus Baronius: *De cujus* (Crescentii pueri) *Martyrio, aliorumque Sociorum Acta manuscripta legi, quæ ab Ecclesia Perusina accepimus?* Allegat autem Annales ab eo compositos To. II. ad An. 303. n. 117.

tota cum Organo, & postea finitur cum jubilo. Oratio *Propitiare*. *(a)* Postea de Cruce. *O Crux*. ℣. *Hoc signum Crucis*, & Oratio, *Deus qui nos*. Deinde fiat Collecta de Sanctis per Antiphonam, & Orationem *Et Benedicamus Domino*, cum Organo. Postmodum hora congrua ante Altare Beati Crescentii, Vigilia de Martyre in tribus Lectionibus, more solito, honorifice celebratur. Ad Matutinum facta secunda pulsatione, dicimus prius Matutinum Sanctæ Mariæ superius: quo dicto imus ante Altare Beati Crescentii, & ibi totum Matutinum solemniter celebratur. Invitatorium *Æterni Patris*, quod prius totum cum Organo, & postea æqualiter repetitur a Choro. Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versiculi, & Responsoria de uno Martyre. Primæ tres Lectiones de propria Legenda Beati Crescentii, & tres in medio de Cruce, cum suis Responsoriis, & tres ultimæ de Homelia Beati Gregorii ex Evangelio; *Si quis vult post me venire*. Nonum ℟. *Iste est qui ante Deum*; in Laudibus Antiphonę, Capitulum, Hymnus, ℣. de uno Martyre. Ad Benedictus Antiph. *Iste est*. Oratio *Propitiare*. Item Antiph. *Adoramus te*, & Oratio *de Cruce*. Postea Antiph. *Gaudent in Cœlis*, & Oratio *de Sanctis*. Ad Missam Officium *Lætabitur*. Epistola *Beatus vir*. Graduale *Justus ut palma*. Alleluja *Posuisti*. Evangelium *Si quis vult post me venire*, & in hac Missa fit commemoratio *de Cruce*, & *de Sanctis* per Orationes ipsorum. Postea hora congrua Major Missa cum Diacono, & Subdiacono ad Altare Beati Martyris Crescentii celebratur: & nota quod hodie tabula, ubi lignum vivificæ Crucis esse memoratur, deferri consuevit super Altare, ut ab omnibus ipsam cernentibus cum reverentia salutetur: festum autem Inventionis Sanctæ Crucis majus, quàm festum Exaltationis esse dicitur, quia illud ab Eusebio Papa fuit institutum, *(b)* hoc per Heraclium. Item per omnes horas diei Antiphonę unius Martyris, & ℟., & ℣. de uno Martyre.

Dein-

---

[a] Orationem hanc, aut certe affinem habes pag. 527. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii.

[b] De institutione horum Festorum copiose differit Egreg. Meratus. Ac quidem de institutione *Inventionis S. Crucis* sect. VII. cap. VII. ad III. Maji diem: *Inventionis S. Crucis*: Tametsi porro Flavii Dextri Chronicon minime excipias, quod ille [cum dubitatione tamen] allegat, & Critici rejiciunt, ex aliis tamen, quæ Claris. Scriptor citat, facile assequeris antiquissimum esse festum hoc, & jam pridem solemne. De institutione vero Exaltationis S. Crucis, ad diem hunc XIV. scilicet Septembris. Atque ex illius monitis disces, valde antiquam esse hujusce festi institutionem, &, nisi fallimur, ante Heraclii tempora. Nolo tamen ad id ostendendum utaris Sermonibus illis, qui S. Joan. Chrysostomo tribuuntur. Eos enim Critici Chrysostomo demunt, & Scriptori, qui valde a Chrysostomi præstantia, ac, nisi falluntur, etiam temporibus abest. Duas has Homelias consule, si vis, pag. 818., & 824. Tomi III. Oper. Chrysostomi editionis Montfaucon.

Deinde post secundam pulsationem ad Vesperum, dicto superiori Vespero Sanctæ Mariæ, imus ante Altare Sancti Crescentii, & ibi ad Vesperum super Psalmos dicuntur Antiphona *Virgam virtutis*, & cæteræ, cum Psalmis de Martyre. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria, & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Iste est*. Postea non fit Collecta, nisi de festo sequentis diei, & nota quod usque Octavam facimus Collectam de Sancto Crescentio. In Laudibus per hanc Antiphonam *Sancte Crescenti*, & Oratio *Propitiare*, & in Vesperis per hanc Antiphonam *Ora pro nobis*, & Oratio *Propitiare*.

Si autem hæc festivitas in die Dominica venerit, & quando Historia Dominicalis immitti debeat, Sabbato ad Vesperum dictis Orationibus de Sancto Crescentio, & de Cruce, & de Sanctis, dicatur de Historia Dominicali ℟. *Omni tempore*, & ℣. *Vespertina oratio*, & Oratio de Dominica, & ad Matutinum totum Officium fiet, ut dictum est, præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali, cum Responsoriis de Historia Dominicali. Postea in Laudibus fit Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem. Item prima Missa de Martyre dicetur, & secunda de Dominica. Deinde ad Processionem cantabitur ℟. *Domine prævenisti*, & in ingressu Ecclesiæ Antiphona *Iste est*, & post ad Altare Beati Crescentii Major Missa honorifice de Martyre celebrabitur.

De SS. Nicomede, & Mamiliano. De Festo S. Luciæ, & S. Geminiani Martyris, & Sanctæ Eufemiæ. De S. Januario Episcopo, & Martyre. Et de S. Eustachio Martyre. CCCCIV.

IN festo Sanctorum Nicomedis, & Mamiliani tres Lectiones: & nota quod ab hoc festo in antea, soliti sumus jejunare in sexta feria.

In festo Sanctæ Luciæ Martyris, & Sancti Geminiani Martyris, & Sanctæ Eufemiæ facimus novem Lectiones de propria Legenda ipsorum; & cantatur de pluribus Martyribus, & ad Missam dicitur Officium *Sapientiam Sanctorum*, & cætera de Martyribus, & in una Oratione concludimus omnes. Sunt alii, qui faciunt majoritatem de Sancta Eufemia, & Collectam de aliis. Unde ad Missam cantatur Officium *Vultum tuum*, quod positum est hac die in Antiphonario.

De Sancto Januario Episcopo, & Martyre, & Sociis ejus novem Lectiones facimus de Legenda ipsorum.

De Sancto Eustachio Martyre tres Lectiones de Legenda ipsius, & cantatur de uno Martyre in Matutino, & per omnes horas diei, sed Missa dicetur de Vigilia Apostoli.

De Sancto Matthæo Apostolo. CCCCV.

IN Vigilia Sancti Matthæi Apostoli ad Missam Officium *Ego autem.* Epistola *Beatus vir qui inventus.* Evangelium *Vidit Jesus publicanum.* Si tamen hæc Vigilia venerit in aliqua die jejunii quatuor temporum, Missa de jejunio primo dicetur, & post Missam Defunctorum Missa de Vigilia, vel in prima Missa de jejunio interponatur Oratio de Vigilia. Idem fiat, si hoc contingat in die festi. Item ad Vesperum Capitulum *Beatus vir, qui inventus*, vel *Jam non estis.* ℟. *Fuerunt sine querela.* Hymnus *Exultet Cælum.* ℣. *In omnem terram.* Ad Magnificat Antiph. *Tradent enim vos.* Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, & Antiphonæ, & Responsoria de Apostolis, sex Lectiones de propria Legenda ipsius, & tres de Homelia Beati Remigii ex Evangelio *Cum transisset Jesus, vidit hominem sedentem*, & totum aliud de Apostolis. Ad Missam Officium *Os justi.* Epistola *Beatus vir, qui invenit Sapientiam.* Evangelium *Cum transisset Jesus.* Hac die consuevimus facere Processionem ad Ecclesiam Sancti Matthæi, & in eundo cantantur Antiphonæ de Nocturno Historiæ Apostolorum, & post illas, Responsoria de ipsa Historia, & semper in hujusmodi Processionibus ad quodlibet ℟. canitur *Gloria.* Postea in ipsa Ecclesia ab Episcopo, vel Archipresbytero Missa cum Diacono, & Subdiacono cantatur. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & ℟., & ℣. de Apostolis. Ad Vesperum super Psalmos Antiphona *Juravit.* Capitulum, Hymnus, Versiculus, & Antiphona ad Magnificat, & Oratio de Apostolo. Postea fiat Collecta de festo Sancti Mauritii, & Sociorum ejus.

De Sancto Mauritio. De Sancto Lino Papa, & Martyre. De Sancta Tecla Virgine. De S. Fausta Virgine. De S. Justina, & S. Cypriano Episcopo, & Martyre. Et de festo SS. Cosmæ, & Damiani. CCCCVI.

DE Sancto Mauritio, & Sociis ejus facimus novem Lectiones de Legenda ipsorum, & cantatur de pluribus Martyribus. In Laudibus cantantur propriæ Antiphonæ, quæ habentur de ipsis. Scilicet *Sanctus Mauritius*, & cæteræ. Ad Benedictus Antiph. *Flagrabat in Beatissimis*, & per omnes horas diei eædem Antiphonæ dicuntur, & Responsoria, & Versiculi de pluribus Martyribus, & in Vesperis similiter cum Psalmis de Martyribus. Ad Magnificat Antiph. *Triumphant Sancti Martyres.*

De

De Sancto Lino Papa, et Martyre novem Lectiones. Et de Sancta Tecla Virgine facimus tres Lectiones.

De Sancta Fausta Virgine tres Lectiones.

De Sancta Justina, et Sancto Cypriano Episcopo, et Martyre tres Lectiones de Legenda ipsorum, et cantatur de pluribus Martyribus.

In festo Sanctorum Cosmæ, et Damiani facimus novem Lectiones, de Legenda ipsorum. Ad Vesperum, et Matutinum, Capitulum *Sancti per fidem*. Ad Magnificat Antiph. *Isti sunt Sancti*. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Regem Martyrum*. Hymni, Antiphonę super Nocturnum Responsoria, Versiculi de pluribus Martyribus. In Laudibus Matutinis propriæ cantantur Antiphonæ, *Cosmas, & Damianus*, et cæteræ. Ad Benedictus Antiph. *Accedentes Carnifices*. Ad Missam Officium *Sapientiam Sanctorum*. Oratio *Magnificet te*. Epistola *Sancti per fidem*. Evangelium de Martyribus. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus, et in Vesperis similiter.

In Dedicatione Sancti Michaelis Archangeli, & de Matutinali Officio ejusdem Festi. CCCCVII.

Festivitas Sancti Michaelis, quæ hoc Mense celebratur, dicitur *Dedicatio Ecclesiæ Sancti Michaelis sitæ in Monte Gargano*: (a) et quare celebretur, in ejus Historia declaratur. Illa vero festivitas, quæ est in Majo dicitur *Apparitio*: sed est celebrior ista, quàm illa: fuit enim hæc Dedicatio, ut creditur, non per manum hominis, sed per ipsum Archangelum Michaelem, qui præpositus est Paradisi, et custos Animarum: et quotiens aliquis Angelus ad aliquid mirabile faciendum mittitur, (b) *Michael* nuncupatur, ideoque illum debemus plurimum venerari, et nos præcipue, qui Altare in nostra Ecclesia habemus in ejus vocabulo consecratum. Ad Vesperum itaque Capitulum *Significavit Deus*. ℟. *In conspectu*, et cum eo imus ante Altare Archangeli, et portatur incensum, et tu-

---

[a] De institutione, & antiquitate hujus festi Cl. Meratum consule sect. VIII. cap. IX. ad diem hunc.

(b) Indicare, ut puto, illud ipsum vult, quod subsequentibus verbis Gregorius M. tradidit (n. 9. Homeliæ XXXIV. in Evangelia) *Et quoties mira virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu, & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere, quod facere prævalet Deus: unde & ille antiquus hostis, qui Deo esse per superbiam similis concupivit dicens*: In Cęlum conscendam, super astra Cęli exaltabo solium meum... similis ero Altissimo: *dum in fine Mundi in sua virtute relinquetur, extremo supplicio perimendus cum Michaele Archangelo præliaturus esse perhibetur, sicut per Joannem dicitur*. Factum est prælium cum Michaele Archangelo.

et thurificantur Altaria, et datur Clero, et Populo. Hymnus *Tibi Christe*, (a) et cum Organo totum. ℣. *Stetit Angelus*. Ad Magnificat Antiph. *Dum Sacrum*, quæ primo tota cum Organo, et postea finitur cum jubilo. Oratio *Deus, qui miro ordine*, & *Benedicamus Domino* solemne.

Ad Matutinum Invitatorium *Regem Archangelorum*. Hymnus *Tibi Christe*. In primo Nocturno Antiph. *Stetit Angelus*. Psalm. *Domine, Dominus noster*. Antiph. *Ascendit fumus*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Data sunt*. Psalm. *Domine quis*. ℣. *Stetit Angelus*. In secundo Nocturno Antiph. *Michael præpositus*. Psalm. *Domini est terra*. Antiph. *Gloriosus apparuisti*. Psalm. *Benedicamus* Antiph. *Angelus Archangelus*. Psalm. *Exaudi Deus orationem*. ℣. *In conspectu Angelorum*. In tertio Nocturno Antiph. *Michael, Gabriel*. Psalm. *Cantate I.* Antiph. *Concussum est*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. Antiph. *Laudemus Dominum*. Psalm. *Benedic anima*. ℣. *Adorate Deum Alleluja*. Sex Lectiones leguntur de Legenda: *Memoriam Beati Michaelis*. Tres ultimæ de Homelia Beati Remigii, ex Evangelio: *Accesserunt Discipuli*. Responsoria de propria Historia *Factum est silentium*, et cætera, sicut habentur in Antiphonario. Nonum ℟. *Mons Gargane*. In Laudibus Antiphonæ *Dum præliaretur*, et cæteræ. Capitulum *Significavit*. Hymnus (b) *Quo Custode*. Ad Benedictus Antiph. *Factum est silentium*, et in Choro finitur Matutinum. Ad Missam Officium *Benedicite Dominum*. Epistola *Significavit Deus*. Evangelium *Accesserunt Discipuli ad Jesum*. Post Missam Matutinalem, hora congrua Major Missa solemniter celebratur. Ad Tertiam Antiph. *Michael Ar.* Capitulum *Significavit*. ℣. *Stetit Angelus*. Ad Sextam Antiph. *Archangele Michael*. Capitulum *Factum est prælium*. ℟. *In conspectu Angelorum*. Ad Nonam Antiph. *Angeli, Archangeli*. Capitulum *Audivi vocem magnam*. ℟. *Adorate Deum Alleluja*. ℣. *Ascendit fumus aromatum*. In Vesperis Antiphonæ de Laudibus cum istis Psalmis *Dixit Dominus*. *Laudate pueri*. *Lætatus sum*. *Nisi Dominus*. Ultima Antiph. *In conspectu Angelorum*. Psalm. *Confitebor*. Capitulum *Factum est prælium*. Hymnus *Tibi Christe*. ℣. *Stetit Angelus*. Ad Magnificat Antiph. *Sancte Michael*: postea de Sancto Hieronymo Antiph. *Clementissime*, et Versiculus, et Oratio, et Benedicamus cum Organo. Si autem hoc festum in Dominica venerit, quia tunc Historiam Dominicalem oportet immitti, Sabbato ad Vesperum post Orationem Sancti Michaelis cantabitur ℟. *Tua est potentia*, et dicetur Versiculus, et Oratio de Dominica, et ad Matutinum totum Officium fiet de Angelo, præter septimam, et octavam Lectionem de Homelia Dominicali, et in Laudibus fiet Collecta de Dominica per Antiphonam, et Orationem: et prima Missa de Angelo, et secunda dicetur de Dominica, et Major similiter de Angelo, et ad Processionem ℟. *In conspectu*, et in ingressu Ecclesiæ Antiphona, vel *Gloria*.

De

(a) Pag. 397. Tom. II. Oper. Ven. Card. Thomas. Extat etiam in Veteribus Breviariis.

[b] Est portio Superioris Hymni.

De Festo Sancti Hieronymi Episcopi, & Confessoris: CCCCVIII.

IN festo Sancti Hieronymi Episcopi, [a] & Confessoris ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem*. Hymnus *Iste Confessor*. Antiphona super Nocturnum *Beatus vir*, & cæteræ de Historia Confess. Novem Lectiones leguntur de vita ipsius. ℟. cantantur, ut superius ordinata sunt in festo Sancti Felicis Presbyteri. In Laudibus Antiphonæ similiter sicut ibi posuimus. Capitulum *Justus cor suum*. Evangelium *Nemo accendit lucernam*. Si autem hoc festum in Dominica venerit, Sabbato ad Vesperum, dicta Oratione de Angelo, fiat Collecta de Sancto Hieronymo per Antiphonam, & Orationem, & statim cantabitur ℟. de Historia Dominicali *Tua est potentia*, & Versiculus, & Oratio de Dominica, & ad Matutinum fiet totum de Dominica præter tres Lectiones in medio de Sancto Hieronymo cum suis Responsoriis: & in Laudibus Collecta de festo per Antiphonam, & Orationem, post Orationem de Dominica, & postea fiet tantum commemoratio in Missa de festo, & totum aliud de Dominica.

De Festo Sancti Remigii Archiepiscopi, & Confessoris; Et Sancti Pantaleonis Martyris. De Sancto Eusebio Papa, & Martyre, Et Sancta Balbina Virgine. CCCCIX.

KAlendis Octobris Festum Sancti Remigii Episcopi, & Confessoris; & Sancti Pantaleonis Martyris. Ad Vesperum Capitulum *Ecce Sacerdos*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Amavit eum*. Ad Magnificat Antiph. *Sacerdos, & Pontifex:* postea fiat Collecta de Sancto Hieronymo, & de Sancto Pantaleone per Antiphonas, & Orationes ipsorum. Ad Matutinum facimus sex Lectiones de Sancto Remigio, legentes in vita ipsius, & in medio de Legenda Sancti Pantaleonis Martyris cum suis Responsoriis, & in omnibus fit majoritas Officii de Confessore Pontifice; sed si venerit die Dominico, fient tres Lectiones in medio de Sancto Remigio, & totum aliud de Dominica. In Laudibus post Orationem de Dominica fiet Collecta de Sancto Remigio, & Sancto Pantaleone per Antiphonas, & Orationes eorum.

[a] Presbyteri.

De Sancto Eusebio Papa, & Martyre facimus novem Lectiones, sed si veniet in Dominica, fiet de ipso tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem propter Historiam Dominicalem, quæ tunc debet immitti.

In festo Sanctæ Balbinæ Virginis, quia ejus merita gloriosa in nostra requiescunt Ecclesia, & in Altari Sancti Savini, ut dicitur, ad Vesperum Capitulum *Qui gloriatur*. ℟. *O quam pulchra*. Hymnus *Jesu Corona*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Veni Sponsa Christi*, & *Benedicamus* cum Organo. Ad Matutinum Invitatorium *Virginum Castitatis*. Hymnus *Jesu Corona*. In Nocturno Antiph. *Beata Virginum palma*, & cæteræ, & omnes Lectiones de Legenda ipsius leguntur. Ad Missam Officium *Loquebar de testimoniis*. Epistola *Qui gloriatur*. Evangelium *Simile est Regnum Cælorum Thesauro*.

De Festo Sancti Marci Papæ, & Confessoris, & SS. Martyrum Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apulei. De Sancta Reparata Virgine. Et de Festo SS. Martyrum Dionysii, Donnini, (a) Rustici, & Eleutherii. CCCCX.

In festo Sanctorum Marci Papæ, & Confessoris, & Sanctorum Martyrum Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apulei facimus novem Lectiones de Legenda ipsorum, quæ sic incipit: *Imperante Maximiano*, & cantatur de pluribus Martyribus, sed ad Vesperum, & Matutinum Oratio de Sancto Marco, & Oratio de Sanctis, sub una Conclusione dicuntur. Ad Missam Officium *Sacerdotes*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Vigilate*, & semper prima Oratio de Papa, & post commemoratio de Sanctis per Orationem ipsorum.

De Sancta Reparata Virgine tres Lectiones facimus de vita ipsius.

In festo Sanctorum Martyrum Dionysii, Donnini, Rustici, & Eleutherii facimus novem Lectiones, & ultimam de Legenda ipsorum, quæ sic incipit. *Post Domini Nostri Jesu Christi salutiferam Passionem*; & septima, & octava Lectio fit de Homelia Beati Remigii ex Evangelio. *Loquente Jesu ad turbas*. Ad Missam Officium *Sapientiam Sanctorum*. Epistola *Justorum animæ*. Evangelium *Loquente Jesu ad turbas*.

De

[a] Plerique *Domninum* appellant.

De Sancto Cerbonio Episcopo, & Confessore. Et de duobus Confessoribus Episcopis Florentio, & Martiale. CCCCXI.

DE Sancto Cerbonio Episcopo, & Confessore facimus novem Lectiones de vita ipsius, (a) & in Vespero, Matutino, & Missa cantatur de Episcopo, & Confessore.

In festo Sanctorum Florentii Episcopi, & Confessoris, & Sancti Martialis Episcopi, & Confessoris. Ad Vesperum Capitulum *Plures facti sunt Sacerdotes*. Hymnus *Rex gloriose Præsulum*. (b) ℣. *Sancti tui Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Sacerdotes Dei*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Confessorum*. Hymnus *Rex gloriosæ Præsulum*. Antiphonæ, & Psalmi de feria: tres ultimæ Lectiones de Homelia Beati Gregorii ex Evangelio *Sint lumbi vestri precincti*. ℟. *Propter Testamentum Domini*. ℟. *Corpora Sanctorum*, & ℟. *Sint lumbi vestri*. In Laudibus Antiph. *Scimus quoniam diligentibus*. Antiph. *Justorum autem animæ*. Antiph. *Corpora Sanctorum*. Antiph. *Spiritus & Animæ justorum*. Antiph. *Sancti, & justi*. ℣. *Exultent justi*. Ad Benedictus Antiph. *Sint lumbi vestri*. Per horas diei Antiphonæ de Laudibus. Responsoria, & ℣. *de Sanctis*. Ad Missam Officium *Sacerdotes*. Epistola *Plures facti sunt*. Evangelium *Sint lumbi vestri præcincti*.

De Translatione S. Crescentii Martyris: (c) Et de Sancto Cassio Episcopo, & Confessore. CCCCXII.

IN Translatione Sancti Crescentii Martyris ad Vesperum Capitulum *Beatus vir*. ℟. *Domine prævenisti*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria, & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Iste est*. Oratio *Propitiare*, & *Benedicamus*

(a) Consule cap. XI. libri III. Dial. S. Gregorii.

(b) Hymnum hunc, quem diligenter perquisivi, minime inveni: abest enim a Collectione Cassandri, ab ea quoque, quam exhibet Tomus II. Vener. Card. Thomasii, ab iis denique, quos nostri Codices habent, & quos aliquando, si Deus faverit, evulgabo. Arbitror Hymnum hunc cantatum fuisse in *festivitatibus plurium Confessorum*, quæ festivitates in vetustis codicibus sæpe occurrunt.

(c) Plures Crescentio cognomines Martyres in Sacris fastis invenies. Quis inter eos sit, ex Senensis Ecclesiæ Actis, si aliquando evulgabuntur, fortasse assequemur.

mus cum Organo, & totum Vesperum ante Altare ipsius dicitur. Postea sero, more solito, Vigiliam de Martyre solemniter celebramus. Ad Matutinum Invitatorium *Æterni Patris*. Hymnus, & Antiphonæ, & Versiculi, & Responsoria de uno Martyre. Sex Lectiones de propria legenda Translationis ipsius, & tres de Homelia Beati Remigii in Evangelium *Nihil opertum*. Nonum ℟. *Iste est qui ante Deum*: & nota quod totum Officium facimus inferius ante Altare Sancti Crescentii, prius tamen semper Officio Beatæ Mariæ Virginis superius dicto. Item hac die, post Missam popularem, cum Diacono, & Subdiacono Majorem Missam de Martyre solemnirer celebramus, & omnes tantum ad Altare ipsius Martyris, & facimus de ipso Collectam per Antiphonam, & Orationem in Vesperis, & Matutino usque Octavam.

De Sancto Cassio Episcopo, & Confessore tres Lectiones in Dialogo Beati Gregorii. (*a*)

De Sancto Calixto Papa, & Martyre. De Sancto Fortunato (b) Episcopo, & Confessore. De S. Gallo Abbate (c), Presbytero, & Confessore. Et de S. Victorino Martyre (d). CCCCXIII.

DE Sancto Calixto Papa, & Martyre novem Lectiones de Legenda ipsius facimus.

De Sancto Fortunato Episcopo, & Confessore tres Lectiones facimus de primo libro Dialogorum Beati Gregorii.

De Sancto Gallo Abbate, Presbytero, & Confessore ad Vesperum Capitulum *Justus Cor suum*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Justum deduxit*. Ad Magnificat Antiph. *Amavit eum*. Ad Matutinum Invitatorium, & Hymnus de Confessore. ℟. *Euge serve bone*. ℟. *Justus germinabit*. ℟. *Amavit eum Dominus*. In Laudibus Antiph. *Euge serve bone*, & cæteræ, ut supra in Sancto Benedicto. Ad Missam Officium *Os justi*. Epistola *Justus cor suum*. Evangelium *Homo quidam peregre*.

De Sancto Victorino Martyre tres Lectiones.

De

(*a*) Consule Caput VI. Libri III. Dialogorum. (*b*) Consule caput X. lib. I. Dialog. (*c*) Notissimus est S. Gallus Abbas. Eos Scriptores consule, quos allegant Viri præclarissimi Baronius in Martyrol. Roman., & Sollerius in Martyrol. Usuardi, ad XVI. Octobris diem. (*d*) Plures Victorini nomine appellatos habent Martyrologia. Quis ex horum numero hic sit, Senenses tabulæ, ut arbitror, prodent.

De Festo Sancti Lucæ Evangelistæ. Et de S. Maximo Levita, & Martyre. CCCCXIV.

IN festo Sancti Lucæ Evangelistæ, cujus Patrociniis in Altari Sancti Savini meruit nostra Ecclesia decorari, ad Vesperum Capitulum *Jam non estis*. ℞. *Fuerunt sine querela*. Hymnus *Exultet Cœlum*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Tradent enim vos*. Oratio *Interveniat pro nobis*. Et nota quod Beatus Lucas (a) natione Syrus, Beati Pauli Discipulus Antiochenus Patriarcha, Prædicator extitit *in Bethania*, (b) ubi sua Morte, non Martyrio vitam finivit. A Beato Paulo præsertim edoctus, & alitus Evangelium, & Actus Apostolorum composuit, scripsit, & prout scripsit, docuit, & prædicavit. Ad Matutinum Invitatorium *Gaudete*. Hymnus *Exultet Cœlum*. In Nocturno Antiph. *In omnem terram*, & cæteræ. Sex Lectiones de vita ejus, quæ sic incipit, *Igitur gloriosissimus Apostolus, & Evangelista Jesu Christi Lucas*, cum suo Prologo præcedenti. Tres ultimæ de Homelia Beati Gregorii ex Evangelio *Designavit Dominus*. Responsoria, & ℣. de Apostolis. In Laudibus Antiphonę, Capitulum, & ℣. de Apostolis. Ad Missam Officium *Os justi*. Epistola *Unicuique nostrum*. Graduale *Justus*. Evangelium *Designavit*. Offertorium *Veritas*. Postcommunio *Magna est gloria*.

De Sancto Maximo Levita, & Martyre tres Lectiones de legenda ipsius facimus.

De XI. m. Virginum [c]. *Et de S. Donato Scotto Episcopo, & Confessore.* CCCCXV.

IN festo XI. millium Virginum. Ad Vesperum Capitulum de Virginibus autem præceptum Domini. ℞. *O quam imitabile*. Hymnus *Jesu Co-*

[a] Consule quæ de S. Luca tradit Tillemont multis in locis Tomi I. *Histor. Eccles.* Et Tomo II.] pag. 130. & seqq.) (b) Fortasse *Bithynia*.

[c] De Ursula, & Sociis, multum, quod quisque novit, disputant Critici. Vide quæ docet Baronius ad Martyrol. Roman., Sollerius in Martyrol. Usuardi, Martyrol. a D. Georgio additum Martyrol. Adonis: Append. pag. 644. Quod ad Officium in festo harum Sanctarum attinet, illud tibi præbebunt non pauca vetera Romana Breviaria, præbebunt quoque, ne cuncta enumerem, Vetusta Breviaria PP. Prædicatorum, & Monachorum Camaldulensium, quę nostra possidet Bibliotheca. Ea, si vis, consule. Idem dic de Missalibus, e quibus unum indico valde celebre, editum scilicet a Sacro Ordine Hierosolymitano ad diem XXI. Octob.

Corona. ℣. *Adducentur*. Ad Magnificat Antiph. *Simile est*. Ad Matutinum Invitatorium *Virginum Castitatis*. Hymnus *Jesu Corona*. In Nocturno Antiph. *Beata Virginum palma*, & cæteræ. Sex Lectiones de Legenda propria ipsarum, & tres ultimæ de Homelia Beati Gregorii ex Evangelio *Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus*. Responsoria, & Versiculi de Historia plurium Virginum, scilicet *Dum in toto Mundo*, & cætera. Nonum ℟. *O quam pulchra est*. In Laudibus Antiph. *Audite me divini*, & cæteræ. Capitulum *De Virginibus*. Hymnus *Virginis proles*. Ad Benedictus Antiph. *Simile est Regnum Cœlorum*. Ad Missam Officium *Vultum tuum*. Epistola *De Virginibus præceptum Domini non habeo*. Evangelium *Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus*. Per horas diei Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi *de Virginibus*. Ad Vesperum Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis *Dixit Dominus*. *Laudate pueri*. *Lætatus sum*. *Nisi Dominus*. *Lauda Hierusalem*. Capitulum *De Virginibus*. Ad Magnificat Antiph. *O quam pulchra est*.

De Sancto Donato Scoto Episcopo, & Confessore tres Lectiones, & legitur, & cantatur de uno Confessore (*a*).

De S. Severino (b) Archiepiscopo, & Confessore. De Sancto Crescio Martyre (c). De Sancto Miniato (d), & Sociis. De Sancto Evaristo Papa, & Martyre. CCCCXVI.

IN festo Sancti Severini Archiepiscopi, & Confessoris, quia ejus patrocinia in Altari Beati Bartholomæi se nostra Ecclesia habere gloriatur, ad Vesperum Capitulum *Ecce Sacerdos*. ℟. *Juravit Dominus*, & statim accepto Pluviali a Sacerdote Hebdomadario, & Thuribulo cum thure, imus cantantes ℟. ante Altare, ubi ejus Reliquias veneramur, & sic ibidem Vesperæ finiuntur. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem*. Hymnus *Summe Confessor*. In Nocturno Antiph. *Beatus vir*, & cæte-

(*a*) Baron. in Martyrol. Roman. 22. Octob.

(*b*) Severinum, qui hic indicatur, Coloniensem fuisse arbitror, de quo pleraque Martyrologia, ideoque ii, qui adnotationibus suis eadem Martyrologia illustrarunt.

(*c*) Crescii nomen a Romano Martyrologio abest: Extat tamen in Martyrologio a Clarif. Florentino edito XVIII. Decembris die notatum. De hujus S. Martyris Actis magna fuit in Etruria, eruditis notissima, concertatio, quam ego hic non dirimam.

(*d*) Minias Miles in Romano Martyrologio Usuardi, aliisque etiam ad XXV. Octobris diem notatur. Vide quæ de eo tradunt ii præstantes Viri, qui eadem Martyrologia illustrarunt.

cæteræ. Novem Lectiones facimus de vita ejus, vel de Confessoribus. Ultima Lectio requiratur in Translatione Sancti Martini Episcopi & Confessoris. Responsoria, & Versiculi de Historia Confessoris. Nonum ℞. *Sint lumbi vestri:* & tunc portantes incensum, cum ℞. imus ante Altare Sancti Bartholomæi, & ibi Matutinum solemniter finitur. Postea ibidem Missa popularis de Episcopo Confessore celebratur. Tali autem die non consuevimus Majorem Missam dicere, nisi dies Dominicus esset, & in die Festi, tantum ferius Vesperum celebramus.

De Sancto Crescio Martyre tres Lectiones facimus.

De Sancto Miniato (*a*), & Sociis ejus facimus novem Lectiones, & cantatur de pluribus Martyribus.

De Sancto Evaristo Papa, & Martyre facimus novem Lectiones, & legitur, & cantatur de uno Martyre. Si autem hoc festum fuerit die Sabbati, quia tunc Vigilia Apostolorum concurrit, cantabitur Missa de Vigilia Apostolorum, & in ea fiet Commemoratio de Papa Martyre per Orationem, & per horas diei, & in Vesperis fit tantum de Papa Martyre.

De Apostolis Simone, & Juda. CCCCXVII.

Apostoli Simon, & Judas Fratres Domini fuisse dicuntur, nam Maria Cleofe Soror Matris Domini, (*b*) Alpheo nubens, ex eo genuit Jacobum Minorem, Simonem, & Judam, & Joseph Barsabam, qui cognominatur *justus*, ne propter injustitiam credatur ab Apostolatu fuisse reprobatus. Vigilia itaque Apostolorum Simonis, & Judæ cum jejunio, & Missa celebratur. Ad Missam Officium *Intrent*. Epistola *Sancti ludibria*. Evangelium *Ego sum vitis*. Ad Vesperum Capitulum *Scimus quoniam diligentibus Deum*. ℞. *Fuerunt sine querela*. Hymnus *Exultet Cælum*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Tradent enim*. Oratio *Deus, qui nos per Beatos Apostolos*. Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, Versiculi, & Responsoria de Apostolis. Novem Lectiones facimus de propria Legenda ipsorum, vel tres de Homelia ipsorum, & totum aliud de Apostolorum Historia. Ad Missam Officium *Mihi autem*. Epistola *Scimus, quoniam diligentibus Deum*. Evangelium *Circuibat Jesus Civitates*.

De

(*a*) Omnes fere *Miniatem* appellant.
(*b*) Hæc quidem traduntur a multis, dubia sunt tamen. Vide quæ dixi *in Vita Mariæ Sanctiss*, Diss. X. quæst. VIII. cap. 3. & 4. pag. 455. & subseq.

De festo Sancti Savini Episcopi, & Martyris. CCCCXVIII.

IN festo Sancti Savini Episcopi, & Martyris, quia Corpus ipsius Sanctissimum, & Altare in ejus vocabulo consecratum, divina favente gratia nostra Ecclesia habere meruit, ad Vesperum dicitur Capitulum *Beatus vir*. ℟. *Domine prævenisti*. Hymnus *Deus tuorum*, & totum cum Organo ℣. *Gloria, & Honore*. Ad Magnificat Antiph. *Iste est*. Oratio *Propitiare: & Benedicamus* cum Organo. Postea in hora competenti Vigiliam de Martyre more solito solemniter celebramus. Ad Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Deus tuorum*. In Nocturno Antiphonæ, Psalmi, & ℣. de Historia unius Martyris. Sex Lectiones primæ, & ultima leguntur de ipsius Legenda, septima, & octava de Homelia Beati Remigii ex Evangelio *Nihil opertum*. Nonum ℟. *Iste est qui ante Deum*. Ad Benedictus Antiph. *Iste est*, & totum aliud de uno Martyre. Ad Missam Officium *Statuit*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Nemo accendit lucernam*: & est sciendum quod quando hoc festum venerit in die Dominico, Sabbato ad Vesperum, post Orationem de festo dicitur ℟. de Historia Dominicali, scilicet *Aspice Domine*, & Versiculus, & Oratio de Dominica, & ad Matutinum totum Officium fit, ut dictum est, præter septimam, & octavam Lectionem de Homelia Dominicali, cum suis Responsoriis, & in Laudibus post Orationem de festo, fit Collecta de Dominica per Antiphonam, & Orationem. Item prima Missa de Festo, secunda dicetur de Dominica, nisi paucitati Dominicarum consuleretur. Item ad Processionem ℟. *Iste est qui ante Deum*, & Major Missa de Festo celebrabitur. Si autem hoc festum die Sabbati eveniret, quia tunc Vigilia Omnium Sanctorum concurrit, eadem die prima Missa dicetur de Festo cum *Gloria in Excelsis*, & *Credo in unum*: deinde Missa Mortuorum cantabitur, Missa de Vigilia sine *Gloria*, & sine *Alleluja*, & sine *Credo in unum*, & in fine dicetur *Benedicamus Domino*.

De Lectionibus ad Matutinum, & Missa, & Vespero in Vigilia Omnium Sanctorum (a). CCCCXIX.

IN Vigilia Omnium Sanctorum ad Matutinum legantur Lectiones de Homelia Beati Remigii ex Evangelium *Beati eritis*: hanc autem Vigiliam

(a) De Jejunio festivitatem hanc præcedente, deque festivitate ipsa, illiusque antiquitate, & præstantia differunt ii, qui celebriora Martyrologia suis annotationibus illustrarunt, ideoque Galesinius, Baronius, Sollerius, & Georgius, Meratus etiam sectione VII. cap. XI. ad 1. Novemb. diem, Menardus quoque, Martene, Baillet, & Thomassinus, quos merito allegat Eminentissimus Antonellus [*Missal. Vet.* Kalendis Novembris.]

giliam cum Missa, & jejunio celebramus. Ad Missam Officium *Timete Dominum*. Epistola *Ecce ego Joannes*. Evangelium *Elevatis oculis Jesus in Discipulos*. Notandum vero, quod in hac Vigilia ex antiqua, & generali consuetudine, priusquam comedamus, soliti sumus Vesperas solemniter celebrare. Ad Vesperum itaque super Psalmos dicuntur Antiphonę (a) *Gloria tibi Trinitas*. Psalm. *Laudate pueri*. Antiph. *Sicut lilium*. Psalm. *Laudate Dominum omnes gentes*. Antiph. *Michael Archangele*. Psalm. *Lauda anima mea*. Antiph. *Inter natos Mulierum*. Psalm. *Laudate Dominum, quoniam bonus*. Antiph. *In patientia*. Psalm. *Lauda Jerusalem*. Capitulum *Ecce ego Joannes*. ℟. *Sancti mei*. Hymnus *Christe Redemptor* (b), & totum cum Organo. ℣. *Sancti tui Domine*. Ad Magnificat Antiph. *O quam gloriosum est Regnum*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum*, & *Benedicamus Domino* cum Organo. Finitis Vesperis Fratres vadunt ad refectionem: & est sciendum, quod nec Vesperum, nec Matutinum Sanctæ Mariæ, nec Psalmos Graduales dicimus in hoc festo, nec in Vigilia ad Vesperum, nec ad Matutinum facimus Collectam de Sancto Cęsario; immo in quolibet Officio hujus festi tantum unam Orationem dicimus. Si autem hoc festum die Dominico venerit, nihil fiet de Dominica in hoc festo ad Vesperum, vel ad Matutinum, vel ad Missam, sed Dominicale Officium ante, vel post cantabitur in aliqua Dominica vacanti, vel infra Hebdomadam, & tunc fiet Processio consueta, & infra Hebdomadam cantabitur - - - - - - - - - - -.

De Ordine, & solemnitate Matutinalis Officii in Festo Omnium Sanctorum, Et Sancti Cęsarii Martyris.
CCCCXX.

Kalendis Novembris festivitas Omnium Sanctorum, & Sancti Cęsarii Martyris: in qua solemnitate, omnia solemniter aguntur, sicut in Nativitate Domini, & ut consuetum est fieri in maximis, & præcipuis solemnitatibus, nam in Vesperis, & Matutinis singulę Antiphonæ ante Psalmos, & post Psalmos finiuntur, & cætera per totum diem solemniter perficiuntur. Ad Matutinum igitur cantatur Invitatorium *Regem Regum Do-*

(a) Antiphonæ hæ sequuntur Ordinem, quem ex prisca consuetudine hodieque Breviarium servat in Responsoriis, ut scilicet præeat Responsorium, in quo Dei ipsius præconia concinuntur, tum laudetur Maria Sanctissima, postea Michael, & reliqui Angeli, deinde Joannes Baptista, & reliqui Sancti per classes suas: sed in superioribus Antiphonis sistitur in Apostolis.

(b) Pag. 397. Tomi II. Oper. Ven. Card. Thomasii, eundemque Hymnum vetusta Breviaria habent.

Dominum, & cantor cum tribus illud totum cantèt, & postea Chorus repetat æqualiter. Hymnus *Christe Redemptor omnium*. In primo Nocturno Antiph. *Novit Dominus*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Mirificavit*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Ammirabile*. Psalm. *Domine Dominus noster*. ℣. *Sancti tui Domine*. ℟. *Vidi Dominum sedentem*, & ad quodlibet ℟. dicatur *Gloria*. ℟. *Beatam me dicent*. ℟. *In conspectu Angelorum*. In secundo Nocturno Antiph. *Domine qui operati sunt*. Psalm. *Domine quis*. Antiph. *Lætamini*. Psalm. *Beati quorum*. Antiph. *Timete*. Psalm. *Benedicam*. ℣. *Lætamini*. ℟. *Inter natos Mulierum*. ℟. *Cives Apostolorum*. ℟. *Sancti mei*. In tertio Nocturno Antiph. *Domine spes Sanctorum*. Psalm. *Exaudi Deus deprecationem*. Antiph. *Beati, quos elegisti*. Psalm. *Te decet Hymnus*. Antiph. *Qui diligitis Dominum*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. ℣. *Exultent justi*. ℟. *Sint lumbi vestri*. ℟. *O quam pulcra*. ℟. *Hæc est vera fraternitas*. Sex Lectiones leguntur de tractatu hujus festivitatis, qui sic incipit: (a) *Legimus in Ecclesiasticis Historiis*, in quo institutio, causa, & utilitas præsentis solemnitatis est plenissime descripta. Tres ultimę de Homelia Beati Remigii ex Evangelio *Videns Jesus turbas*. In Laudibus Antiph. *Scimus, quoniam diligentibus Deum*, & cæteræ; in ultimo autem Psalmo, scilicet *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, consuetudo est, ut ad quemlibet versum cantetur cum Organo, *Hæc est gloria omnibus Sanctis ejus*, & respondetur ab altero Choro *Laudent illum Cœli, Terræ, (b) & Mare, & omnis creatura ejus*. Capitulum *Vidi turbam magnam*. Hymnus *Jesu Salvator sæculi*. ℣. *Justi autem in perpetuum*. Ad Benedictus Antiph. *Te gloriosus*. Ad Primam Hymnus *Jam lucis*, & tono, quo canitur *Christe Redemptor*, & tantum æquali voce, & alii feriales Hymni per omnes horas simili modo cantantur, & semper in fine additur *Laus, honor*. Ad Missam Officium *Gaudeamus*. Epistola *Ecce ego Joannes*. Evangelium *Videns Jesus turbas*. Cantata Missa populari, statim dicitur Missa Defunctorum; postea hora competenti Major Missa cum Diacono, & Subdiacono solemniter celebratur. Ad Tertiam Antiph. *Deus tentavit illos*. Capitulum *Reddet Deus justis*. ℟. *Sancti tui Domine*. Ad Sextam Antiph. *Vox lætitiæ*. Capitulum *Scimus, quoniam diligentibus Deum*. ℟. *Lætamini in Domino*. Ad Nonam Antiph. *Gloria hæc est*. Capitulum *Justi autem in perpetuum*. ℟. *Exultent justi*. ℣. *Justorum animæ*. Ad Vesperum Antiphonę de Laudibus cum Psalmis de Martyribus. Capitulum *Sancti, & justi*. Hymnus *Christe Redemptor omnium*, & totum cum Organo. Ad Magnificat Antiph. *Angeli, Archangeli*, & post Orationem fit Collecta de Sancto Cęsario per Antiph. *Iste est*, & ejus Orationem, & cantatur *Benedicamus* solemniter. Illi autem de Sancto Fridiano post Vesperas hodiernas, pulsatis omnibus signis in classicum, altius, & distinctius solito cantant Vesperas Defunctorum. *De*

(a) Vetera Breviaria præeuntia S. Pii V. correctionem Lectiones has continent: veluti Breviarium Venetum 1534. apud Junctas pag. 338.
(b) Fortasse *Terra*.

De Ordine Processionis facienda pro Defunctis in sequenti die post festum Omnium Sanctorum. De Sancto Cæsario Martyre. CCCCXXI.

Sequenti die post festum Omnium Sanctorum, de Sancto Cçsario Martyre facimus tres Lectiones, ejus proprietatem legentes, & expleto Matutinali Officio, & ut mos est, soluto Capitulo hora competenti, quasi in aurora diei, omnia signa primo tribus vicibus pulsantur in Classicum, et postea cum Fratres venerint in Chorum, Cantor cum alio incipit Vigilias pro Defunctis hoc modo: *Regem cui omnia vivunt*, & tantum æquali voce solito more, & complent eas Vigilias in novem Lectionibus altius, & solemnius solito singulas cantantes. Sic autem omnia tractim, & spatiose legantur, & solemniter cantentur, quod usque ad solitam horam Missarum ipsa Officia protrahantur. Postea Septimanarius Presbyter Canonicus præparet se ad Missam; & more solito alba indutus loco Planetæ induat se Pluviali, deinde sic indutus veniens in Chorum, incipiat fundere aquam benedictam super Clerum, & Populum, & statim Cantor incipiat ℟. *Libera me Domine*, & omnes subsequantur cum Organo, & Cruce præcedente, Acolytus portet Aquam benedictam, & Sacerdos Hebdomadarius spargat, & post eum sequatur Subdiaconus cum Turibulo fumigante, & sic omnes Fratres euntes ordinate post Crucem, primo vadant ad Sepulcrum Episcoporum, & dum illuc pervenerint intermittentes ℟., dicunt Psalmum *De profundis*, & tunc Episcopus, si fuerit præsens, vel Archipresbyter, aut Hebdomadarius turificet Sepulcrum Episcoporum, & post Psalmum dicto *Kyrie*, & *Pater noster*, dicatur Oratio *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes*. Deinde alte dicentes Psalm. *Miserere mei Deus*, vadant ad Sepulcrum Canonicorum, & ibi similiter dicant *Kyrie*, & *Pater noster*, & Oratio *Deus veniæ*: postea, ut mos est in aliis Processionibus, vadant per Claustrum Canonicæ, ita tamen quod semper Sacerdos fundat Aquam benedictam per omnes Sepulturas, & post Crucem euntes Fratres circumeunt Plateam, Versus, & Responsoria repetunt cum Organo cantantes. Postquam vero circuierint omnes Sepulturas, & venerint ante januas Ecclesiæ, finito Responsorio, & ibi facto Choro, Sacerdos Hebdomadarius dicit *Kyrie eleison. Christe eleison. Pater noster* mediocri voce, ut a Populo possit audiri, & Psalmum *De profundis*, & ℣. *Ne tradas Bestiis animas confitentes. A porta inferi. Requiescant in pace. Domine exaudi Orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus: Deus, in cujus miseratione*, & *Fidelium Deus. Absolve Domine*. Qua finita statim Cantor incipit Antiphonam *Animas precamur*, & cum ea omnes revertuntur in Chorum, & tunc Septimanarius extracto Pluviali, superinduit Planetam, & tunc pulsatur ad Missam more consueto, & statim Cantor

tor in Choro incipit Officium Missæ pro Defunctis, quæ altius, & solemnius solito devotissime celebratur. Post Missam vero Mortuorum, quæ hac die consuevit primo loco cantari, si placuerit Fratribus, cantent Missam de Sancto Cesario, sed frequentius tali die consuevit omitti, & una sola Missa pro Defunctis omnibus celebrari. Sic igitur in hoc festo tres dies continui sunt tribus Misteriis deputati, nam primus est Vigilia Omnium Sanctorum, qui est dies afflictionis, secundus solemnitas eorundem, qui est dies exultationis, tertius est dies Orationis. In primo nos jejunando affligimus, præsentis vitæ miseriam recolentes: In secundo Sanctorum Beatitudini congaudemus, gratiarum actiones Domino referentes: In tertio pro his, qui in Purgatorio detinentur, oramus, eis modo pœnam mitiorem, modo plenam absolutionem Orationibus impetrantes.

De Sanctis Vitale, & Agricola Martyribus. De festo Sancti Leonardi Confessoris, & Sancti Appiani Episcopi, & Confessoris. CCCCXXII.

IN festo Sanctorum Martyrum Vitalis, & Agricolæ facimus tres Lectiones.

In festo Sancti Leonardi Confessoris, & Sancti Appiani Episcopi, & Confessoris ad Vesperum Capitulum *Justus Cor suum*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Justum deduxit*. Ad Magnificat Antiph. *Amavit eum Dominus*. Oratio de Sancto Leonardo: postea fiat Collecta de Sancto Appiano per Antiphonam, & Orationem, & in Matutino similiter. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem*. Hymnus *Iste Confessor*. In Nocturno Antiphonę *Beatus vir*, & cæteræ. Novem Lectiones facimus de Vita Beati Leonardi, & hæc Responsoria cantamus *Euge serve bone*. *Justus germinavit*. *Domine prævenisti*. In secundo Nocturno ℟. *Iste cognovit justitiam*. *Justum deduxit Dominus*. *Amavit eum Dominus*. In tertio Nocturno ℟. *Posuisti Domine super caput*. *Iste homo ab adolescentia*. *Iste est qui ante Deum*. In Laudibus Antiph. *Euge serve bone, in modico fidelis*. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Tu procul casus*. Ad Benedictus Antiph. *Euge serve bone*. Ad Missam Officium *Os justi*. Epistola *Justus cor suum*, vel *Beatus vir*. Evangelium *Nemo accendit lucernam*, & in Missa fiat commemoratio de Sancto Appiano per Orationem. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Confessoribus. Ad Vesperum Antiph. *Virgam virtutis*, & cæteræ, cum Psalmis consuetis.

In Festo Sanctorum Quatuor Coronatorum. De Festo Sancti Salvatoris, & Sancti Theodori Martyris. CCCCXXIII.

IN festo Sanctorum quatuor Coronatorum facimus novem Lectiones de Legenda ipsorum. Ad Missam Officium *Intrent*. Epistola *Reddet Deus mercedem*. Evangelium. *Hæc mando vobis*.

In festo Sancti Salvatoris, & Sancti Theodori Martyris ad Vesperum. Capitulum *Mihi autem absit gloriari*. ℟. *Tuam Crucem*. Hymnus *Salve Crux*. ℣. *Hoc signum Crucis*. Ad Magnificat Antiph. *O Crux*. Oratio *Majestatem tuam, Deus, fusis precibus exoramus*. Postea fiat Collecta de Sancto Theodoro, per Antiphonam, & Orationem. Ad Matutinum Invitatorium *Crucem Sanctam*. Hymnus *Salve Crux*. In primo Nocturno Antiph. *Dulce lignum*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Hoc signum Crucis*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Venite omnes*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Hoc signum Crucis*, & tres Lectiones de Icona. ℟. *Crux fidelis*. *Tuam Crucem*. *Nos autem gloriari*. In secundo Nocturno Antiph. *Filii hominum*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Scuto bonæ*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *In universa terra*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Posuisti Domine*, & tres Lectiones de propria Legenda Sancti Theodori. (*a*) ℟. *Posuit Coronam*, *Beatus vir*. *Laudemus Dominum in Beati Martyris*. In tertio Nocturno Antiph. *Adoramus Crucem*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Hoc Crucis signum*. Psalm. *Domine quis habitabit?* Antiph. *O Crux gloriosa*. Psalm. *Conserva me*. ℟. *Per signum Crucis*, & tres Lectiones de prima Legenda Iconæ. ℟. *Adoramus te Christe*. *Te Sanctum Dominum*. *Salva nos*. In Laudibus Antiph. *O Magnum pietatis opus*, & cæteræ. Capitulum *Mihi absit*. Hymnus *Protege*, *Salva*. (*b*) ℣. *Salva nos Christe, Salva*. Ad Benedictus Antiph. *Adoramus te Christe*. Oratio *Majestatem*, & de Sancto Theodoro Collecta per Antiphonam, & Orationem. Ad Missam Officium *Nos autem*. Epistola *Christus factus est*. Evangelium *Nunc judicium est Mundi*. Ad Tertiam Antiphona *Ecce Crucem*. ℟. *Hoc signum Crucis*. Ad Sextam Antiph *Nos autem gloriari*. ℟. *Per signum Crucis*. Ad Nonam Antiph. *O Crux ammirabilis*. ℟. *Adoramus te Christe*. Ad Vesperum Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis Dominicalibus. Ad Magnificat Antiphona *Salvator Mundi*, vel Antiphona *Propter lignum*.

De

(*a*) Consule quæ præclaris: idemque Doctiss. Flaminius Cornelius Senator Venetus de duobus Theodoris egregie, & luculenter docuit.

(*b*) Est portio Hymni *Salve Crux Sancta*. Eum tibi præbet Cassander pag. 259.

De festo Beati Martini Episcopi, & Confessoris. Et de Sancto Martino Papa, & Martyre. CCCCXXIV.

BEatus Martinus Turonensis Archiepiscopus, & Dei Confessor inclytus duplici gaudet privilegio, scilicet quia *par Apostolis* dicitur in Officio (*a*); & quia solus inter Confessores habet Octavam. Par autem Apostolis dicitur, vel quia per eum magna, & numerosa miracula coruscarunt; vel potius quia stans ad Altare, dum Missarum solemnia celebraret, globus igneus apparuit super Caput ejus, per quod ostensum est, super eum, sicut super Apostolos, Spiritum Sanctum descendisse. In ejus igitur festivitate ad Vesperum dicitur Capitulum *Ecce Sacerdos*. ℞. *Domine, si adhuc populo tuo*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Amavit eum Dominus*. Ad Magnificat Antiph. *O beatum virum*. Oratio *Deus, qui conspicis*: & quia eodem die est festum Sancti Mennæ Martyris, fit de ipso Collecta per Antiphonam, & Orationem, & in Matutino similiter, & in Missa fit commemoratio per Orationem. Ad Matutinum Invitatorium *Adoremus Christum Regem*. Hymnus *Summe Confessor*. In primo Nocturno Antiph. *Martinus*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Sancta Trinitatis fidem*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Ego signo Crucis*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Amavit eum*. In secundo Nocturno Antiph. *Confido in Domino*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Tetradius*. Psalm. *Verba*. Antiph. *O ineffabilem virum*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Justum deduxit*. In tertio Nocturno Antiph. *Dominus Jesus Christus*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Sacerdos Dei Martinus*. Psalm. *Domine, quis habitabit*. Antiph. *Sacerdos Dei Martinus*. ℣. *Magnificavit eum Dominus*. Omnes Lectiones de Vita Beati Martini leguntur. Responsoria de propria ejus Historia *Hic est Martinus*, & cætera, sicut sunt in Antiphonario. Nonum ℞. *Martinus Abrahæ*. In Laudibus Antiph. *Dixerunt Discipuli*, & cæteræ. Capitulum *Ecce Sacerdos*. Hymnus *Tu procul casus*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *O quantus luctus* (*b*). Ad Missam Officium *Statuit*. Epistola *Ecce Sacerdos*. Evangelium *Sint lumbi vestri*, & hac die facimus Processionem ad Sanctum Martinum cum Clero, & Populo, in qua cantamus primo Antiphonas de Nocturno propriæ Historiæ, & postea ℞. *Hic est Martinus*. *Domine, si adhuc*. *O beatum virum*. *Dixerunt Discipuli*, & *Martinus Abrahæ*, & ibi Missam cum Diacono, & Subdiacono cantamus. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus; & Responsoria, & Versiculi de Confessoribus. Ad Vesperum Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis de Martyre. Ad Magnificat Antiph. *O Beatum Pontificem*: & est notandum quod usque Octavam

(*a*) In vetusto codice, quem nostra servat Bibliotheca, extat Hymnus, qui ad hunc modum incipit: *Martine par Apostolis*, *Festum colentes tu fove*.

(*b*) Consule Vetera Breviaria.

vam facimus Collectam de Sancto Martino in mane per hanc Antiph. *O quantus luctus*, (a) & sero in Vesperis, per hanc Antiph. *O Beatum Pontificem*, & ejus Orationem. Insuper sciendum, quod a transitu Beati Martini, usque ad Adventum Domini jejunare consuevimus in qualibet Hebdomada, secunda, quarta, sexta feria, & Sabbato, & ab Adventu Domini cotidie in cibo Quadragesimali (b).

De Sancto Martino Papa, & Martyre facimus novem Lectiones, & legitur, & cantatur de uno Martyre.

De S. Britio Episcopo, & Confessore. De S. Rufo Episcopo, & Confessore. De Sancto Fridiano Episcopo, & Confessore. Et de Octava S. Martini Episcopi, & Confessoris. CCCCXXV.

De Sancto Britio Episcopo, & Confessore facimus sex Lectiones de vita ipsius, & tres de Evangelio *Sint lumbi* S. Gregorii super XLA (c). In Laudibus cantantur Antiphonæ, quæ habentur propriæ de ipso, scilicet *Post excessum*, & cæteræ, & in Laudibus canuntur omnes, & per horas diei, & Responsoria, & Versiculi de Confessore.

De Sancto Rufo Episcopo, & Confessore tres Lectiones facimus.

In Vigilia Sancti Fridiani Episcopi, & Confessoris facimus in Ecclesia nostra Officium de Octava Sancti Martini Episcopi, & Confessoris totum, sicut in die festivitatis ipsius, & in medio facimus tres Lectiones de Legenda Sancti Fridiani, & Collectam per Antiphonam, & Orationem ipsius; nam propter Dedicationem Ecclesiæ nostræ, non fit in Octava illius, & ultra Nonam nihil fit de eo, quia in Vesperis totum fit de Officio Consecrationis, nec in eis fit commemoratio de aliquo Sancto.

De Solemnitate Consecrationis Senensis Episcopalis Ecclesiæ. CCCCXXVI.

Quarto decimo Kalendas Decembris in festo Sancti Fridiani dedicatio Senensis Episcopalis Ecclesiæ celebratur, quæ sic celebrius colitur, & veneratur in nostra Ecclesia, sicut umquam melius aliqua magna festivitas totius anni: Omnis namque nobilior apparatus, tam in Ecclesiæ ornamentis, quàm in Officii celebrioris cultu, & prout ma-

[a] Extat in veteribus Breviariis. (b) Confer hæc cum libro II. *Constitutionum Portuensium*. [c] Idest in Collectione Quadraginta Homiliarum *in Evangelia* a Sancto Gregorio compositarum [Homil. XIII.]

magis curandum est, in majoris erga Deum devotionis affectu per omnia solemniter exhibetur. In Vesperis etiam, & Matutino omnes Antiphonæ ante Psalmos, & post totæ finiuntur, & semper cum Organo cantantur, & ea die hujus solemnitatis usque Octavam ipsius in Vesperis, & Matutino, & aliis horis Officia Sanctæ Mariæ dimittimus, nec aliqua die dicimus Psalmos Graduales. Ad Vesperum igitur super Psalmos dicuntur Antiph. *Ædificavit*. Psalm. *Laudate pueri*. Antiph. *Obtulit holocaustum*. Psalm. *Laudate Dominum omnes*. Antiph. *Pater Fidei nostræ*. Psalm. *Lauda anima mea*. Antiph. *Vidit Jacob Scalam*. Psalm. *Laudate Dominum, quoniam bonus*. Antiph. *Ecce tabernaculum*. Psalm. *Lauda Jerusalem*. Hæ Antiphonæ finiuntur cum jubilo. Capitulum *Vidi Civitatem*. ℟. *Fundata est Domus*, & quatuor cantent illud, & tunc detur incensum Altaribus, & Clero, & Populo. Hymnus *Urbs Beata Jerusalem*, & totus cum Organo. ℣. *Hæc est Domus Domini*. Ad Magnificat Antiph. *Te deprecamur hodie*, quæ prius tota cum Organo, postea finitur cum jubilo. Oratio *Deus, qui nobis*. *Benedicamus Domino* solemniter cantetur. Item ad Completorium Antiph. *Hæc est Domus Domini*. Psalm. *Cum invocarem*, & alii. Hymnus *Hoc in templo* (a). *Gloria, & honor*. Capitulum *Vidi Civitatem*. ℟. *Domum tuam*. ℣. *Fundata est Domus*. Antiph. *Lapides pretiosi*. Psalm. *Nunc dimittis*. Oratio *Deus qui nobis*. Sic autem dicimus Completorium usque Octavam.

De Matutinali Officio in Consecratione. CCCCXXVII.

AD Matutinum post tertiam pulsationem, Officium Matutinum devotissime inchoatur, & Cantor ex una parte cum tribus incipit Invitatorium *Domum Dei decet sanctitudo*, & statim ex alia parte unus Canonicorum cum aliis tribus respondet *Sponsum ejus*, et sic totum explent cum Organo: quo finito Chorus æquali voce repetit totum. Deinde solemniter cantetur *Venite*, et eo expleto, et Invitatorio, ut mos est, cum Organo repetito, omnes simul ibidem cantant primum Versiculum Hymni *Urbs beata*, (b) et cum Organo: postea vadunt ad manum Episcopi, si est præsens, et alii de Choro Hymnum prosequuntur. In primo Nocturno Antiph. *Ædificavit*. Psalm. *Domini est terra*. Antiph. *Obtulit holocaustum*. Psalm. *Deus noster Refugium*. Antiph. *Pater Fidei nostræ*. Psalm. *Magnus*: et semper tertia Antiphona in Nocturno finitur cum jubilo. ℣. *Hæc est Domus Domini*. ℟. *In Dedicatione*. *Fundata est Domus Domini*. *Benedic Domine*. In secundo Nocturno Antiph. *Vidit Jacob*. Psalm.

Quam

(a) Est portio Hymni *Angularis fundamentum*: nam tertia Strophe ad hunc modum incipit:

Hoc in templum summe Deus,
Exoratus adveni &c.

(b) Require in Veteribus Breviariis.

Quam dilecta. Antiph. *Evigilans Jacob*. Psalm. *Fundamenta*. Antiph. *Stupens Jacob*. Psalm. *Domine Deus salutis*. ℣. *Domum tuam*. ℟. *Dum exiret Jacob*. *Exaudisti Domine*. *Ornaverunt faciem*. In tertio Nocturno Antiph. *Templum Sanctum*. Psalm. *Qui habitat*. Antiph. *Ecce Tabernaculum*. Psalm. *Cantate II*. Antiph. *Te deprecamur*. Psalm. *Dominus regnavit*. ℣. *Bene fundata est*. ℟. *In Hymnis, & Confessione*. ℟. *Tu Domine universorum*. ℣. *Tu elegisti*. ℟. *Vos qui transituri*. ℣. *Cumque intraveritis terram*: et nota quod semper tria Responsoria in tertio Nocturno tota cantatur cum Organo, in aliis autem tantum Versus, et quodlibet ℟. cantatur cum *Gloria*. Sex Lectiones leguntur de Sermone, qui sic incipit *Ad Dedicationem Ecclesiæ*. Tres ultimæ de Homelia ex Evangelio *Egressus Jesus perambulabat Jericho*. Singulis etiam Lectoribus datur Pluviale ad legendum Lectiones, et omnes Lectiones super majus Pulpitum leguntur. In Laudibus Antiph. *Domum tuam*, et cæteræ. Capitulum *Vidi Civitatem*. Hymnus *Angularis fundamentum*. ℣. *Domus mea*. Ad Benedictus Antiph. *O quam metuendus est*. Oratio *Deus, qui nobis*: cætera more solito solemniter celebrentur.

De Officio Missæ, & horis diei, & Vespero. CCCCXXVIII.

AD Missam Officium *Terribilis est*. *Gloria in Excelsis*: Unam tantum Orationem usque ad Octavam facimus, nisi festum aliquod interveniat. Epistola *Vidi Civitatem*. Graduale *Locus iste*, et Alleluja *Sancti tui Domine*. *In die festivitatis* cum Organo, vel Alleluja *Fundata est*. Infra hebdomadam vero dicuntur alia Alleluja. Evangelium *Egressus Jesus*. Item *Credo in unum*. In hac Matutinali Missa fit solemnis prædicatio Populo, in qua interponitur recordatio Reliquiarum Sanctarum, quæ in hac Ecclesia tempore Consecrationis ipsius dicuntur fuisse repertæ, et tunc annuntiatur Populo remissio unius anni de Criminalibus, et quarta pars de venialibus omnibus hac die venientibus ad tantam solemnitatem: (*a*) et talis dies consuevit per Ecclesias Civitatis, et alias de Massa, per aliquot dies ante prædicari a prælatis, ut omnes veniant ad tantæ remissionis gratiam consequendam, quam ordinaverunt Episcopi, qui huic Consecrationi interfuerunt, anniversariam. Post Missam popularem, hora congrua Major Missa cum Diacono, et Subdiacono solemniter celebratur. Non autem consuevimus tali die Processionem facere, etiamsi die Dominico hoc festum esset. Ad Tertiam Antiph. *Hæc est Domus*. Capitulum *Vidi Civitatem*. ℟. *Domum tuam Domine*. Ad Sextam Antiph. *Bene fundata est*. Capitulum *Et audivi vocem de throno*. ℟. *Hæc est Domus Domini*. Ad Nonam Antiph. *Lapides pretiosi*. Capitulum *Nescitis, quia templum Dei estis*. ℟. *Bene fundata est*. ℣. *Domus mea*. Ad Vesperum Antiph.

(*a*) Super erant itaque his temporibus pœnæ Canonicæ, quarum *remissio* ex parte aliqua in hac solemnitate dabatur.

Consecratione. In Vesperis Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis *Laudate pueri*, et cæteris. Ad Magnificat Antiph. *Respice Domine*, et hæ Antiphonæ cotidie cantantur cum Organo post Psalmos usque Octavam.

De Dominica, quæ infra Octavam Consecrationis venerit. De S. Pontiano Episcopo. De S. Pontiano Papa, & Martyre. De Sancto Headmundo Rege, & Martyre. De S. Columbano Abbate, & Confess. CCCCXXX.

SI autem dies Dominicus infra Octavam venerit, Sabbato ad Vesperum post Orationem de Consecratione dicitur Antiphona, et Oratio de Dominica, et ad Matutinum omnia fient de Consecratione præter septimam, et octavam Lectionem de Homelia Dominicali cum suis Responsoriis, et in Laudibus fiet Collecta de Dominica per Antiphonam, et Orationem, et in mane prima Missa cantabitur de Dominica. Postea ad Processionem cantabitur ℟. *Vos qui transituri*, vel ℟. *Fundata est*, et in ingressu, Antiph. *Te deprecamur*; et sic Major Missa celebrabitur *de Consecratione*. Si vero aliquod Festum novem Lectionum inter Octavam occurrerit, Majoritas Officii fiet de festo, et ad Matutinum tres Lectiones in medio de Consecratione cum suis Responsoriis, & semper Collecta in Vespero, & Laudibus fiet de Consecratione post Orationem de festo.

De Sancto Pontiano Episcopo - - - - - - - - facimus sex Lectiones de Legenda ipsius, & tres in medio de Consecratione. De Sancto Pontiano Papa, & Martyre quod est sequenti die post Consecrationem, dicta Oratione de - - - - - - - - - , & de Consecratione fit Collecta per Antiphonam, & Orationem.

De Sancto Headmundo Rege, & Martyre facimus tres Lectiones de Legenda ejus.

De Sancto Columbano Abbate, & Confessore similiter facimus tres Lectiones de Legenda ipsius.

De Sancta Cęcilia. CCCCXXXI.

IN festo Sanctæ Caciliæ ad Vesperum Capitulum *Domine Deus meus exaltasti*. ℟. *Virgo Gloriosa*. Hymnus *Jesu Corona*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Virgo gloriosa*. Ad Matutinum Invitatorium *Domine Jesu Christe, Pastor bone*. Hymnus *Jesu Corona*. In primo Nocturno Antiph. *Cæcilia Virgo*. Psalm. *Domine, Dominus*. Antiph *Expansis manibus*. Psalm. *Cæli enarrant*. Antiph. *Cilicio Cæcilia*. Psalm. *Domini est Terra*.

ra. ℣. *Specie tua*. In secundo Nocturno Antiph. *Domine Jesu Christe*: Psalm. *Eructavit*. Antiph. *Beata Cæcilia*. Psalm. *Deus noster*. Antiph. *Fiat Domine Cor*. Psalm. *Fundamenta*. ℣. *Adjuvabit eam*. In tertio Nocturno Antiph. *Credimus Christum*. Psalm. *Cantate*. Antiph *Nos scientes*. Psalm. *Dominus Regnavit*. Antiph. *Tunc Valerianus*. Psalm. *Cantate II.* ℣. *Diffusa est*. Primæ tres Lectiones leguntur de vita ejus. Responsoria de propria Historia *Cantantibus Organis*, & cætera, ut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Dum aurora*. In Laudibus Antiphona *Cantantibus Organis*, & cæteræ. Capitulum *Qui gloriatur*. Hymnus *Virginis proles*. Ad Benedictus Antiph. *Dum aurora*. Oratio *de Virgine*. Postea Collecta de Consecratione per Antiphonam, & Orationem. Ad Missam Officium *Loquebar*. Epistola *Domine, Deus meus*. Evangelium *Simile est Regnum Cælorum*. Per horas Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de Virginibus. In Vesperis Antiphonæ de Laudibus, cum Psalmis de Virginibus. Ad Magnificat Antiph. *Cęcilia me misit ad vos*. Si autem hoc festum die Dominico venerit, ad Matutinum septima, & octava Lectio fiet de Homelia Dominicali, & prima Missa de Dominica, major vero cantabitur de Sancta Cęcilia, & ad Processionem ℟. *Virgo gloriosa*.

De Sancto Clemente Papa, & Martyre. De Festis SS. Martyrum Chrisogoni, Leonini, & Prosperi Episcopi, & Confessoris. CCCCXXXII.

DE Sancto Clemente Papa, & Martyre. Ad Vesperum Capitulum *Beatus vir*. ℟. *Dedisti Domine habitaculum*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria, & honore*. Ad Magnificat Antiph. *Oremus omnes*. Ad Matutinum Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Deus tuorum*. In Nocturnis Antiphonæ, & Psalmi, & ℣. de uno Martyre. Sex Lectiones de vita ipsius, & Responsoria, quæ de ipso habentur propria, primo cantantur, alia supplentur de Historia unius Martyris. Tres Lectiones in medio fiunt de Consecratione cum suis Responsoriis, & nonum ℟. *Febus* (a). In Laudibus Antiph. *Orante Sancto Clemente*, & cæteræ. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Martyr Dei*. Ad Benedictus Antiph. *Oremus omnes*. Oratio *Deus, qui nos annua*. Postea fiat Collecta de Consecratione per Antiphonam, & Orationem. Ad Missam Officium *Dicit Dominus*. Epistola *Omnis Pontifex*. Evangelium *Nemo accendit Lucernam*. De Sancta Fęlicitate

(a) Responsorium hoc habes pag. 148. Tomi IV. Operum Vener. Card. Thomas. En illud: *Phabus, & Cornelius discipuli Beati Clementis, dixerunt ad Populum: Oremus omnes ad Dominum, ut ostendat nobis Martyris sui Corpus.* ℣. *Invenerunt in modum templi marmorei habitaculum, a Deo praparatum.*

tate eodem die fiet tantum Collecta in Vespero, Matutino, & Missa. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculus de uno Martyre. Ad Vesperum Antiphonæ de Laudibus cum Psalmis de Martyribus. Ad Magnificat Antiph. *Dedisti Domine habitaculum*.

In festo Sanctorum Martyrum Chrisogoni, & Leonini, & Prosperi Episcopi, & Confessoris facimus sex Lectiones de Legenda Sancti Prosperi, & majoritas cantatur de Confessore, & fit Collecta de Martyribus per Antiphonam, & Orationem, & tres Lectiones in medio de Consecratione cum suis Responsoriis.

De Officio in Octava Consecrationis, & quid Octava significet. CCCCXXXIII.

IN Vigilia Octavæ Consecrationis ad Vesperum, & Matutinum pulsantur Majores Campanæ, & cantantur super Psalmos Antiphonę *Ædificavit*, & cæterę, quæ tantum post Psalmos totæ finiuntur, & cum Organo. Ad Matutinum similiter eædem Antiphonæ cantantur, & Responsoria, & eodem ordine, & cum Organo, ut in die Consecrationis, sed non duplicantur, nec ad quodlibet ℞. dicitur *Gloria*, nec Major Missa cantatur, nisi veniret in die Dominico: & *Credo in unum* ad Missam dicitur: alia vero omnia fiunt, sicut in die festivitatis, & usque in Vesperis, & Completorio, facimus de ipsa Consecratione. Sciendum autem quod Octavas Sanctus Leo Papa celebrari constituit: (*a*) nam a veteri consuetudine Sanctarum festivitatum Octavum diem celebrari sumpsit, significans post septenarium hujus vitæ laborem, octonariam futuræ Beatitudinis Requiem, in qua est summa fęlicitas, & vera festivitas. De Octava Dedicationis in libro Machabęorum sic legitur (*b*): *Et fecerunt Dedicationem Altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia... Et statuit Judas, & Fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies Dedicationis Altaris temporibus suis ab anno in annum per dies octo.* Sanctis autem illis, quos magnificentius honoramus, duas festivitates facimus, prima die Natalis sui, & octava. Prima diei festivitas primam stolam significat, quam a Domino perceperunt in Animabus beatificatis, Octavi diei festivitas, secundam stolam designat, qua sunt in corporibus glorificandi, quæ futura est in Octava: post hujus temporis scilicet revolutionem, quod septem dierum circulo volvitur, ut in Octava fęlicitas perpetuo mansura teneatur, ideoque de Sanctis duplicem faciamus festivitatem, & de utraque eorum gloria animæ nunc, post vero animæ simul & Corporis, nos gaudere doceamus (*c*). *De*

(*a*) Utinam hæc magis illustrasset Scriptor iste, nam hae de re plerique dubitant. Vide quæ docuere Viri Egregii Gavantus, & Meratus sect. III. cap. 7. & 8.

[*b*] I. Mach. IV. 56. 59.

(*c*) De Octavis multa habet Durandus lib. VII. cap. I. n. 45., & seq. De Octavis quoque agit Clar. Guyetus lib. I. cap. XVIII., & alibi etiam luculenter, & docte.

De Sancto Gaudentio Episcopo, & Confessore. De S. Jacobo Martyre Interciso. In festo SS. Chrisanti, & Dariæ. Et de Sancto Saturnino Episcopo, & Martyre. CCCCXXXIV.

De Sancto Gaudentio Episcopo, & Confessore facimus tres Lectiones.

De Sancto Jacobo Martyre Interciso novem Lectiones facimus de Passione ipsius, & cantatur de uno Martyre. Ad Missam Officium *In virtute*. Epistola *Spectaculum facti sumus*. Evangelium *Si quis venit ad me*. Si autem hoc festum venerit in prima Dominica de Adventu, fiet de ipso tantum Collecta per Antiphonam, & Orationem in Vespero, & Matutino, & in Missa Matutinali commemoratio per Orationem.

In festo Sanctorum Chrysanti, & Dariæ facimus tres Lectiones de Legenda ipsorum.

De Sancto Saturnino Episcopo, & Martyre facimus tres Lectiones de propria Legenda ipsius: scilicet *Tempore, quo Maximianus*.

De solemnitatibus, in quibus Antiphonas duplicamus. CCCCXXXV.

IN his tantum solemnitatibus, & festis Sanctorum, ad Vesperum, & ad Matutinum in Nocturno, & in Laudibus consuevimus omnes Antiphonas duplicare, totas illas cantantes ante Psalmum, & post Psalmum, & sine Organo, præterquam in Assumptione Beatæ Mariæ, & Dedicatione nostræ Ecclesiæ, in quibus etiam cum Organo duplicantur. Duplicamus itaque Antiphonas in Nativitate Domini, & ejus Octava, & in Epiphania, & in his tantum solemnitatibus easdem Antiphonas intra Psalmum, ubi tanguntur, replicamus. (a) Item in festo Sanctorum Fabiani, & Sebastiani duplicamus eas, in Purificatione Sanctæ Mariæ, in Translatione Sancti Ansani, in Annunciatione Sanctæ Mariæ, in Resurrectione Domini, & Ascensione, & Pentecoste, in Victoria Sancti Michaelis Archangeli, in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, & Octava ejusdem, in festo Sancti Bartholomæi Apostoli, in Nativitate Sanctæ Mariæ, in festo Sancti Crescentii Martyris, in Dedicatione Sancti Michaelis, in Translatione Sancti Crescentii Martyris, in festo Sancti Savini Episcopi, & Martyris, in so-

[a] Vide Capita **XL. XLI. LXIX., & CCCCXX.**

in solemnitate Omnium Sanctorum, in Dedicatione nostræ Ecclesiæ, in festo Sancti Ansani Martyris, & Sancti Nicolai Episcopi, & Confessoris, & Sanctæ Luciæ Virginis, & Sancti Thomæ Apostoli; sed si quæ de his festivitas die Dominico fuerit, si tunc dicitur Antiphona de Dominica, non duplicatur.

Qualiter in festis incipiantur Officia, & quando incensatio in Ecclesia nostra fieri consuevit. CCCCXXXVI.

IN omnibus solemnitatibus, quibus Antiphonas duplicamus, semper Archipresbyter, vel Sacerdos Hebdomadarius, & aliquando Dominus Episcopus, ad incipiendum Vesperum, aut Matutinum, induit solemne Pluviale, & dicto Capitulo in Vesperis Vigiliæ, semper ℞. de sequenti festo cum Organo solemniter cantatur, præterquam in Sabbato Sancto; & tunc quando ℞. canitur, Archipresbyter facit incensum Altaribus, & Clero in Choro: & post Sacrista dat Populo. Postea dicto *Benedicamus Domino,* Cantor cum Sociis vadunt ad manum Episcopi, si fuerit in Choro. Item ad Matutinum in secundo Nocturno fit incensum Altaribus, & Clero in Choro, & postea Sacrista dat Populo. Sed quando Dominus Episcopus incipit Officium, tunc idem Episcopus incensare Altaria superiora consuevit in Vesperis, & Matutinis, & Sacerdos qui assistit Episcopo cum Pluviali, thurificat alia Altaria, quæ sunt inferius, & postea idem Sacerdos dat incensum in Choro Domino Episcopo, & toti Clero: & nota: quod non solum in dictis solemnitatibus, sed omnibus Sabbatis, dicto Capitulo in Vesperis, & omni die Dominico, Archipresbyter qui incepit - - - - sumpto Pluviali, similiter facit incensum Altaribus & Clero in Choro, & postea Sacrista dat Populo. Ad Missam Popularem cotidie dat Sacrista incensum Altaribus & Clero in Choro. Sed ad Missam Majorem, Diaconus accepto thuribulo, post factum incensum a Sacerdote, thurificat Altaria superius, & postea dat thuribulum Subdiacono, qui vadit inferius, & dat incensum Altaribus, & Clero in Choro. Item in die solemnitatis in Vesperis similiter fit incensum Altaribus, & Clero, dum Sequentia, vel Hymnus cantatur, & datur Populo Mystice autem thuribulum est cor hominis, ignis, charitas: Incensum Oratio, quæ tunc ad Deum dirigitur, cum per Verbum Evangelii cor nostrum igne accenditur charitatis, & in fidem Passionis expanditur, unde incensando Sacerdos dicit: *Dirigatur Oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, & congrue post Psalmos, & Lectiones sequitur incensatio, quia qui bene operatur, & alios docet, bonum reddit odorem, & aliis bene operandis præbet exemplum. Altari datur incensum, quia sicut cor est in corpore hominis, sic in templo Dei est Altare, quod tunc incensatur, quando cor no-

noſtrum Orationibus, & virtutum odoribus adornatur, homini datur, ut ſemper Orationem ſuam ad Deum dirigat, & ſic eam faciat virtutum odoribus redolere, ut ad Deum aſcendat, ſicut fumus tendit in altum.

Quibus Feſtis Vigiliam facimus, & ſuper majus Pulpitum legimus, & Alleluja cantamus. CCCCXXXVII.

Conſuevimus autem in quibuſdam Feſtivitatibus, quibus Antiphonas duplicamus, ſero Vigiliam in tribus Lectionibus celebrare [a], ſicut in feſto Sanctorum Fabiani, & Sebaſtiani, Tranſlationis Sancti Anſani, in feſto Sancti Bartholomæi Apoſtoli, Sancti Creſcentii Martyris, & Tranſlationis ejuſdem, & feſto Sancti Savini Epiſcopi, & Martyris, Sancti Anſani Martyris, Sancti Nicolai, Sanctæ Luciæ, & Sancti Thomæ Apoſtoli, in feſto Sancti Joannis Evangeliſtæ, & licet Antiphonas non duplicemus, ſerò tamen ſicut in iſtis Vigiliam facimus: & nota quod in omnibus ſolemnitatibus, quibus Antiphonas duplicamus, & per totum annum omnibus diebus Dominicis, præterquam in duabus intrantis Auguſti, cum Diacono, & Subdiacono Miſſam Majorem conſuevimus ſolemniter celebrare, & expleta Miſſa Majori ſtatim cantamus Sextam, niſi in feſtivitatibus, quæ veniunt in Adventu, & majori Quadrageſima, quando jejunamus. In omnibus etiam ſolemnitatibus, quibus & Antiphonas duplicamus, ad Veſperum, & Matutinum, & *Te Deum laudamus*, & Miſſam Majorem pulſantur majores Campanæ, & ad Primam, & Miſſam popularem ſola major Campana pulſatur, & in feſto Sancti Stephani, & Sancti Joannis Evangeliſtæ, licet non duplicemus Antiphonas, tamen ſimilis ſolemnitas in pulſationibus obſervatur. Item nota quod in Nativitate Domini, Epiphania, Reſurrectione, Aſcenſione, & Penttecoſte Cantor cum tribus aſcendit majus Pulpitum ad cantandum Alleluja, & in eiſdem ſolemnitatibus & omnibus feſtivitatibus Sanctæ Mariæ Virginis, & ſolemnitate omnium Sanctorum, & Dedicatione noſtræ Eccleſiæ ſuper majus Pulpitum, & cum Pluviali Lectiones leguntur ad Matutinum. In omnibus quoque ſupradictis ſolemnitatibus ſemper in fine Antiphonarum, quæ cantantur ad Magnificat cum Organo, & quæ ſunt ultimæ in tribus Nocturnis, & quæ canuntur ad Benedictus, facimus jubilum, intonantes eas ſecundum differentias ſingularum Antiphonarum.

De

(a) Recole dicta cap. 32. de Vigilia S. Joannis annot. (b)

Quibus festis ad Vesperum canitur Responsorium, & sola Major Campana pulsatur. CCCCXXXVIII.

SUnt autem aliæ festivitates in Ecclesia nostra, quas non ita solemniter celebramus, in quibus licet Antiphonas non duplicemus, ut dictum est, nec cantemus Majorem Missam, in Vigiliis tamen ipsarum ad Vesperum semper cantamus ℟. de festo, & pulsatur sicut in diebus Dominicis, & in tertia pulsatione ad Vesperum, & Matutinum, & *Te Deum Laudamus* sola Campana Sanctæ Mariæ pulsatur; ut in festo Sancti Andreæ Apostoli, & Sanctæ Brigidæ Virginis, Sancti Victoris Martyris, Sanctorum Cancii, Canciani, & Cancianillæ, & Apostolorum Petri, & Pauli, Sanctorum septem Fratrum, & Sanctæ Fęlicitatis, Sanctæ Balbinæ Virginis, Sancti Lucæ Evangelistæ, & Sancti Severini Archiepiscopi. In festo autem Sancti Silvestri Papæ consuevimus Responsorium in Vigilia ipsius de ipso canere, & Majores Campanæ ad Vesperum, & Matutinum, & *Te Deum*, et Laudes pulsantur, major tamen Missa dici non consuevit, nisi dies Dominicus esset. In omnibus autem festis Sanctorum, quorum habemus reliquias in Ecclesia nostra, si ad Vesperum ℟. succinimus, postea cum Organo *Benedicamus Domino* cantamus. De quocumque vero festo sola Major Campana pulsatur ultima vice, in illo non succinimus *Te Deum Laudamus*, nec Hymnum *Jam lucis*, nec ad Missam Major Campana pulsatur; in aliis autem majoribus festis semper illa succinimus, & Major Campana pulsatur ad Missam. Item in omnibus festivitatibus Apostolorum, & Evangelistarum, & illorum Sanctorum, de quibus propriæ habentur Historiæ in Antiphonario, & cantantur in Ecclesia nostra, canimus ℟. ad Vesperum in Vigilia eorum. Item propter Privilegium, & meritum quorundam aliorum Sanctorum similiter consuevimus cantare ad Vesperum ℟. in Vigilia eorum, sicut in festo Sancti Thomæ Archiepiscopi, & Martyris, Sancti Gregorii Papæ, Sancti Benedicti Abbatis, Sancti Augustini Episcopi, Sancti Hieronymi, Sancti Remigii Archiepiscopi, & Sancti Ambrosii Archiepiscopi.

De varietate pulsationum in Paschalibus diebus, & festis Majoribus, & Minoribus. CCCCXXXIX.

IN Paschalibus diebus, & specialibus solemnitatibus nostræ Ecclesiæ, in quibus Antiphonas duplicamus, ad Vesperum, Matutinum, *Te Deum Laudamus*, & Missam Majorem, prima vice pulsatur Major Campana, quæ dicitur *Sancti Ansani*, & statim alia Campana Sanctæ Mariæ ad-

adduplatur cum illa, & pulsatur per magnam moram. Prima pulsatione completa, post competens intervallum adduplantur squillæ minores, & statim cum eis adjungitur aliud duplum mediarum Campanarum, & quæcumque aliæ ibi fuerint, præter majores, simul pulsantur per magnum spatium. Post secundam pulsationem, habito congruo temporis intervallo, primo adduplantur squillæ, deinde sequitur duplum Campanarum mediarum, & aliarum, si sunt, & ultimo loco majores: & sic omnes pulsantur in Classico, per moram, quæ congrua videatur. Item ad Primam, & Missam popularem sola Campana Sanctæ Mariæ pulsatur, & quandocumque Majores Campanæ pulsantur ad Vesperum, & Matutinum, tunc ad primam Missam Popularem Campana Sanctæ Mariæ pulsatur, aliter non: sunt enim quædam festivitates, de quibus habemus reliquias, in quibus ad Vesperum, Matutinum, *Te Deum Laudamus* ultima vice tantum Major Campana sonatur, & de ipsis nec Vigiliam, nec Missam Majorem cantamus, nisi venirent die Dominico. Item post tertiam feriam in Albis Paschalibus usque ad feriam secundam post Octavam Paschæ pulsatur sicut in Dominicis diebus, & similiter intra Octavam Pentecostes in secunda feria post Octavam Paschæ, & deinceps omnibus ferialibus diebus usque ad Ascensionem ad Matutinum, et *Te Deum Laudamus*, et Vesperum primo adduplantur squillæ, secundo pulsatur sola Campana quæ ad nonam, tertio squillæ adduplantur, et illa Campana cum illis. In aliis etiam festivitatibus, quæ non sunt ita solemnes, quandocumque debemus in sequenti die novem Lectiones facere ad Vesperum, in Vigilia, et postea ad Matutinum, et *Te Deum Laudamus*, et in die ad Vesperum similiter pulsatur, sed ipso die festi talis variatio fieri consuevit olim, sed non modo. Sero ad Vesperum, si alia die non fuerit aliquod festum, in tertia vice pulsatur sola squilla, sed si sequenti die fuerit festum trium Lectionum, tunc ultima vice solæ squillæ adduplantur. Quando vero est festum trium Lectionum, ad Vesperum in Vigilia, et ad Matutinum primo sola squilla pulsatur: sero pulsatur sola Campana, quæ sonatur ad Nonam, et tertia vice solæ squillæ adduplantur: et nota quod in quibuslibet Vigiliis festivitatum, quas solemniter jejunamus, pulsatur ad Tertiam, et Sextam, et Nonam, in aliis vero diebus tantum ad Tertiam, et Nonam pulsatur.

De Missa, & Vespero in Vigiliis Apostolorum. CCCCXL.

De festivitatibus Apostolorum, de quibus proprietas non habetur, sic consuevimus Officia celebrare. Apostolorum omnium, quorum Vigilia ab Ecclesia celebratur, videlicet quorum festa in Nativitate Domini, vel a Pascha usque Pentecostes non veniunt, eorum Vigilias cum jejunio et Missa, si propriam habuerint, celebramus. Si autem non habuerint propriam, ad Missam canimus Officium *Ego autem sicut Oliva*.

Epi-

Epistola *Beatus vir, qui inventus est sine macula*. Evangelium *Ego sum vitis vera*; et tunc communis Præfatio dicitur, non propria de Apostolis, et in ea non dicitur *Gloria in Excelsis*, vel *Alleluja*, nec *Credo in unum*, et nihil de eo fiat amplius usque ad Vesperum. Item ad Vesperum Capitulum *Jam non estis*. ℟. *Fuerunt sine querela*. Hymnus *Exultet Cælum*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Tradent enim vos*. Oratio *Deus qui nos annua Apostolorum*.

De Officio Matutinali in festis Apostolorum. Et de Officio in festis Evangelistarum. CCCCXLI.

AD Matutinum Invitatorium *Regem Apostolorum*, vel *Gaudete*. Hymnus *Exultet Cælum*. In primo Nocturno Antiph. *In omnem terram*. Psalm. *Cæli enarrant*. Antiphona *Clamaverunt*. Psalm. *Benedicam*. Antiph. *Constitues*. Psalm. *Eructavit*. ℣. *In omnem terram*. In secundo Nocturno Antiph. *Principes populorum*. Psalm. *Omnes Gentes*. Antiph. *Dedisti*. Psalm. *Exaudi Deus deprecationem*. Antiph. *Annuntiaverunt*. Psalm. *Exaudi Deus Orationem*. ℣. *Constitues eos*. In tertio Nocturno Antiph. *Exaltabuntur*. Psalm. *Confitebimur*. Antiph. *Lux orta est*. Psalm. *Dominus regnavit, exultet*. Antiph. *Custodiebant*. Psalm. *Dominus regnavit, irascantur*. ℣ *Nimis honorati*. Sex Lectiones de Sermonibus Apostolorum, et tres de Homeliis Evangeliorum, quæ de ipsis habentur. Omnia Responsoria cantantur de Historia *Ecce ego mitto vos*, et cætera, sicut in Antiphonario sunt posita. Nonum ℟. *Cives Apostolorum*, vel ℟. *Beati qui persecutionem* In Laudibus Antiph. *Hoc est præceptum*, et cæteræ. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus *In his Paterna Gloria*. ℣. *Annuntiaverunt opera Dei*. Ad Benedictus Antiph. *Estote fortes*. Ad Primam, et per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus dicuntur. Ad Missam Officium *Mihi autem nimis*. *Gloria in Excelsis*. Epistola *Jam non estis*. Graduale *Nimis honorati*, et Alleluja *Per manus autem*. Evangelium *Hoc est præceptum meum*, vel *Ecce ego mitto vos sicut oves*, vel *Hæc mando vobis, ut diligatis*, vel *Qui vos audit, me audit*, vel *Ite: ecce ego mitto vos, sicut Agnos inter Lupos*, vel *Ecce nos reliquimus omnia*. Item *Credo in unum*. Offertorium *In omnem terram*. Præfatio *Te Domine suppliciter exorare*. Postcommunio *Vos, qui secuti*. Ad Tertiam Capitulum *Jam non estis*. ℟. *In omnem terram*. ℣. *Constitues eos*. Ad Sextam Capitulum *Per manus autem Apostolorum fiebant*. ℟. *Constitues eos*. ℣. *Nimis honorati sunt*. Ad Nonam Capitulum *Ibant Apostoli gaudentes*. ℟. *Nimis honorati*. ℣. *Annuntiaverunt*. Ad Vesperum Antiphona super Psalmos *Juravit*. Psalm. *Dixit Dominus*. Antiph. *Collocet*. Psalm. *Laudate pueri*. Antiph. *Dirupisti*. Psalm. *Credidi, propter*. Antiph. *Euntes*. Psalm. *In convertendo*. Antiph. *Confortatus est*. Psalm. *Domine probasti*. Capitulum *Jam non estis*. Hymnus

nus *Exultet Cœlum*. ℣. *In omnem terram*. Ad Magnificat Antiph. *Ecce ego mitto*, vel Antiph. *Beati eritis*.

De Sanctis Evangelistis, scilicet Beato Luca, et Sancto Marco, et Sancto Barnaba Discipulo Apostolorum, sicut de Sanctis Apostolis, præter proprietates eorum legimus, et cantamus, sed non cum jejunio pro ipsis Vigilias celebramus, et in Missa in festivitatibus ipsorum dicimus Evangelium: *Designavit Dominus & alios septuaginta duos*.

Unde Natale Sanctorum dicatur, & dierum nomina per Hebdomadam appellentur. CCCCXLII.

OBtinuit mos Ecclesiasticus, ut quomodo quis cum procedit de utero Matris nasci dicitur, ita soluti a vinculis carnis cum sublimantur ad æternam lucem, nasci dicantur, et inde dies Martyrum, sive Confessorum Christi, quibus de hoc sæculo transierunt, *Natales* vocitamus, eorumque solemnia, non funebria, sed Natalitia dicuntur. Hos dies Sancti Patres celebrari sanxerunt ad honorem eorum, et ad imitationem nostram excitandam, ut eorum meritis consociemur. (*a*) Fęlix Papa statuit celebrari Missas super memorias Martyrum, et Beatus Gregorius constituit super Corpus (*b*) Missas celebrari. Festi dies in veteri lege fuerunt dies

---

a] In libro Pontificali Damaso adscripto hæc de Felice Papa I. traduntur: *Hic constituit supra Sepulcra, aut memorias Martyrum Missas celebrari*. Al Binius Canonem hunc illustrans (pag. seu colum. 920. Tom. I. Concilior. edit. Coleti, & Albricii) docet *longe ante Fœlicis, tempora ejusmodi institutionem sibi vindicasse*; idque allatis vetustioribus Fęlice exemplis luculenter ostendit. Egregius quoque Petrus Coustant vetustas Romanorum Pontificum Epistolas, & Decreta illustrans col. 298. Tomi I. hæc scripsit: *Fęlix in libro Pontificali constituisse dicitur supra sepulcra, aut memorias Martyrum Missas celebrari: sed hunc usum in Ecclesia antiquiorem esse eruditi observant*. Sed quam antiqua, & quam late patuerit h. m. consuetudo alibi copiose exposui. Consule quæ capitib. 35. 36. 37., & subsequentibus Dissertationis VII. *de Cultu Sanctorum* tradidi, ex quibus quidem liquido constabit, alios multos, eosque probatissimos Magistros nostros ante *Gregorium Magnum constituisse super Sanctorum Corpora* Missas celebrari. Celeberrimi sunt Paulini Nolani versus, quos num. 20. capitis VIII. ejusd. Dissertationis adduxi, quos hic recolat Lector, opto:

Namque & Apostolici cineres sub cęlite mensa
Depositi &c.

Et rursus

Ecce sub accensis Altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.

(*b*) *Martyrum Corpora*, ut arbitror.

dies azymorum [a], dies Pentecostes (b), quando data est Lex, et primi panes propositionis offerebantur [c], Sabbata (d), celebratio novæ Lunæ, quod festum semper faciebant, quia deficiente Luna tempus finitur (e). Dies propitiationum (f), vel expiationum in septimo Mense (g), cum semel introibat in anno Sacerdos summus in Sancta Sanctorum cum Sanguine. In eodem Mense erat festum Tabernaculorum (h). Festi dies inde vocantur quia jus in eis *fatur*, idest dicitur, ut *nefasti*, quibus non dicitur. Fari etiam a fando dicuntur: ob quam causam, Silvester Papa Primus, apud Romanos constituit, ut dierum nomina, quæ antea secundum Deos erant, ut dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni in feriam primam, secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam mutarentur: *Sabbata* autem antiquo nomine vocari præcepit, & primam feriam, diem *Dominicam*, quia Dominus, in ea surrexit. (i) Statuit etiam idem Papa, ut otium Sabbati in diem Dominicum transferretur: & ea die a terrenis

---

[a] Exod. XII. 8. 15. &c. (b) Exod. XXXI. 18. Levit. XXIII. 10. 17. &c.
(c) Exod. XVI. 23. 29. 30. &c., & rursus XX. 10. &c.
[d] Levit. XXIII. 24. 25. &c. Num. XXIX. 1. II Parol. 2. 4. Judith. VIII. 6. Psal. LXXX. 4. &c. (e) Levit. XXIII. 28.
(f) Levit. XVI. 29. 30. [g] Exod. XXX. 10. Levit. XVI. 2.
(h) Levit. XXIII. 34. &c.

[i] Critici nostrorum temporum minime excipiunt id, quod hic traditur: ajunt enim in probatis S. Sylvestri Actis id non extare: Ajunt quoque multo ante Sylvestrum *feriarum* nomine indicatos fuisse a Christianis Hebdomadæ dies, primâ, & postremâ exceptis: prima enim Hebdomadæ dies *Dominica* appellatur: quia in ea Dominus resurrexit, & Domini cultui potissimum dicata est, septima vero retinet antiquum apud Judæos nomen, & *Sabbatum* apud nos quoque dicitur. Hinc Tertullianus cap. 2. libri de jejuniis hæc tradit: *proinde nec Stationum, quæ & ipsa suos quidem dies habebant quarta feria, & sexta.* Dominici porro diei idem Tertullianus meminit hæc tradens (cap. 3. libri *de Corona*) *die Dominico jejunare nefas ducimus,* Sabbati vero, dum hæc eloquitur [cap. 4. libri adversus Judæos] *dicunt enim Judæi*, quod a primordio sanctificaverit Deus *diem septimum, requiescendo ab eo ab omnibus operibus suis, quæ fecit, & inde etiam Moysem dixisse ad populum:* Mementote diem Sabbatorum sanctificare eum . . . . . . *Unde nos intelligimus magis Sabbatizare nos, ab omni opere servili semper debere.* Et lib. IV. adversus Marcionem [cap. XII.] *Adimplevit enim* (Christus) *& hic legem, dum conditionem interpretatur ejus, dum operum differentiam illuminat, dum facit quæ lex de Sabbati feriis excipit, dum ipsum Sabbati diem benedictione Patris a primordio Sanctum, benedictione sua efficit sanctiorem . . . . ne Sabbatum Creatoris ornaret, ne opera debita Sabbato redderet*: ac sæpe deinceps in hoc libro, & alibi etiam. Vide quæ hoc super argumento tradit præclariss. Henricus Valesius annotationibus illustrans Cap. I. libri *de Martyrib. Palæstinæ* ab Eusebio compositi, ad verba illa *ἡμέρα &c.* Quod si morem hunc aliorum Scriptorum auctoritate confirmare adhuc vis, ea consule quæ Glossarium Cl. Ducange habet ad vocem *Feria*, atque ea præsertim quæ docet Durandus lib. VII. cap. 1. n. 10. & seq. Et rursus lib. VIII. cap. 3. *de septimana*.

renis operibus ad laudandum Deum vacaremus. Secundum hunc morem jubet Ecclesia nos in Natalitiis Sanctorum vacare. Ergo qui his diebus ad hoc vacare vult ab agri cultura, ut crapulæ, & ebrietati deserviat, vel jocis opera manuum det, agnoscat se magis peccare per tale otium, quam si alicui utili operi insisteret.

De Officio in festo plurimorum Martyrum in novem Lectionibus. CCCCXLIII.

IN festivitatibus plurimorum Martyrum, de quibus facimus novem Lectiones ad Vesperum Capitulum *Sancti per fidem*. ℞. *Sancti mei*. Hymnus *Rex gloriose*, in solemni tono. Ad Magnificat Antiph. *Isti sunt Sancti*, vel *Gloria Martyrum*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Martyrum*, vel *Adoremus Regem*. Hymnus *Sanctorum meritis*. In primo Nocturno Antiph. *Secus decursus*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Via justorum*. *Quare fremuerunt*. Antiph. *In tabernaculis justorum*. Psalm. *Domine, quid*. ℣. *Sancti tui Domine semper benedicent*. In secundo Nocturno Antiph *Sancti tui Domine*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Inmania (a)*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Dabo Sanctis meis*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Lætamini in Domino*. In tertio Nocturno Antiph. *Sancti, qui in terra*. Psalm. *Conserva*. Antiph. *Hæc est generatio*. Psalm. *Domini est terra*. Antiph. *Lætamini in Domino*. Psalm. *Beati, quorum*. ℣. *Exultent justi*. Sex Lectiones de Sermonibus, & tres de Homeliis, quæ habentur de Evangeliis ipsorum. Omnia Responsoria de Historia *Asterget (b) Deus*. Nonum ℟. *Hæc est vera Fraternitas*, vel *Tanquam aurum*, vel *Laverunt stolas suas*. Postea *Te Deum Laudamus*. In Laudibus ℣. *Justi autem in perpetuum*, & Antiph. *Omnes Sancti*, & cæteræ. Capitulum *Sancti per fidem*. Hymnus *Rex gloriose*. ℣. *Justorum animæ*. Ad Benedictus Antiph. *Gaudent in Cælis*. Oratio *Deus, qui nos annua*. Ad Missam Officium *Sapientiam Sanctorum*. Epistola *Sancti per fidem*. Graduale *Exultabunt*, & Alleluja *Sancti tui Domine*. Evangelium *Cum audieritis prælia*, vel *Cum persequentur vos in Civitate ista*, usque *Nihil opertum*, vel ibi *Ponite in cordibus*, vel *Audituri estis prælia*, vel *Videte, ne quis vos seducat*, vel *Loquente Jesu ad turbas*, vel *Attendite a fermento Pharisæorum*, vel *elevatis oculis Jesus in Discipulos*, vel *Qui vos audit*. Offertorium *Lætamini in Domino*. Postcommunio *Justorum animæ*. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus. Ad Tertiam ℟. *Sancti tui Domine*. ℣. *Lætamini in Domino*. Ad Sextam ℟ *Lætamini in Domino*. ℣. *Exultent justi*. Ad Nonam ℟. *Exultent justi*. ℣. *Justorum animæ*. Ad Vesperum Antiphona super Psalmos *Virgam virtutis tuæ*. Psalm. *Dixit*

(a) Idest *immania*. (b) *Absterget*.

Dixit Dominus. Antiph. *In consilio justorum*. Psalm. *Confitebor*. Antiph. *Potens in terra*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Pretiosa*. Psalm. *Credidi*. Antiph. *Justi confitebuntur*. Psalm. *Eripe me Domine*. Capitulum *Sancti per fidem vicerunt*. Hymnus *Rex gloriose Martyrum*. ℣. *Sancti tui Domine*. Ad Magnificat Antiph. *Justorum est enim Regnum Cælorum*.

De Festo plurimorum Martyrum in tribus Lectionibus. CCCCXLIV.

SI autem festum plurimorum Martyrum fuerit trium Lectionum; ad Vesperum Capitulum *Reddet Deus*. Hymnus *Rex gloriose*. Ad Magnificat Antiphona *Isti sunt Sancti*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Martyrum* in tono feriali. Hymnus *Sanctorum meritis*: postea Antiphona de Nocturno feriali, & totum Matutinum feriale. Tres Lectiones de Sermonibus, vel Homeliis plurimorum Martyrum legentur, Versiculi, & Responsoria de Historia plurimorum Martyrum. In Laudibus habentur aliæ Antiphonæ, scilicet: *Justorum autem animæ*. *Tanquam aurum*. *Si coram*. *Spiritus*, & *animæ justorum*. *Laverunt stolas*, & sub prima Antiphona dicuntur quinque Psalmi de Laudibus. Capitulum *Justorum animæ*. Hymnus *Rex gloriose Martyrum*. Ad Benedictus Antiph. *Vestri Capilli Capitis*. In Missæ Officio non mutantur suprascripta de pluribus Martyribus; si tamen festum trium Lectionum in feria secunda, & sexta, & Sabbato venerit, potius Missas votivas dicere consuevimus ab Octava Pentecostes usque ad Nativitatem Domini, interposita commemoratione de festo. Per omnes horas diei dicuntur Antiphonæ de Laudibus, & Responsoria, & Versiculi de pluribus Martyribus; sed ultra horam Nonam nihil facimus de festo trium Lectionum. De quocumque autem festo facimus tres Lectiones in medio, vel tantum Collectam, non fit de illo commemoratio per horas diei, sed tantum Collectam in Vespero, & Matutino, & Missa de illo facimus.

Quod Passiones Romanorum Pontificum legendæ sunt, si veraces habentur. CCCCXLV.

ILli Sancti specialiter venerandi sunt in Officiis, & Missarum solemniis, qui cum Sanctis Apostolis in Mensa Domini speciales convivæ nominati in Canone positi sunt, ut quorum meritis, & precibus Divinæ protectionis nos muniri auxilio deprecamur cotidie, ipsorum anniversarias solemnitates studiosius celebrare curemus. In Natali autem Sanctorum Romanorum Pontificum leguntur Passiones, vel vitæ eorum, si veraces habentur; sin autem, leguntur Decreta ipsorum, præmissis Epitaphiis eorum,

rum, quæ collecta sunt ex Libro Pontificali. Unde Gelasius Papa (a) *Patrum constitutiones, quæ in nullo a Sancto Romanæ Ecclesiæ consortio deviarunt, decernimus legendas.* (b) *Gesta Sanctorum ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui scripserunt nomina penitus ignorantur, & ab Infidelibus, vel ab Hæreticis superflua, vel minus apta inserendo vitiata esse putantur.*

De Festo unius Martyris in novem Lectionibus. CCCCXLVI.

IN festo unius Martyris, unde novem Lectiones facimus, ad Vesperum Capitulum *Beatus vir*. ℟. *Domine prævenisti*. Hymnus *Deus tuorum*. ℣. *Gloria, & Honore*. Ad Magnificat Antiph. *Hic vir*, vel *Iste est*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Martyrum*, vel *Æterni Patris*. Si autem fuerit Pontifex Martyr, consuevit dici Invitatorium *Justus florebit*. Hymnus *Deus tuorum*: In primo Nocturno Antiph. *In lege Domini*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Prædicans*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Voce mea*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Gloria, & honore*. In secundo Nocturno Antiph. *Filii hominum*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Scuto*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *In universa terra*. Psalm. *Domine, Dominus*. ℣. *Posuisti Domine*. In tertio Nocturno Antiph. *Justus Dominus*. Psalm. *In Domino confido*. Antiph. *Habitabit in tabernaculo*. Psalm. *Domine, quis*. Antiph. *Posuisti Domine*. Psalm. *Domine in virtute*. ℣. *Magna est gloria*. Sex Lectiones de Sermonibus; & tres de Homeliis Evangeliorum ipsorum. Responsoria de Historia *Iste Sanctus*, & cætera, ut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Iste est, qui ante Deum, & Te Deum Laudamus*. In Laudibus ℣. *Justus ut palma*. Antiphona *Qui me confessus*, & cæteræ. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Martyr Dei*, & canitur in tono solemni. ℣. *Magna est gloria ejus*. Ad Benedictus Antiph. *Hic est vere Martyr*.

Ad Missam Officium *Lætabitur justus*. Epistola *Beatus vir*, vel *Justum deduxit*. Graduale *Justus, ut palma*, & Alleluja *Posuisti*. Evangelium *Si quis vult post me*, vel *Nisi granum*, vel *Nolite arbitrari quia volo*,

---

[a] En verba ipsa celeberrimi Decreti Gelasii: *Item opuscula, atque tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo a Sancta Romana Ecclesia Consortio deviarunt, nec ab ejus fide, vel prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communicationi per gratiam Dei, usque in ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus.*

[b] En rursus verba ipsa allegati Decreti: *Gesta Sanctorum Martyrum . . . ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia, & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab Infidelibus, & idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur.*

volo, vel *Si quis venit ad me*, vel *Nihil opertum*: & si est Pontifex Martyr, Evangelium *Homo quidam nobilis*: & Officium *Statuit*. Graduale *Ecce Sacerdos*. Alleluja *Inveni*. Offertorium *Veritas mea*. Communio *Beatus servus*. Per omnes horas Antiphonæ de Laudibus. Ad Tertiam ℟. *Gloria, & honore*. ℣. *Posuisti*. Ad Sextam ℟. *Posuisti Domine*. ℣. *Magna est*. Ad Nonam ℟. *Magna est*. ℣. *Justus ut palma*. Ad Vesperum Antiphona super Psalmos *Virgam virtutis*, & cæteræ cum Psalmis, ut supra de pluribus Martyribus. Capitulum *Beatus vir*. Hymnus *Deus tuorum militum*. Ad Magnificat Antiph. *Iste Sanctus pro lege*. Quando autem de uno Martyre facimus tres Lectiones, Capitulum, Versiculi, & Antiphonę non mutantur, sed iste Hymnus *Deus tuorum* canitur alio tono, & ad Matutinum Invitatorium *Regem Martyrum* in tono feriali, & totum Matutinum feriale, ut supra de pluribus dictum est: & sub prima Antiphona de Laudibus dicuntur Psalmi; alia non mutantur.

De Officio, & Missa in festo Confessorum, qui sunt Pontifices. CCCCXLVII.

IN festo Sanctorum Confessorum, & Episcoporum ad Vesperum Capitulum *Ecce Sacerdos*. ℟. *Juravit Dominus*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Amavit eum*. Ad Magnificat Antiph. *Sacerdos, & Pontifex*, vel Antiph. *Clementissime*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Confessorum*, vel *Adoremus Christum Regem*. Hymnus *Summe Confessor*. In primo Nocturno Antiph. *Beatus vir*. Psalm. *Beatus vir*. Antiph. *Beatus iste*. Psalm. *Quare fremuerunt*. Antiph. *Tu es gloria*. Psalm. *Domine quid*. ℣. *Amavit eum*. In secundo Nocturno Antiph. *Invocantem*. Psalm. *Cum invocarem*. Antiph. *Lætentur omnes*. Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Domine, Dominus*. Psalm. ipse. ℣. *Justum deduxit*. In tertio Nocturno Antiph. *Domine iste*. Psalm. *Domine quis habitabit*. Antiph. *Vitam petiit*. Psalm. *Domine in virtute*. Antiph. *Hic accipiet*. Psalm. *Domini est terra*. ℣. *Magnificavit eum Dominus*. Sex Lectiones de Sermonibus Confessoris, & tres in Homelia de Evangelio ipsorum. Responsoria de Historia propria; scilicet *Euge serve bone*, & alia, ut sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *Sint lumbi vestri*, vel ℟. *Ecce vere Israelita*. *Te Deum laudamus*. In Laudibus ℣. *Justus, ut palma*, & Antiph. *Ecce Sacerdos*, & cæteræ. Capitulum *Ecce Sacerdos*. Hymnus *Tu procul casus*. ℣. *Ora pro nobis*. Ad Benedictus Antiph. *Euge serve bone*.

Ad Missam Officium *Statuit ei Dominus*, vel *Sacerdotes*. Epistola *Ecce Sacerdos*, vel *Omnis Pontifex*, vel *Plures facti sunt Sacerdotes*. Graduale *Ecce Sacerdos*, & Alleluja *Inveni*. Evangelium *Homo quidam peregre proficiscens*, vel *Videte, vigilate, & orate*, vel *Vigilate, quia nescitis*. Et si est Pontifex Martyr *Homo quidam nobilis*, vel *Nemo accendit lucernam*, vel *Sint lumbi vestri præcincti*. Offertorium *Veritas mea*. Postcommunio *Beatus servus*. Per omnes horas diei Antiphonæ de Laudibus. Ad

Tertiam ℟. *Amavit eum*. ℣. *Justum deduxit*. Ad Sextam ℟. *Justum deduxit*. ℣. *Magnificavit eum*. Ad Nonam ℟. *Magnificavit eum*. ℣. *Justus, ut palma*. Ad Vesperum super Psalmos Antiphonæ *Virgam virtutis*, & cæteræ cum Psalmis, ut supra de pluribus Martyribus. Capitulum *Ecce Sacerdos*. Hymnus *Iste Confessor*. ℣. *Amavit eum*. Ad Magnificat Antiph. *Clementissime*, vel *Sacerdos & Pontifex*. Si autem Confessor non fuerit Sacerdos Episcopus, totum Officium fiet, ut supra posuimus in festo Sancti Leonardi, vel Sancti Benedicti Abbatis.

De Officio, & Missa in festo unius Virginis. CCCCXLVIII.

IN festo unius Virginis, de qua facimus novem Lectiones ad Vesperum Capitulum *Qui gloriatur*. ℟. *Simile est Regnum*, vel *O quam pulchra*. Hymnus *Jesu Corona*. ℣. *Specie tua*. Ad Magnificat Antiph. *Veni Sponsa Christi*. Ad Matutinum Invitatorium *Regem Virginum*, vel *Virginum Castitatis*. Hymnus *Jesu Corona*. In primo Nocturno Antiph. *Beata Virginum palma*, & cæteræ cum Psalmis, & Versiculis, quos supra posuimus in festo Sanctæ Luciæ. Sex Lectiones de Sermonibus Virginum, & tres in Homeliis, quæ habentur in Evangeliis (a) *Simile est Regnum Cælorum thesauro*. Responsoria de Historia *Veni Sponsa Christi*, & alia sicut per ordinem sunt in Antiphonario. Nonum ℟. *O quam pulchra*. In Laudibus Antiphona *Hæc est Virgo sapiens*, & cæteræ. Capitulum *Qui gloriatur*. Hymnus *Virginis proles*. ℣. *Adjuvabit eam*. Ad Benedictus Antiph *Cum autem irent emere*. Ad Missam Officium *Loquebar de testimoniis*. Epistola *Qui gloriatur*. Graduale *Propter veritatem*, & Alleluja *O quam pulchra*. Offertorium *Offerentur*. Postcommunio *Diffusa est*, vel *Simile est Regnum*. Per horas diei Antiphonæ de Laudibus. Ad Tertiam ℟. *Specie tua*. ℣. *Adjuvabit eam*. Ad Sextam ℟. *Adjuvabit eam*. ℣. *Diffusa est*. Ad Nonam ℟. *Diffusa est gratia*. ℣. *Elegit eam Deus*. Ad Vesperum super Psalmos Antiphonæ de Laudibus: cum istis Psalmis *Dixit Dominus*. *Laudate pueri*. *Lætatus sum*. *Nisi Dominus*. *Lauda Jerusalem*. Ad Magnificat Antiph. *O quam pulchra*. Quando autem est festum plurimarum Virginum, ad Vesperum, & in toto Officio fiat sicut supra scripsimus in festo undecim millia Virginum.

In-

(a) Desunt nonnulla veluti: *Simile erit Regnum decem Virginibus*: Vel *accesserunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum*: Vel *Simile &c.*

Incipit Ordo, & ratio summatim de toto Ecclesiastico Officio: & primo quare Nocte surgendum est.

I.

M*Edia Nocte surgebam ad confitendum tibi. (a)* Non satis est dies ad deprecandum, surgendum est nocte, & media nocte: Ipse enim Dominus pernoctavit in oratione, ut te proprio ad precandum invitaret exemplo, & utique pro peccatis tuis ille indulgentiam postulabat a Patre & operabatur propria potestate. Non dicit tibi Propheta, ut tantummodo nocte surgas, sed ut nocte surgas, & maxime nocte media: nocte enim surgendum ante præmisit dicens *(b) Memor fui in Nocte*, & cætera. Potest unusquisque memor esse, & non surgere: Potest unusquisque & surgere, & cum surrexerit, ea quæ proprium arbitrium dederit, postulare. Addidit *Media Nocte*. Non otiosum est quod adjunxit ad *Confitendum tibi*, hoc est, ut illo maxime tempore deprecari Deum, & propria debeamus deflere, nec solum pro peccatis præteritis veniam postulare, sed etiam præsentia declinare, a futuris cavere: multa enim in illo tempore tentamenta proserpunt: tunc fervet carnis illecebra, tunc tentator illudit, dum decoquitur cibus, potusque digeritur, stomachus æger, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaque aut quiescenti calor soporis augetur, aut vigilanti nondum plenior refusus est vigor, qui errorum possit cavere incursus. Dum igitur tentator assistit, tunc retia jacit, quibus turbare possit mentem improvidam, *tunc spirituales nequitiæ tenebrarum (c)* offendunt, tunc omne nefas suadere contendunt: quando nullus culpę arbiter, nullus criminis conscius, nullus potest esse testis erroris, tunc varias disputationes peccatori dormitanti infundunt. Surgendum est itaque media nocte, & orandum, diu protrahenda Psalmis tempora, donec veniat dies, *(d) & illucescat tibi Christus*: Excita mentem tuam; non dormitat, qui custodit te, si te non reperiat dormientem.

[a] Psal. CXVIII. 62. (b) Psal. CXVIII. 55.
[c] *Spiritualia nequitiæ* Ephes. VI. 12.
(d) II. Corinth. IV. 6. *Quoniam Deus . . . ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ &c.*

Quod Symbolum cotidie dum ſurgimus, dicere debeamus. III.

DE Symbolo autem, & Oratione Dominica quare cotidie dicenda ſunt, maxime quando ſurgimus, vel poſt finem diei ad ſomnum noſtra Corpora collocamus, dicit Auguſtinus in quinquaginta Homeliis. (a) *Symbolum cotidie dicite, quando ſurgitis, & quando vos ad ſomnum collocatis. Reddite Symbolum veſtrum: Reddite Domino, commemorate vos ipſos, non pigeat repetere. Bona eſt repetitio, ne ſubrepat oblivio. Ne dicatis, dixi heri: dixi hodie, cotidie dico, teneo illud bene. Commemora fidem tuam, inſpice te: ſit tanquam ſpeculum tibi Symbolum tuum. Ibi te vide, ſi credis omnia quæ confiteris credere, & gaude cotidie de fide tua. Sint divitiæ tuæ, ſint cotidiana iſta quodammodo indumenta mentis tuæ. Numquid non, quando ſurgis, te veſtis? ſic & commemorando Symbolum tuum, veſti animam tuam, ne forte eam nudet oblivio, & remaneas nudus, & fiat quod ait Apoſtolus quod abſit a te.* (b) Si tamen expoliati, non nudi inde videamur: (c) *veſtiti enim erimus fide noſtra, & ipſa fides, & tunica eſt, & lorica. Tunica contra confuſionem, Lorica contra adverſitatem. Cum autem venerimus ad locum, ubi regnabimus, non eſt opus, ut dicamus Symbolum. Deum videbimus, ipſe Deus nobis viſio erit, fidei hujus merces erit* (d).

De Oratione Dominica cotidie dicenda. IV.

ORationem Dominicam ideo dicimus cotidie, quia panem Verbi Dei eſurimus. Tres ergo petitiones, ideſt *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat Regnum tuum, Fiat voluntas tua*, ad æternam vitam pertinent: Quatuor ſequentes ad iſtam Vitam, ideſt *Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie*. Numquid petituri ſumus Panem cotidianum quando ad illam ſatietatem venerimus? *Dimitte nobis debita noſtra*, numquid dicemus in illo Regno, quando debita non habebimus? *Ne nos inferas in tentationem*, numquid tunc dicere poterimus, quando nulla erit tentatio? *Libera nos a malo*, numquid dicemus, quando nullum erit malum, unde liberemur? Quatuor

---

(a) Inter quinquaginta notiſſimas Auguſtini Homilias 42. eſt: in ſerie porro Sermonum LVIII. ſermo eſt. Capite porro XI. aliàs n. 13. Sermonis hujus, hæc quæ allegantur, invenies.

[b] II. Corinth. V. 3.

(c) Vulgata, & editio Monachorum Benedictin. *inveniamur*.

(d) In Edit. Monach. repetitur *Viſio hujus fidei, hujus merces erit*.

tuor ergo ista propter vitam nostram cotidianam nobis necessaria sunt, illæ vero tres propter æternam.

De varietate pulsationum in Dominica, & ferialibus diebus in Ecclesia nostra. V.

IN Ecclesia vero nostra talis varietas adtenditur in pulsationibus Campanarum. Omnibus Dominicis diebus, & illis festivitatibus, in quarum Vigiliis R. ad Vesperum cantamus, si non sint speciales nostræ Ecclesiæ, in quibus consuevimus Antiphonas duplicare, ad Vesperum, Matutinum, & Missam Majorem, quæ die Dominico canitur, prima vice pulsatur squilla, & post modicam horam, alia squilla adduplatur cum ea, & ille solæ pulsantur per magnum spatium. Secunda vice adduplantur eodem modo aliæ duæ Campanæ medianæ per competens intervallum, in tertia vice primo adduplantur squillæ, & aliæ dnæ Medianæ consequenter aduplantur cum illis, & in qualibet pulsatione, & utroque intervallo modus congruus adtendatur. Item ad Primam, quasi in initio diei pulsatur sola squilla. Deinde ad Missam popularem semel tantum, & non per longam moram cotidie, nisi in præcipuis festis Campana, quæ pulsatur ad Nonam. In ferialibus autem diebus ad Vesperum, & Matutinum prima vice pulsatur sola squilla. Secunda vice pulsatur sola Campana, quæ pulsatur ad Nonam. Tertia vice similiter sola squilla pulsatur, & nota quod per totum annum in Ecclesia nostra semper cotidie tribus vicibus ad Matutinum pulsatur, & Vesperum. Semper autem prima pulsatio ad Matutinum in tantum debet protendi, quod Canonici spatiose possint surgere, & venire in Ecclesiam: Sacrista vero inter primam, & secundam pulsationem tantum debet facere intervallum, donec ad minus quatuor Canonici sint in Choro, & unusquisque possit apud se aliquantulum perorare. Nam quandocumque dicuntur Psalmi Graduales, vel Matutinum Sanctæ Mariæ, semper post secundam pulsationem incipiunt. Quando nec Psalmi Graduales, nec Matutinum Sanctæ Mariæ dicuntur, post Tertiam pulsationem aliud Officium inchoatur. Cum autem Psalmi Graduales dicuntur, ad *De profundis* fit tertia pulsatio, sed quando solum Matutinum Sanctæ Mariæ submissa voce dicitur, fit Tertia pulsatio ad *Te Deum laudamus* ipsius. Item ad horam Tertiam, & Nonam diutius pulsari consuevit: ut ubicumque sint Canonici, habeant spatium ad Ecclesiam veniendi. Item per totum annum extra majorem Quadragesimam sero in crepusculo sonatur Campana, quæ consuevit ad Nonam pulsari, & per magnam moram; deinde pulsatur squilla in Capitulo, ad quam pulsationem Fratres conveniunt; & ibi dicto *Jube Domne*, & lecta Lectione vadunt in Ecclesiam ad Completorium dicendum, & dicunt prius Completorium Sanctæ Mariæ, & postea feriale.

De

De Psalmis Gradualibus, sicut per totum annum dicuntur. VI.

TAcita Oratione completa a singulis Fratribus, qui fuerint in Choro, Fratres eunt ad sedendum, & ipsis sedentibus, post secundam pulsationem ad Matutinum, Sacerdos Hebdomadarius sedens incipit Psalmos Graduales hoc modo. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & ℟. *Qui fecit Cœlum*; & statim Fratres cum eo prosecuntur Psalm. *Ad Dominum cum tribularer*. Psalm. *Levavi oculos*. Psalm. *Lætatus sum*. Psalm. *Ad te levavi*. Psalm. *Nisi quia*. *Kyrie eleison*. *Christe eleison*. *Kyrie eleison*. *Pater Noster*. *Et ne nos*. *Sed libera nos a malo*. ℣. *Oremus pro fidelibus*. ℣. *A porta Inferi*. ℣. *Requiescant in pace*. ℣. *Domine Exaudi*. *Dominus vobiscum*. Oratio *Absolve Domine Animas omnium Fidelium Defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in Resurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos, eos resuscitari præcipias*. *Per Christum Dominum nostrum*. *Amen*. Item Psalm. *Qui confidunt*. Psalm. *In convertendo*. Psalm. *Nisi Dominus*. Psalm. *Beati omnes*. Psalm. *Sæpe expugnaverunt*. *Kyrie eleison*. *Christe eleison*. *Pater Noster*. *Et ne nos*. ℟. *Sed libera*. ℣. *Ostende nobis Domine*. ℣. *Memento nostri Domine*. ℣. *Memento Congregationis*. ℣. *Domine exaudi*. *Dominus vobiscum*. Oratio *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat: Per Christum Dominum nostrum*. Psalm. *De profundis*. Psalm. *Domine non est exaltatum*. Psalm. *Memento Domine*. Psalm. *Ecce quam bonum*. Psalm. *Ecce nunc benedicite*. *Kyrie eleison*. *Christe eleison*. *Kyrie eleison*. *Pater noster*. *Et ne nos inducas*. ℟. *Sed libera*. ℣. *Domine salvum fac regem*. ℣. *Salvos fac servos*. ℣. *Mitte eis Domine*. ℣. *Esto nobis Domine*. ℣. *Domine exaudi Orationem*. *Dominus vobiscum*. Oratio *Prætende Domine misericordiam tuam famulis, & famulabus tuis dexteram Cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne postulant, assequantur, & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctas repelle nequitias, & iter, & actus nostros in salutis tuæ prosperitate dispone, per Christum Dominum nostrum*.

Quando Psalmi Graduales dimittantur in Ecclesia nostra. Et quare XV Psalmi Graduales dicantur. VII.

HOc Canticum graduum in Ecclesia nostra dimittitur omnibus diebus Dominicis, & in omnibus solemnitatibus nostræ Ecclesiæ, in quibus Antiphonas duplicamus, & in festis omnium Apostolorum, & San-

Sanctæ Agnetis, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Laurentii, & aliis Festis, de quibus cantamus proprias Historias, & a Vigilia Nativitatis Domini usque in Octavam Sancti Stephani Protomartyris, & a die Epiphaniæ usque Octavam ipsius, & a die Assumptionis Beatæ Mariæ usque Octavam ipsius, & a sexta feria Majoris Hebdomadæ usque feriam secundam post Octavam Paschæ, & in octo diebus Pentecostes, & a festo Dedicationis Ecclesiæ usque Octavam ipsius.

Et est notandum quod Quindecim sunt Psalmi Graduales significati per XV. gradus Salomonis, quibus ascendebatur ad Templum Domini, & per XV. alios Ezechielis (a), quibus visum est ei ascendi in Civitatem Dei. Quindenarius numerus constat ex septem, & octo. Quindecies ergo psallimus, ostendentes quod utriusque Testamenti mandata observare debemus. In primis quinque Psalmis *Gloria Patri* non dicimus pro Defunctis orantes, sed Psalmos continue dicentes, ipsos sine *Kyrie eleison*, & cum Oratione Dominica, & Oratione, & Versiculo terminamus, quia per V. sensus Corporis peccata commisimus, quæ non Deo, sed nobis imputare debemus, orantes ne propterea nobis vita denegetur, sed per Dei misericordiam requies concedatur æterna. Sequentes V. Psalmos pro Congregatione cum *Gloria Patri* dicimus, & eos cum *Kyrie eleison ter*, & Oratione Dominica, & Capitulis, & Oratione terminamus, & sic in decem Psalmis, Dei misericordiam nobis, & nostris proximis imploramus, quia quod a catena peccatorum absolvimur, quod te Deum toto corde perquirimus, quod tuum Decalogum observamus, non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo gloriam exhibemus.

De Officio Archipresbyteri, vel Sacerdotis Hebdomadarii in Ecclesia nostra. VIII.

Consuetudo talis est in nostra Ecclesia de Officiis celebrandis]: Sacerdos Canonicus, qui per Hebdomadam præcedentem Missas celebravit, in mane Sabbato incipit Vesperum, & primo de Sancta Maria, si dici debet, & postea de feria, vel de festo, si est, dicens: *Deus in adjutorium*, & cætera, & dictis Psalmis Vespertinis, ipse Sacerdos dicit Capitulum, & assumpto Pluviali facit incensum, & in fine dicit Orationem. Item ad Matutinum dictus Sacerdos incipit Officium, & ad Psalmos Graduales ipse dicit Versiculum, & Orationem, & die Dominico benedicit aquam, vel facit eam benedici a Sacerdote Custode, & ipse dat Benedictio-

[a] Ezechielis XL. 22. & sequent. describuntur hi gradus, sed quindecim sane non sunt. De *Psalmis Gradualibus* vide quæ tradit Calmet dissertatione præposita Psalmis Gradualibus.

ctiones his, qui Lectiones legunt, & eis, quando vult, finem imponit, & ipse legit ultimam Lectionem, si eam non legerit Archipresbyter, vel Præpositus. Sed si aliquis ipsorum legerit, ipse Sacerdos erit penultimus. Item in Laudibus primo Sacerdos dicit Versiculum, & incipit *Deus in adjutorium*. Deinde dicit Capitulum, & Orationem suo loco. Item ipse incipit Primam, & dicit Capitulum, & Orationem, & sic in singulis horis diei facit, & post Matutinum, si Præpositus vel Archipresbyter est præsens in Capitulo, ab eorum altero pulsato tintinnabulo, vel si neuter eorum adest, ab aliquo Sacerdote, dicit *Pretiosa*, & primo facit Confessionem, & in fine solvit Capitulum dicendo *Benedicite*. Item omni die Dominico in Missa populari, annuntiat festivitates Populo, & orat pro pace, & preces alias facit more consueto, & proponit quæcunque sunt proponenda, & facit Confessionem Populo, & in festivitatibus Sanctorum, si aliquis Prælatorum Verbum prædicationis non proposuerit, dictus Sacerdos supplebit, vel injunget alicui de Diaconibus, ut proponat: item ad Processionem spargit aquam benedictam, vel injungit Custodi Sacerdoti, vel alicui de Clericis, ut eam spargat, & facta Processione, ante januas Ecclesiæ dicit Versiculum, & Orationem idem Sacerdos qui sparsit aquam. Postea dictus Hebdomadarius Canonicus cum Diacono, & Subdiacono semper cantabit Missam majorem ad Altare Beatæ Mariæ Virginis, nisi speciale festum in aliis Altaribus esset: & nota quod in Altari Beatæ Mariæ Canonicus Missam cantare consuevit. Item ad dictum Canonicum Sacerdotem, qui est Hebdomadarius, pertinet, Mulieres insanctare in Ecclesia, (a) Missas cantare votivas, & dare Pœnitentias Infirmis, ad quos vocantur Canonici. Item absente Archipresbytero, ipse Hebdomadarius benedicet Mensam in principio, & fine comestionis. In fine tamen comestionis post exitum Ecclesiæ, si præsens fuerit Præpositus, vel Archipresbyter, solvet Capitulum, sed si neuter illorum fuerit præsens, dictus Sacerdos solvet dicendo *Benedicite*. In exsequiis etiam mortuorum ipse Sacerdos semper cum Pluviali ad quemlibet Defunctum, absente Archipresbytero, incipiat exsequias, & dicet omnes Orationes tunc dicendas, & antequam Corpus elevetur in Ecclesia, super feretrum sparget aquam, Sacerdote, de cujus Parochia corpus fuerit, sibi spargulum porrigente, & secum eunte, & Sacerdos Parochialis ad tumulum vadit cum thure, & aqua benedicta: & hoc idem facit Parochialis Presbyter Episcopo, si Episcopus officiaverit: tunc, & semper Archipresbyter cum Pluviali assistet Episcopo, & dicet *Kyrie eleison*, & preces idem Archipresbyter.

(a) Idest *introducere puerperas in Ecclesiam*. Vide Lexicum Linguæ Italicæ, quod *Vocabulario della Crusca* appellant, ad vocem *Santo*. §. 1. *Entrare in Santo, o andare in Santo, o menare in Santo*.

De reverentia Episcopali, cum Episcopus incipit Officia in festis diebus.

IX.

QUando vero Dominus Episcopus incipit Officia, Archipresbyter, vel Sacerdos Hebdomadarius cum Pluviali stat, & vadit juxta eum, & ubique obsequitur ei, & idem Episcopus incipit Vesperas dicens: *Deus in adjutorium meum*; sed postea Archipresbyter, vel Sacerdos dicit Capitulum, & Episcopus incensat Altaria superiora, & Sacerdos alia inferiora, & Clerum in Choro, semper Custodibus cum Cereis accensis praecedentibus: Episcopus vero postea dicit Orationem; & tunc Sacerdos cidarim de Capite Praesulis cum reverentia sumit, & tenet in manibus usque ad finem Orationis, deinde sibi remittit, & dicto *Benedicamus*, Episcopus solvit Capitulum solemni Benedictione. Item ad Matutinum Dominus Episcopus primo dicit *Domine labia mea*, Archipresbytero semper secum cum Pluviali adstante. Et Episcopus dat Benedictiones Lectoribus, & ad Episcopi nutum finem Lector imponit: & dum legitur quarta lectio idem Episcopus Altaria superiora thurificat, & Archipresbyter inferiora, & Clerum in Choro; penultimam vero Lectionem tunc legit Archipresbyter, & ultimam Episcopus; ad quam Archipresbyter ascendit cum eo Pulpitum, & Custodes cum accensis Cereis praecedunt, et cum Episcopus dixerit *Jube Domne benedicere*, Sacerdos respondet *Et nos a te, venerande Pater*, & Episcopus dat benedictionem, & legit. Item in Laudibus Archipresbyter dicit Versiculum, & Episcopus *Deus in adjutorium*: Deinde Sacerdos Capitulum, & Episcopus Orationem dicit, & nihil amplius tunc. Cum autem Episcopus Missam cantaverit, Archipresbyter, vel Hebdomadarius cum Pluviali assistit ei cum Diacono, & Subdiacono, & ante Altare facta Confessione, Episcopus ascendens ad Altare, apertum Librum Evengeliorum deosculatur, & tunc Archipresbyter primo dat pacem Episcopo, Diaconus, & Subdiaconus similiter, & singuli post acceptam pacem osculantur pectus Episcopi, & ad invicem sibi pacem conferunt Sacerdos, & Ministri. Similiter post *Agnus Dei* singuli dant pacem Episcopo, & inter se, & sic in qualibet alia Missa Majori Diaconus prius accipit pacem a Sacerdote, & dat Subdiacono, & Subdiaconus similiter dat Diacono, & postea Subdiaconus vadit in Chorum, & dat pacem Majori ex una parte, scilicet Praeposito, ex altera parte similiter alteri, scilicet Archidiacono, vel uni ex Senioribus: & est notandum quod omnibus diebus Dominicis, & Paschalibus, & solemnitatibus nostrae Ecclesiae, & festis Apostolorum, & Evangelistarum ad Missam popularem Custos, qui cantavit Epistolam, post *Agnus Dei* accipiens pacem a Sacerdote, qui canit Missam, portat eam in Chorum dans primò Praeposito, vel Archipresbytero, ex altera parte Archidiacono, & postea portat extra Populo, dans pri-

primò ex una parte Consuli, vel uni ex majoribus, & post ex altera parte similiter, aliis autem diebus cotidie dat pacem tantum in Choro Clericis, ut dictum est.

De Officio Matutinali Sanctæ Mariæ, quod per totum annum dici consuevit in Ecclesia nostra. X.

EXpletis Psalmis Gradualibus ad Matutinum, statim Archipresbyter, vel Presbyter Hebdomadarius Canonicus, aliis etiam Fratribus erectis vadit in medium Chori, & cum reverentia incipit Matutinum Sanctę Marię hoc modo: *Domine labia mea aperies. Deus in adjutorium meum.* Invitatorium *Ave Maria.* Psalm. *Venite exultemus.* Hymnus *Quem terra, pontus.* Antiph. *Benedicta tu.* Psalm. *Domine Dominus noster.* Antiph. *Sicut myrrha.* Psalm. *Cæli enarrant.* Antiph. *Ante thorum.* Psalm. *Domini est terra.* ℣. *Specie tua. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Jube Domne. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen. Sancta Maria Virgo Virginum Mater, & Filia Regis Regum omnium, tuum nobis impende solatium, ut Cœlestis Regni mereamur habere præmium. Tu autem Domine miserere.* Respondet. *Deo gratias. Sancta, & Immaculata.* ℣. *Benedicta tu.* Secunda Lectio *Sancta Maria piarum piissima, intercede pro nobis Sanctarum Sanctissima, ut per te, Virgo, nostra sumat precamina, qui pro nobis natus regnat super ęthera, ut sua pietate, nostra deleantur peccamina. Tu autem Domine.* Respondetur *Beata es Maria quæ Dominum portasti.* ℣. *Ave Maria. Jube Domne. Maria Virgo Virginum oret pro nobis apud suum Filium. Amen.* Tertia Lectio *Sancta Dei Genitrix quæ digna meruisti concipere quod totus Orbis nequit comprehendere, quæsumus tuo interventu culpas nostras ablue, ut perennem sedem gloriæ per te redempti valeamus scandere, ubi manes cum eodem Filio tuo sine tempore. Tu autem Domine.* Respondetur: *Felix namque valde es Sacra Virgo.* ℣. *Sancta Maria ora pro Populo.* In secundo Nocturno, quod dicimus in tertia feria Antiph. *Specie tua.* Psalm. *Eructavit.* Antiph. *Adjuvabit eam.* Psalm. *Deus, noster refugium.* Antiph. *Sicut lætantium.* Psalm. *Fundamenta.* ℣. *Adjuvabit.* In tertio Nocturno, quod dicimus quarta feria, Antiph. *Gaude Maria Virgo.* Psalm. *Cantate.* Antiph. *Dignare me laudare.* Psalm. *Dominus regnavit, exultet terra.* Antiph. *Post Partum.* Psalm. *Cantate.* ℣. *Diffusa est gratia.* Postea dicuntur Lectiones, & Responsoria in secundo, et tertio Nocturno, ut supra. Finito tertio Responsorio dicitur *Te Deum Laudamus.*

De Laudibus Matutinalibus, & Collectis in Officio Sanctæ Mariæ. XI.

IN Laudibus ℣. *Benedicta tu*, vel *Elegit eam Deus*. *Deus in Adjutorium*. Antiph. *O ammirabile commer.* Psalm. *Dominus regnavit, decorem*, & cęteri Psalmi sub hac Antiphona. Capitulum *In omnibus requiem*. Hymnus *O gloriosa Domina*. ℣ *Speciosa facta es*. Ad Benedictus Antiph. *Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti*. Oratio *Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus noster, perpetua mentis, & Corporis sanitate gaudere, & gloriose Beatę Marię semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, & futura perfrui lętitia. Per Dominum*. Et statim fiat commemoratio pro pace per hanc Antiph. *Da pacem Domine in diebus*. ℣. *Fiat pax in virtute*. Oratio *Deus a quo Sancta desideria*. Item de Sanctis Antiph.

Sanctorum precibus cunctorum redde salutem
Corporis, atque animę Christe tuis famulis.

℣. *Lætamini in Domino*. Oratio (a) *Propitiare nobis Domine famulis, & famulabus tuis per Sanctorum tuorum illorum, qui in præsenti requiescunt Ecclesia, merita gloriosa, ut eorum, & omnium Sanctorum pia intercessione, ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum nostrum*. Hunc ordinem tenemus in Dominicis diebus, & festis novem Lectionum de collectis faciendis. Quando autem facimus tantum tres Lectiones, & in ferialibus diebus post Orationem de pace, facimus commemorationem de Cruce per hanc Antiph. *Salva nos Christe Salvator*. ℣. *omnis terra adoret:* Oratio *Populum tuum Domine quæsumus perpetua pace custodi, quem per lignum Sanctæ Crucis redimere dignatus es. Per*. Antiph. *Michael Archangele*. ℣. *In conspectu Angelorum*. Oratio *Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria*. Item de Sancto Joanne Bapt. Antiph. *Inter natos mulierum*. ℣. *Fuit homo*. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum, quam Beati Johannis Baptistę in Deserto vox clamantis edocuit. Per Dominum nostrum*. Item de Apostolis. Antiph. *Gloriosi Principes terræ, quomodo*. ℣. *Annuntiaverunt opera Dei*. Oratio *Exaudi nos Deus salutaris noster, & Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, aliorumque omnium Apostolorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per Dominum*. Postea fit Collecta de Sanctis per suprascriptam Antiph. *Sanctorum precibus*, & Oratio *Propitiare*. Has autem Collectas tali modo facimus tantum in Laudibus Matutinis, & Vesperis.

De

(a) Hanc ipsam antiquissimam precem habes pag. 527. To. II. Operum Ven. Card. Thomasii.

De Prima, & Officio ad Missam Sanctæ Mariæ. XII.

AD Primam. *Deus in adjutorium meum*. Hymnus *Memento salutis*. *Gloria tibi*. Antiph. *Quando natus es*. Psalm. *Deus in nomine tuo*. Psalm. *Benedixisti*. Psalm. *Laudate Dominum omnes Gentes*. Capitulum *In Jacob inhabita*. ℞. *Christe Fili Dei vivi*. ℣. *Qui nasci dignatus es de Maria Virgine*. *Gloria Patri*. ℣. *Dignare me, laudare*. Oratio *Famulorum tuorum quæsumus Domine delictis ignosce, ut qui tibi de actibus nostris placere non valemus, Genitricis Fili tui Domini nostri intercessione salvemur: per Dominum*. Item de Sanctis. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Letamini in Domino*. Oratio *Ut tibi Domine placere possimus, omnium Sanctorum tuorum precibus, & meritis adjuvemur*. *Per Dominum*. Ad Missam Officium *Salve Sancta parens*. Oratio *Concede nos famulos tuos*. Epistola *Ab initio, & ante sæcula*. Graduale. *Propter veritatem*. Alleluja. *Post partum Virgo*. Evangelium *Missus est Gabriel*. *Credo in unum*. Præfatio *Et te in Commemoratione Beatæ Mariæ*. Offert. *Ave Maria*. Postcommunio. *Regina Mundi*. Et est notandum quod sicut cotidie in Matutinis Beatæ Mariæ dicimus *Te Deum Laudamus*, sic in ejus Missa semper *Gloria in excelsis cantamus*. Sunt autem quædam Evangelia propria de Beata Maria, scilicet hoc: *Missus est Gabriel*, quod specialiter in Adventu dicitur, & Annunciatione, & Oratio *Deus, qui de Beatæ Mariæ*: & Evangelium *Exurgens Maria abiit in Montana*. Quod dicitur ab Adventu usque ad Quadragesimam, & Oratio *Deus qui salutis*. Item Evangelium *Stabat ante Crucem*, quod dici potest convenientius a Quadragesima usque Pentecosten. Item Evangelium *Extollens vocem*, a Pentecoste usque *ad Assumptionem*. Et Evangelium *Intravit Jesus*, ab Assumptione usque ad Adventum Domini.

De Horis diei in Officio Sanctæ Mariæ. XIII.

AD Tertiam *Deus in adiutorium*. Hymnus *Memento Salutis*. Antiph. *Rubum quem viderat*. Psalm. *Ad Dominum cum tribularer*. Psalmus *Levavi oculos*. Psalm. *Letatus sum*. Capitulum *Et sic in Sion*. ℞. *Ave Maria*. ℣. *Dominus tecum*. ℣. *Benedicta tu*. Oratio *Porrige nobis Deus dexteram tuam, & per intercessionem beatissimæ, & gloriosissimæ Dei genitricis, & Virginis Mariæ, auxilium nobis supernæ virtutis impende, per Dominum*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Letamini*. Oratio *Omnes Sancti tui Domine nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus*. *Per Dominum*. *Benedicamus Domino*. ℞. *Deo gratias*. Ad Sextam. *Deus in adjutorium*. Hymnus *Memento salutis*. Antiph. *Germinavit*

navit radix. Psalm. *Ad te levavi*. Psalm. *Nisi quia*. Psalm. *Qui confidunt*. Capitulum *Et radicavi in Populo honorificato*. ℟. *Benedicta tu in mulieribus*. ℣. *Dignare me, laudare te*. Oratio *Concede quæsumus, misericors Deus, fragilitati nostræ subsidium, ut qui Sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per Dominum*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio *Omnium Sanctorum tuorum, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Per Dominum. Benedicamus Domino*. Ad Nonam Antiph. *Ecce Maria genuit*. Psalm. *In Convertendo*. Psalm. *Nisi Dominus*. Psalm. *Beati omnes*. Capitulum *Quasi cedrus exaltata*. ℟. *Dignare me laudare*. ℣. *Post Partum virgo*. Oratio *Deus qui Verbum tuum Beatæ Mariæ Virginis alvo coadunare voluisti, fac nos ita peragere, ut tibi placere valeamus. Per Dominum*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio *Tribue, quæsumus Domine, omnes Sanctos, & electos tuos jugiter exorare pro nobis, & eos clementer exaudire digneris. Per Dominum. Benedicamus Domino*.

De Vespero, & Completorio Sanctæ Mariæ. XIV.

AD Vesperum Antiph. *Ecce tu pulchra es*. Psalm. *Laudate pueri*. Psalm. *Laudate Dominum omnes*. Psalm. *Lauda anima mea*. Psalm. *Laudate Dominum, quoniam*. Psalm. *Lauda Jerusalem*. Capitulum *In plateis, sicut Cinnamomum*. Hymnus *Ave Maris Stella*. ℣. *Speciosa facta es*. Ad Magnificat Antiph. *Maria Virgo, non est tui similis nata in Mundo* (a) Oratio *Deus qui salutis æternæ*. Postea fit commemoratio de pace per Antiph., & Orationem ut supra, & de Sanctis, per Antiph. *Sanctorum precibus*, & Oration. *Propitiare*, ut supra positum est in Laudibus. Ad Completorium Antiph. *Beata Mater, & innupta gloriosa Regina Mundi, intercede pro nobis ad Dominum nostrum Jesum Christum*. Psalm. *Sæpe expugnaverunt*. Psalmus *De profundis*. Psalm. *Domine, non est exaltatum*. Hymnus (b) *Virgo singularis, Vitam præsta puram. Sit Laus Deo*. Capitulum *Ego Mater pulchræ*. ℟. *Post partum, Virgo*. ℣. *Dignare, me laudare*. *Ad nunc dimittis*. Antiph. *Sub tuum præsidium confugimus Dei genitrix, nostram deprecationem ne despicias in necessitatibus, sed a periculis libera nos semper Virgo gloriosa*. Oratio *Protege, Domine, plebem tuam subsidiis pacis, & Beatæ Mariæ patrociniis confidentem a cunctis hostibus redde securam. Per Dominum*. Antiph. *Sancti Dei omnes*. ℣. *Lætamini in Domino*. Oratio *Majestatem tuam Domine, supplices exoramus, ut sicut nos jugiter omnium Sanctorum tuorum com-*

(a) Ex alio Senensi Codice hæc adjice quibus completur Oratio *Inter mulieres florens ut rosa, recolens ut lilium, ora pro nobis ad tuum filium*.
(b) Est notissima portio Hymni ad Vesperas *Ave Maris Stella*.

commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum. Benedicamus Domino. (a)

Quibus diebus in anno dimittimus Officia Sanctæ Mariæ. Et quod Officia Sanctæ Mariæ debeamus devote celebrare.

X V.

Notandum quod hæc Officia Sanctę Mariæ dimittimus ab Adventu Domini usque Octavam Epiphaniæ, & in Dominica de Ramis Palmarum, & a quinta feria majoris Hebdomadæ in Quadragesima usque ad octavam Pentecostes, & in Solemnitate omnium Sanctorum, & in festo Dedicationis nostræ Ecclesiæ usque octavam ipsius, & in festo Assumptio- Beatæ Mariæ usque octavam ipsius. In omnibus autem festivitatibus Beatę Marię facimus Officia, ut sunt in ordine prenotata. Et tunc ad Completorium dicimus Antiph. super Psalmos *Beata Mater*, ut supra posuimus, & dicuntur Psalmi feriales *Cum invocarem*, & ceteri. Capitulum *Ego Mater*, ut supra: cætera non mutantur.

(b) Quidam Clericus multis erat peccatis obnoxius, & præcipue carnis inlecebris fętoribus inquinatus. Qui tandem languore correptus, atque ad extre-

---

(a) Ex alio Senensi Codice adjice subsequentia.

De Officio Sanctæ Mariæ ab Adventu Domini usque ad Nativitatem. Jube Domne &c. Benedictiones Beatæ Virginis.

Ora voce pia, pro nobis Virgo Maria.
Cęli vera via, sit nobis Virgo Maria.
Virgo Maris stella, sit nobis ubique lucerna.
Virginis Mariæ Filius, sit nobis ubique propitius.
Quem peperit Virgo, benedicat nos ore benigno.
Virgo, tuum Natum faciat nobis pacificatum.
Nostris, o Virgo, precibus succurre Maria.
Sancta Dei Genitrix Virgo, defende nos ab hoste maligno.
Virgo Virginum Maria, sit nobis Paradisi via.

Ad Completorium post Psalm. *Nunc dimittis.*

Pretiosa est in conspectu Domini.

℟. *Mors Sanctorum ejus.*

Oremus.

Sancta Maria cum omnibus Sanctis intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut mereamur ab eo adjuvari & salvari, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(b) Recole quæ *De Cultu B. Mariæ Virginis*, tradidi Dissert. IX. quæst. I. quæstiun. I., & II. n. 22. 23. 24.

trema perveniens, tremefactus visceribus expavescere, & accusante conscientia, divinum capit judicium medullitus formidare: Cumque spem in se nullius boni operis inveniret, totum se protinus ad postulandum Beatæ Mariæ Virginis auxilium contulit, & sub ejus patrocinium importuna (a) *carnis anxietate confugit, hujusmodi verbis insistens. Non ignoro*, inquit, *o Beata Regina Mundi, quia te in multis offendi, & castitatis atque Virginitatis, cujus tu Mater es, ego in meo corpore signaculum violavi: innumeris etiam peccatorum sordibus involutus sum, nec dignus invenior te totius munditiæ principem pollutis labiis invocare. Veruntamen, o Janua Cœli, Fenestra Paradisi, Mater veri Dei, & hominis, tu mihi testis es, quia septies in die laudem dixi tibi, & quamvis peccator* (b) *indignus, omnibus tamen horis Canonicis tuæ Laudis obsequium non defraudavi.* (c) *Cumque hujusmodi verba Clericus protulisset, decumbenti postmodum piissima Dei assistit* (d) *genitrix, & blande consolata, peccata sibimet dimissa, ex largitate Divinæ misericordiæ nuntiavit. Ex hoc procul dubio novimus, quia quisquis cotidiana prædictis horis Officia in ejus Laudibus frequentare studuerit, adiutricem sibimet ac patrocinaturam ipsius Judicis Matrem, in die necessitatis acquiret.* Ideoque Fratres Dei Genitricis semper Mariæ Virginis Officium cotidie reverenter contrito, et humili corde persolvamus, quatenus ejus interventu indulgentiam peccatorum nostrorum apud suum Filium accipere possimus.

Qualiter post Matutinum Sanctæ Mariæ majus Officium inchoatur. XVI.

OFficiis Beatæ Mariæ Virginis cum reverentia celebratis, Archipresbyter, vel Hebdomadarius incipit majus Officium, & primo quasi a Christo Rege loquendi licentiam quærens, ut ei dignas laudes annuntiet, dicit *Domine labia mea.* Nam cum in nocte dormitum ivimus, os & pectus signo Crucis quasi Domini sigillo munivimus, & ideo ab eo, cujus est sigillum, referandi labia licentiam postulamus. Sed homo dicit: (e) *Do-*

(a) Edit. *Cordis*. (b) Edit. deest *Peccator*. (c) Edit. *Fraudavi*.
[d] Edit. *Adstitit*. Narratio hæc ex Petri Damiani Opusc. X. [Cap. X.] desumpta est: sed Petrus Damiani post verba illa *misericordia nunciavit:* hæc adiicit, quibus de ejusdem narrationis veritate illum dubitasse, compertum sit: quamvis utilissimam eam consuetudinem esse moneat: *Quod tamen nos trepidantes proferimus, quia utrum juxta relationis fidem vere contigerit*, ignoramus. *Hoc tamen procul dubio novimus, quia quisquis quotidiana prædictis horis officia in ejus laudibus frequentare studuerit, adjutricem sibimet, ac patrocinaturam ipsius Judicis Matrem in die necessitatis acquirit.* (e) Psal. L. 17.

Domine labia mea, cum Deus dicat homini. (*a*) *Aperi os tuum, & ego ipsum implebo*. Hic liberum notatur arbitrium, ibi sine gratia manifestatur infirmum. Sed quia frustra quis vigilat, *nisi Dominus custodierit Civitatem*, (*b*) idcirco Divinum imploramus auxilium: (*c*) *Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina*. Et vide, quia nocte peccati regnante, laudes Dei clausa labia tacuerunt, nunc peccator exurgit. Sed quia non est (*d*) *speciosa laus in ore peccatoris*, petit, ut Deus os ejus aperiat, & ut perfectius laudet, divinum auxilium implorat: & nota quod omnium horarum est dignitas reverenda, cum earum initium & finem ad Dominum referamus, nam in initio Deum invocamus in adjutorium, in fine Deo gratias agimus. (*e*) Impetrata loquendi licentia, & implorato Regis auxilio, ut regis captemus benevolentiam, a promissis laudibus inchoamus dicentes: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen*. Hunc versum *Hieronymus* (*f*) adinvenit, & in fine Psalmorum dicendum instituit. Post inchoatum Officium, Cantor reverenter vadens in medium Chori, incipit *Invitatorium*: nam quia pigri sunt homines ad Regis præconia, & ad Christi militiam convenire, ideo sicut præco mittitur per Civitatem milites invitare, sic cantor inchoat Invitatorium, & fideles invitans subdit *Venite*: & vide quod in Invitatoriis vocis humilis nota præmittitur, & postea exaltatur, quoniam Ecclesia prius secreto, quasi hostio clauso propter se, Deum laudat & orat, deinde manifeste per alios, ut (*g*) *accendat ardor proximos*.

Quod sit Officium Cantoris in Ecclesia nostra. XVII.

OFficium autem Cantoris in Ecclesia nostra tale est. Quod Cantor in magnis solemnitatibus Chorum regit, & tanquam bonus exhortator in castris Domini, dormientes excitat, pigros stimulat, effrænatos retinet, omnibus minus peritis modum imponit, & velut tuba Dei pro congrua opportunitate quandoque submisse, quandoque alte, temperate omnes studet insimul concordare. Beatus namque Augustinus de concordi modulatione cantantium, in libro de Civitate Dei sic dicit. (*h*) *Diversorum sonorum*

(*a*) Indicari hic puto Verba Psalmi LXXX. 11. *Dilata os tuum, & imple-bo illud*. (*b*) Psal. CXXVI. 1. (*c*) Psal. LXIX. 2.
(*d*) Eccli XV. 9. (*e*) *Benedicamus Domino &c.* Vide quæ docet Exim. Card. Bona *Divin. Psalmod.* cap. 1. & seqq.
(*f*) Consule quæ tradit Egreg. Mabillon *de Liturgia Gallicana* pag. 33. 34. 405. 407. 408. 423. (*g*) Hymno ad Tertiam.
(*h*) Lib. XVII. cap. 14.

norum rationabilis, modulatusque concentus concordi varietate compactus (a) bene ordinatæ Civitatis insinuat unitatem. Postquam igitur Sacerdos inceperit suum Officium, Cantor qui Officiare debet, semper in *Cappa* vel in Toga, vadens in medium Chori ante Altare, Sabbato ad Vesperum incipit primam Antiphonam super Psalmos, & primum Versiculum Psalmi secundum tonum Antiphonæ finit. Verum notandum est quod non solum ipse Cantor, sed quicumque aliquid cantat in Choro, aut in Ecclesia nostra legit Lectionem, vel Epistolam, debet esse Clericus, semper indutus *Cappam* vel togam, & idem Cantor in solemnitatibus præcipuis, & Paschalibus diebus, semper in Choro incipit cum Pluviali, præcipue præsente Episcopo, & tunc tenet Virgam Pastoralem. Item dicto Capitulo in Sabbato ad Vesperum, Cantor incipit ℟. Item ipse Cantor incipit Antiphonam ad Magnificat, & in solemnitatibus Ecclesiæ cum duobus Organizando canit *Benedicamus Domino*, vel injungit aliis, ut illud cantent, nam quandocumque debet in Choro ire ad cantandum aliquid, ipse pro suo arbitrio, & vocat Socios ad canendum, vel injungit aliquibus, ut canant. Item ad Matutinum ipse Cantor incipit Invitatorium, & canit *Venite*, aliquando solus, aliquando cum aliis; ubi notandum est, quod quandocumque facimus novem Lectiones, semper Cantor vadens in medium Chori, cum duobus cantat Invitatorium, & totum *Venite* cum Organo. Etiam a Resurrectione Domini, usque Octavam, & a Pentecoste usque Octavam, licet tantum tres fiant Lectiones, similiter cantatur, & tunc semper ultimum ℟. cantatur similiter cum Organo. Item dictus Cantor incipit primam Antiphonam de Nocturnis, & primum ℟. cantat vel solus, vel ad Organum cum his qui secum cantaverunt *Venite*, & quando aliqui extranei debent legere Lectiones, idem Cantor injungit quibus vult, ut legant. Si tamen Episcopus fuerit præsens in Choro cum ejus consilio, & reverentia disponit legenda, vel cantanda. Item Cantor incipit *Te Deum Laudamus*, & primam Antiphonam in Laudibus, & Antiph. *Ad Benedictus*. In magnis autem festivitatibus, si Episcopus officiaverit, vel innuit ei Cantor, ut incipiat Antiph. *ad Magnificat*, et *ad Benedictus*, & *Te Deum Laudamus*, vel flexo capite, & impetrata licentia, idem Cantor incipit illa. Item Cantor incipit Antiphonam ad Primam, & canit ℟. & ℣., vel injungit aliis, ut illa cantent, & similiter facit in quibuslibet horis diei. Item post Primam cantatam, idem Cantor in Capitulo annuntiat ætatem Lunæ, & Festa sequentis diei, & Capitulum legit, vel Regulam. Item ad Missam ipse incipit Officium in Choro, & alia canit, quæ ad Missam debent cantari, scilicet Alleluja cum Organo in Dominicis, & Festis, vocatis sociis, quos vident evocandos. Item ad Processiones faciendas, semper Cantor incipit Antiph. *Asperges me Domine*, vel alia, & Responsoria, & Versiculos, & Antiphonas in ingres-

(a) In editione Patrum S. Mauri legitur *compactam*: ideoque compago refertur ad *Civitatis unitatem*; in nostro Codice refertur ad Concentum.

ingressu Ecclesiæ, vel *Gloria*, & ad Tertiam incipit Hymnum *Nunc Sancte*, qui in Festis, & diebus Dominicis cantatur cum Organo, & Antiphonam similiter, & ℟., & ℣. cum Organo canit, vocatis quos voluerit ad cantandum, & ipse in solemnibus diebus Officiat Missas majores cantando *Kyrie eleison*, & *Sanctus*, & *Agnus Dei*, et in omnibus horis semper primo Cantor incipit Hymnum, et Antiphonam, et sic fere in omnibus Officiis semper ea quæ canenda sunt, vel legenda, Cantor disponere consuevit in Ecclesia nostra.

Quod singulis Dominicis Presbyteri debeant benedicere aquam cum sale in Ecclesia. XVIII.

CUm autem in Dominicis diebus cantatur *Venite*, Hebdomadarius, vel Custos Sacerdos vadit ad concham in Ecclesia, et ibi benedicit salem, et aquam, de qua postea Sacrista sumens, fundit per alias conchas, quæ sunt in Ecclesia, ut Populus ad eas veniens inde aspergatur. Similiter de ipsa aqua benedicta portat in Dormitorio, ut de ea Fratres in mane, et sero possint aspergi: et nota quod in Quadragesima in nostra Ecclesia benedicit aquam Sacerdos omni die Dominico, dum sonatur ad Matutinum, antequam Officium aliud inchoetur, sed extra Quadragesimam per totum annum, ut dictum est, benedicit eam, postquam majus Officium fuerit inceptum, scilicet dum cantatur *Venite*. (*a*) Nam Alexander constituit aspersionis aquam cum sale benedici. Unde habetur in Canon. Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia in vase nitido aquam cum sale benedicit excepto die Paschæ, & Pentecostes, quibus diebus habetur aqua de Fontibus Baptismalibus benedicta, ut de aqua Populus introjens Ecclesiam aspergatur, & ante Missam atrium ejusdem Ecclesiæ cum Cruce circumeundo aspergat, et qui voluerit, in Vasculis de ipsa aqua percipiat, et per Domos aspergat (*b*). Nota quod salis, et aquæ commixtio sumpsit ab Elisæo principium, qui salem aqua miscens sterilitatis vitium emundavit, quare memores etiam legalis aspersionis, quæ fiebat Sanguine Agni, aspergimur, ut per fidem veri Sanguinis liberemur, et efficiamur in bonis operibus fortiores.

De Hymnis cantandis in Ecclesiasticis Officiis. XIX.

EXpleto *Venite*, et repetito Invitatorio sequitur Hymnus, et illum communiter cantantes, omnes convenisse milites in Regis præconia de-

(*a*) Recole quæ tradidi ad cap.CCLXII. (*b*) Recole rursus quæ dixi ad cap.CCLXII.

designamus juxta illud (a) *Audivit, & lætata est Sion*. In Hymnis est Domino exultandum, (b) ut sit laus Dei cum Cantico, nam si laus est, et non Dei, non est Hymnus, et si laus est, et Dei, et non cantetur, proprie non est Hymnus, licet Hymnus dicatur; est enim Hymnus *Laus Dei cum Cantico*, quem stantes cantamus, ut in erectione corporum significemus quod mentes dirigamus ad Deum, nisi enim mens consonet linguæ, certum est voce, quantumcumque clamosa sit, Deo non placere. Ut vox concordet operi, et os gutturis vertatur ad stellas, Hymnos legimus Patres veteres cecinisse, ut David, et tres Pueros in fornace; et ipsius Domini, et Apostolorum habemus exemplum, (c) et Beatus Ambrosius, qui eos condidit, in his cognoscitur floruisse. Deinde Nocturnos incipimus, et dicuntur Nocturni propter Antiphonas, et Psalmos, Lectiones, et Responsoria Nocturna. In solemnitatibus tres Nocturnos consuevimus celebrare, et unum Nocturnum in profestis, in quibus commemoramus nostri exilii servitutem, et in solemnitatibus liberationem. Ut ergo ab hac servitute liberemur, Nocturnis horis Divinis Officiis insudamus. Quare autem in Dominicis diebus in primo Nocturno duodecim Psalmi, et in secundo, et in tertio tantum tres Psalmi dicantur, ut supra, declaratum est in Dominica post Epiphaniam. Nunc de duodecim Psalmis ferialibus, et Matutinis, Laudibus, et Prima, et cæteris horis dicatur.

Quare in Matutinis ferialibus duodecim Psalmi sub sex Antiphonis cantantur. XX.

QUia nostram servitutem per sex ætates extendi ploramus, ideo sex Noctibus Hebdomadis idem Officium regulariter celebramus: et quia duodecim sunt horæ Noctis, duodecim Psalmos cantamus cum sex Antiphonis, et tribus Lectionibus, et totidem Responsoriis, quia sex ætates Mundi concluduntur tribus temporibus, scilicet Legis Naturalis, Legis Litteræ, et Legis Gratiæ, et hoc in Nocte cantamus, ut a cęcitate mentis, et negotio perambulante in duodecim horarum tenebris, per Dei misericordiam perveniamus ad lucem ęternitatis: vel duodecim sunt Menses Anni, in quibus Diabolo, vel Mundo servimus: duodecim sunt Apostoli, quorum Doctrinam Apostolicam liberati docemur: et nota quod Psalmus olim dicebatur modulatio per cantum decem Cordarum a *Psallim* quod est tangere: nunc autem Psalmus est *Laus Dei*, bonam significans operationem, ideoque dum eos canimus, stare debemus, ut de-

(a) Psalm. XCVI. 8. (b) Vide quæ tradit Mabillon *Litur. Gallic.* pag. 83. 389. (c) Matth. XXVI. 30. (d) Cap. LXXX.

ut demonstremus esse nos paratos ad boni operis exercitium in causa nostra, et fratrum. Psalmos combinamus, ostendentes, nec Laudes nostras, nec Opera nostra sine charitate valere, quæ consistit in dilectione Dei, et Proximi, et eos cum *Gloria Patri* terminamus, (a) quia laudes nostræ tunc acceptantur in Gloria Trinitatis, si consistunt in vinculo charitatis. Chorus Psalmos concinit alternatim, quos Flavianus, & Theodorus alternatim psallere instituerunt, cum prius non alternatim, sed simul dicerentur. (b) Unde dicitur Chorus a Corea, vel a Corona, vel a Concordia, nam olim circa aras in modum Coronæ circumstantes concorditer concinebant. (c) Duo ergo Chori Psallentium designant Angelos, & Spiritus justorum, quasi voluntate reciproca Deum laudantium, & se ad bonam operationem invicem exhortantium.

Quod Psalmos intente, & cum Cordis puritate in Ecclesia dicere debeamus.
XXI.

CUm autem in conspectu summi Regis, & Angelorum Sanctorum profunda, & pene ineffabilia Psalmorum Mysteria decantamus, ammonitionem Apostolorum Principis ad mentem reducamus, qui dicit (d) *Charissimi, vigilate in Oratione*: quomodo enim Deus te exaudit, cum tu te ipsum non audis? Sunt enim aliqui, qui Corpore in Ecclesia sunt, sed mente animo foris sunt, prosternuntur quasi ad Orationem Corpore, sed superbi, & lubrici in Plateis, vel Theatris vagantur cogitatione, orant Deum lingua, sed jocantur in conscientia. Tales igitur ne confidant, quia sæpe sunt in magnis Psalmorum decantationibus, si cor non purgant a tot monstrorum tumultibus; non enim requirit Deus verborum multitudinem, sed puri cordis devotionem. Unde Beatus Augustinus dicit: *Melior est septem Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, quam totius Psalterii cum anxietate, & tristitia.* Sit ergo quisquis Custos sui, repugnet quantum potest qui impugnatur, libenter sit in Conventu plurimorum, ut a pluribus adjuvetur. Si enim Frater Fratrem adjuvat, ambo salvabuntur.

Qua-

(a) Vide quæ docet Mabillon paulo ante allegatus pag. 32. 14. 405. 407. 408. 423.
(b) Mabillon *de Cursu Gallicano* n. 6. & 7. Ex eo lege *Flavianus*, & *Diodorus*.
[c] Etymologia hæc paucis placebit.
(d) Epist. I. 4. 7.

Quare ſex Antiphonæ dicantur ſub duodecim Pſalmis, & quid ſignificent, & unde dicantur.
XXII.

SEx Antiphonę ſunt ſex ætates, in quibus neceſſaria ſunt bona operatio, & dilectio Dei, & Proximi, vel ſunt ſex Opera Miſericordiæ quæ ſunt: Eſurientem cibare, Sitientem potare, Nudum veſtire, Hoſpitem colligere, Infirmum viſitare, Incarceratum redimere; quas ſi obſervaverimus de tenebris hujus Noctis, vel mortis, ad veram lucem, & vitam perveniemus æternam. Per Antiphonas charitas, vel devotio mentis accenditur, unde alternantur, quia charitas ad minus inter duos habetur. (a) & Pſalmi cantantur alternatim ſub una Antiphona, quia ſub uno dilectionis vinculo onera portantur. Inde eſt etiam quod Pſalmis Antiphonæ intermiſcentur, quia fides per dilectionem operatur. (b) Ideoque Antiphona (c) dicitur vox reciproca quaſi contra ſonum, ab *Anti & phonos*, quia Pſalmus *ſuper melos* Antiphonæ intonatur, & manus operatur ſuper quod a charitatis igniculo excitatur. Antiphonas Græci compoſuerunt duobus Choris alternatim concinentibus quaſi duo Seraphim, duo quandoque Teſtamenta invicem ſibi conclamantia, apud Latinos autem primus Beatiſſimus Ambroſius inſtituit, idem Græcorum exemplum imitatus. Cœleſtinus quoque Papa conſtituit, ut Pſalmi David Antiphonatim cantarentur. Ex hinc in cunctis pene ragionibus, earum increbuit uſus. Eſt autem Antiphona *Cantilena ad recreationem animorum divinis Laudibus interſerta*, & nihil amplius charitate recreat animos ab æſtibus vitiorum, & nihil magis invitat eoſdem ad præconia ſupernorum. Hunc cantum Ignatius Antiochenus Chorum Angelorum audivit in cœleſtibus alternare, ideoque ſic ſuam Eccleſiam alternatim cantare docuit, & cum prius ubique omnes Pſalmi in una corea dicerentur, deinde tota Eccleſia, ab eo alternandi formam accepit. Antiphona ante Pſalmum incipitur ab uno, & ab omnibus terminatur, quia Deus prius dilexit nos, cujus dilectioni reſpondere debemus. Item ante Pſalmum incipitur; poſt Pſalmum tota cantatur, quia charitas hic initiatur, in futuro conſummabitur. Neuma in fine ſignificat juſtorum gaudium ineffabile, mentium devotione, Fidei amplitudine, Operum exſecutione, Spei rectitudine, & Charitatis dilatatione.

De

(a) Greg. M. Homil. XVII. in Evang. n. 1. (b) Gal. V. 6.
(c) De hoc Argumento vide quæ docet Mabillon *de Curſu Gallicano* pag. 383. 384. 389. 405. 406. *Liturg. Gallic.*

De tribus Lectionibus, & tribus Responsoriis, quæ cantantur in diebus ferialibus.
XXIII.

TRes Lectiones in feriis legimus, quia tres Vigilias posuit Dominus dicens: (a) *Si in prima, si in secunda, si in tertia Vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi*; quæ tres Vigiliæ tres designant ætates, pueritiam, juventutem, & senectutem, in quibus, ne a Diabolo seducamur, bene vigilando, Deum laudare tenemur; vel per tres Lectiones, Doctrinas electorum trium temporum designamus. Cum Lectionibus interpolate Responsoria decantamus, innuentes quod quidquid electi in tribus docuere temporibus, & quidquid nos in tribus ætatibus agimus, ad Dei Trinitatem referimus, & Trinitatem in Fide, Spe, & Charitate glorificamus: ideoque Responsoria dicuntur a respondendo, quia innuunt quod Sanctis monitis Dei, quæ in Lectionibus proponuntur, factis respondere debemus, ne similes simus pueris in foro ludentibus, & dicentibus (b) *cantavimus, & non saltastis, lamentavimus, & non planxistis*. Inde est quod Responsoria respondent in materia Lectionibus, dum tristia tristibus, & læta lætis subcinimus: voces autem graves, acutæ, & superacutæ significant tres Ordines humanæ conversationis, scilicet Conjugatorum, Continentium, et Virginum, quæ tricesimo, sexagesimo, et centesimo fructu remunerabuntur, (c) vel juxta tria volumina Salomonis, incipientium, proficientium, et perfectorum; vel Responsorium dicitur quia Choro canenti ℟. versus ab uno respondetur, qui versus etiam dicitur, quoniam ad ℟. vertitur, ut totum ℟. iteretur, vel saltem ejus particula. Hæc omnia cum Gloria terminamus, eo quod omnia ad fidem, et gloriam referimus Trinitatis. De Responsoriis Isidorus ait: Responsoria *ab Italis longo tempore ante reperta sunt, & vocata hoc nomine, quod uno canente Chorus consonando respondeat. Antea autem solus quisque hoc agebat, nunc autem interdum unus, interdum duo, vel tres communiter canunt, Choro respondente.*

De Mysterio trium Nocturnorum, quæ dicuntur in Dominica, & festis diebus.
XXIV.

IN solemnibus diebus scilicet Dominicis, et festivis, noctis Officium per tres Nocturnos distinguimus, imitantes excubias Cœlestis Hierusalem, quæ ædificatur ut Civitas, et servatur per Angelorum Vigilias, qui

(a) Luc. XII. 38. (b) Matth. XI. 17. (c) Matth. XIII. 8.

De Versiculo, & Oratione Dominica post Psalmos, & ante Lectiones.
XXV.

POst omnes Psalmos de Nocturnis Versiculus sequitur, quia decet, ut afflictus ad requiem convertatur, unde qui psallendo stabat, nunc ad Lectiones sedeat, unde Versus a vertendo dicitur, quia Chorus se vertit ad orientem, vel quia se vertit de Psalmis ad Lectiones: a pueris cantatur, ut intelligamus nostra Deo placere servitia, si cum innocentia fiant: Et nota quod versus acuta exclamatio est animorum excitatio, ne incepto opere pigritemus, quia Versiculus quandoque nos excitat ad Orationem, *ne Muscæ perdant suavitatem unguenti*, (*a*) quandoque ad Lectiones, ne torpeamus securitate sedendi; notum est enim quod in Lectione sedemus: sessio securitatem, securitas negligentiam parit. Ante Lectiones dicitur Versiculus, ut ad audiendum Verbum Dei animus incitetur, in aliis horis post Lectionem, ut ex intervallo horarum Doctrina Domini non negligatur. Quandoque Versiculus spectat ad Hymnum, ut ad præconia Christi simus vigiles, & intenti. Per Dominicam Orationem, quæ secreto dicitur, secretum Regis consilium intelligitur, quæ Oratio hìc ideo dicitur, ut per eam tentationes Diaboli excludantur. Cum enim Diabolus sentit nos velle legere, quæ pertinent ad instructionem morum, vel in quibus victoriæ Sanctorum continentur, de illo tunc nos acrius impugnat, unde nos Oratione Dominica præmunimus, ne tentationi succumbamus: & hæc Oratio sub silentio dicitur, ut diligentius capiatur, vel quia Deo loquimur, qui non tantum verba, sed renes, & corda scrutatur. In qua septem petimus, ut a septem vitiis liberemur, vel ut septem donis ditemur: ultima pars alta voce concluditur, scilicet: *ne nos inducas*, ut pateat ad quid illa dicatur Oratio, scilicet ne Lector per phantasticam tentationem efferatur, & auditor a Lectionis intellectu, & profectu fraudetur, & ut ab omnibus confirmetur. Vel oramus Dominum: (*b*) *ut mittat operarios in Messem suam;* (*c*) *& aperiat Cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis*: ne semen Verbi Dei, quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut in petra, ubi non habet humorem, acrescat. (*d*)

(*a*) Eccle. X. 1. (*b*) Matth. IX. 38. (*c*) II. Machab. I. 4. (*d*) Matth. XIII. 7. 8. &c.

De Jube Domne, & Tu autem, *quæ in Lectionibus dicuntur*. XXVI.

DUm Lectores dicunt *Jube Domne benedicere*, licentiam proficiscendi petunt, & cum eis benedicitur, licentia datur. In quo innuitur, quod nullus in Ecclesia legere, vel prædicare debeat, nisi concessus, vel missus, *quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* (a) Ipsa lectio est injunctę legationis exsecutio: Vicissitudines lectorum sunt successiones legatorum. Legunt autem in Ecclesia nostra prius in minoribus ordinibus constituti, & ordinatim postea majores. Cum autem legitur Lectio, faciendum est silentium, & est ab omnibus audiendum, & si quis tunc supervenerit, Deum capite inclinato adoret, frontem præsignet, & autem Lectioni accommodet, ne obtentu Orationis, fructum perdat ejus, quæ legitur, Lectionis, nam eam non semper habebit, orandi vero potestas semper in promptu erit. *Tu autem Domine*, Legati est reversio, ubi in eo quod misericordia imploratur, innuitur, ipsum legationis, vel prædicationis Officium non sine alicujus, vel levis culpæ pulvere peragi posse. Unde Augustinus (b) *Securius auditur veritas quam prædicetur*. Quod autem in principio Lectionis, dicitur *Domne*, dicendi licentia petitur a Prælato Ecclesiæ. In fine vero dicitur *Domine*, quia tunc a Domino Deo misericordia imploratur. Quod post, Deo gratias agimus, non ad Lectoris preces, sed ad præmissam pertinet Lectionem. Gratias agimus, quod nobis Doctrinæ suæ panem frangere dignatur, ne fame audiendi Verbum Domini, pereamus. Nam ad Lectionem, in fine quarum *Tu autem Domine* non concluditur: scilicet ad Capitula Regularium horarum, in quibus Verbum Dei seminatur, *Deo gratias* ex consuetudine respondetur.

De Lectionibus, & Responsoriis, & Mysterio ipsorum. XXVII.

ET nota quod sicut in Ecclesia duo sunt ordines, sapientes, & insipientes, sic duæ sunt Lectionum materies. In illis enim Lectionibus, quæ ad Missam leguntur, sapientes instruuntur. In his, quæ in nocte reciprocantur, insipientes erudiuntur, unde exponuntur. Lectiones sunt

---

[a] Rom. X. 15.

(b) Locum hunc habes n. 2. Tractatus LVII. *in Joan. Evang.* En illum integrum: *Tutius enim veritas auditur, quàm prædicatur, quoniam cum auditur, humilitas custoditur, cum autem prædicatur, vix non subrepit cuivis hominum quantulacunque jactantia, in qua utique inquinantur pedes.*

sunt prædicationes Patrum, vel Doctrinæ Fidelium, Responsoria, Vita, quæ debet respondere Doctrinæ. Item nota quod in tertio Nocturno Evangelium recitatur, quia est in tempore gratiæ prædicatum, ubi fallit etymologia responsoriorum, non enim Responsoria de Historiis respondent Evangelicis Lectionibus. Similiter nec Responsorium, quod in Æstivo tempore de Trinitate cantatur. Idem est etiam in Vigiliis Sanctorum, in quibus, Lectionibus propter Vigilias alteratis, Responsoria non mutantur. Sic igitur in Dominicis, & Festis Sanctorum, tria Responsoria cantamus, ex quibus novem Psalmi, novem Versiculi, novem Lectiones, novem Responsoria fiunt, quæ ideo celebramus, ut Sanctos per fidem Trinitatis associatos novem Angelorum ordinibus ostendamus, & ut nos per hæc Officia, sic Trinitati placeamus, quod ejusdem ordinibus associari possimus. Pluralitas Lectionum pluralitatem significat Prædicatorum, qui sunt tempore gratiæ, sicut paucitas in feriis raritatem tempore legis. Nam cum Populus ambulabat in tenebris, rari fuere precones, sicut gallus profunda nocte rariores solet edere cantus, sed circa diem crebriores, sic in die salutis, (a) *Omnes gemellis fetibus: & sterilis non est in eis*. Hymnus, (b) quem Augustinus & Ambrosius invenerunt, scilicet *Te Deum Laudamus*, & alta voce canitur, significat lætitiam Mulieris de Drachma, quam invenit accensa lucerna, (c) & tintinnabula, quæ pulsantur, significant vicinarum convocationem, & congratulationem, vel futurum gaudium repræsentat, quando Ecclesia in die judicii a suis laboribus requiescet.

[a] Cant. IV. 2.
(b) Quisnam fuerit hujusce Hymni Auctor, a Criticis disputatur. Alii ab Hilario Pictaviensi, alii ab Abundio fortasse Comensi Episcopo, alii a Sisibuto, a Niceto alii editum fuisse ajunt, aliis etiam alii eum tribuunt: plerique ab Ambrosio, & Augustino, dum hic a S. Antistite baptizaretur, compositum fuisse ajunt; Vide quæ de hoc argumento nos docet præclariss. Tillemont Tom. XIII. *Historia Eccles.* pag. 214., & rursus pag. 962., & 963. Non desunt tamen, qui ita quæstionem hanc dirimunt, ut Hymnum in Ecclesiis usitatum, &, si vis, ab Ambrosio compositum, sed jam notissimum alternatim cecinerint Ambrosius, & Augustinus, dum hic a Sancto Antistite baptizaretur.
[c] Luc. XV. 8. 9.

De VII. Canonicis horis, quibus septies in die Deum laudare debemus.
XXVIII.

(*a*) Esdras Populum a Babylone reversum docuit quater in nocte Deum laudare, scilicet Vespere, Completorio, Nocturno, & Matutino: & quater in die, scilicet Prima, Tertia, Sexta, & Nona, sic & nos per quaternarium psallimus, ut Domino quodlibet elementum nostri corporis afferamus, & sic octies Domino confitemur, ut ad Octavam pervenire possimus, sed Propheta (*b*) nocte *media confitendum*, & *septies in die* dicit esse laudandum. In septem ergo Canonicas horas Diurnum dividitur Officium, scilicet Laudes Matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, Vesperas, & Completorium propter septem ætates Sæculi, vel Hominis, vel septiformem gratiam Spiritus Sancti, vel septem Mysteria Jesu Christi. Laus Matutina recolit tempus, in quo primi parentes Deum in Paradiso laudaverunt. Prima illud, in quo Abel, in Tertia Noe, in Sexta Abraham, in Nona Prophetæ, in Vespera notantur Apostoli, in Completorio novissimi justi. Vel Nocturnale Officium recolit tempus ab Adam usque Noe, Matutinale a Noe ad Abraham, Prima ab Abraham ad Moisen, Tertia a Moise ad David, Sexta a David usque ad Adventum Christi, Nona ab Adventu primo usque ad secundum, cum Dominus ad judicandum venerit. Per Vesperum intelligitur Sabbatum Animarum, quo requiescent a laboribus suis. Per Completorium illud tempus magnæ solemnitatis, in quo electi percipient Regnum, & consummabitur gaudium Sanctorum, & tunc cessabit lucta, & pax succedet æterna. Item per Matutinum commemoramus Infantiam: per Primam, pueritiam: per Tertiam, adolescentiam: per Sextam, juventutem: per Nonam, senectutem: per Vesperam, senium: per Completorium, finem vitæ. Ergo septies, idest semper, quia totum sæculi tempus, & totam vitam hominis ad Dei laudem referendam notamus. Item per septiformem gratiam Spiritus Sancti de tenebris vitiorum, & servitute Diaboli, quam Nocturnum repræsentat Officium, prodimus ad solem justitiæ, & eripimur in libertatem, quam Diurnum Officium repræsentat.

Qua-

(*a*) II. Esd. I. 6. *Oro coram te hodie nocte, ac die*. II. Esd. IX. 3. *Et consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine Legis Domini sui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum*. Distributiones tamen temporum præsertim in nocte hic indicatas minime inveni.

(*b*) Ps. CXVIII. 62., & 164.

Quare magis in his horis, quàm in aliis Ecclesia celebret Officia.
XXIX.

SEd cum duodecim sint horæ diei, cur magis in his horis, quàm in aliis celebremus Officium, ratio est: hora Matutinali Deus Mundum creavit, (*a*) & astra Matutina, (*b*) ideſt Angelos, quos hac hora canentes imitamur. In hac hora Baptizantur Filii Israel in Mari rubro, (*c*) & per illud traducti a Domino, & in eadem Ægyptii interfecti, ut Exodus narrat, & de Vigilia Matutina legitur in Evangelio (*d*). Vel in hac hora, sicut in aliis, Mysteria sequimur Jesu Christi, qui est in nocte comprehensus, mane illusus, & Petri misertus, hora Prima Gentibus traditus, Tertia flagellatus, & voce Crucifixus, Sexta Cruci affixus, Nona Mortuus, in Undecima de Cruce Depositus, in duodecima sepultus: Unde dicitur:

In Matutino damnatur tempore Christus,
Quo Matutini cantantur tempore Psalmi,
Quando Resurrexit primam canet Ordo fidelis:
Tertia cum canitur, tunc est cruciamina passus:
Et tunc Discipulis datur æthere Spiritus almus:
Sexta sunt tenebræ Mundi per clymata factæ.
Redditus est Nona Divinus spiritus hora.
Vespere clauduntur sacra Christi membra sepulcro:
Christo bis sena custodia ponitur hora.

Ergo propter hæc Mysteria, & alia, quæ de Jesu Christo in his horis in Scripturis habemus, has horas, & non alias Canonicas observamus. Laudes scilicet Matutinas, ut cum Petro refugiamus ad lacrimas, & cum Domino resurgamus. Primam, ut primo si fuerimus Regnum Dei quærentes, & ei nostrorum operum primogenita offerentes, nobis sol justitiæ oriatur: Tertiam, ut flagellati Christi patientiam imitemur, & baptizemur in Spiritu Sancto: Sextam, ut exaltatus a terra nos ad se trahat, & eruat a tenebris irruentibus super terram: Nonam, ut sæculo moriamur, & cum Latrone salvemur. Vesperum (*e*), ut Vespertinum legis Sacrificium

(*a*) Gen. I. 1. (*b*) Job. XXXVIII. 7. *Cum me laudarent simul astra Matutina, & jubilarent omnes filii Dei.*

(*c*) I. Corint. X. 2. Exod. XIV. 22. (*d*) Matth. XIV. 25. Marc. VI. 48. Luc. II. 8. 9. 10. (*e*) Num. XXVIII 3. *Hæc sunt Sacrificia, quę offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: unum offeretis mane, & alterum ad Vesperum.* Hujusce Sacrificii sæpe fit mentio in Scripturis. Nonnulla loca indico, quæ consulat, si vult, Lector. IV. Reg. 16. 15. I. Esdr. 9. 4 5. Psal. CXL. 2. Dan. IX. 21.

cium recolamus, quod præfiguravit novum in Vespera institutum, (a) & igne charitatis injecto, accendamur ad hospitalitatem pauperum, & illuminemur ad intelligentiam Scripturarum. Completorium, ut fructificent nobis sudor Christi, & ejus Oratio, (b) quam in Geth-semani fecit hac hora. Has itaque horas nullus audeat præterire, nisi velit esse ingratus Spiritui Sancto, & in conspectu Domini vacuus apparere, quia has legimus Apostolos observasse: unde (c) *Petrus, & Joannes ascendebant in Templum ad horam Orationis Nonam*.

De Laudibus Matutinalibus in secunda Feria. XXX.

(d) IN *Matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Tempus ante Nocturnum significat vitam in peccatis, Nocturnum Officium nostri exilii servitium. Vel tempus ante Nocturnum significat tempus ante legem, in quo silebant omnes a Laudibus Dei. Tempus Nocturnum significat tempus legis. Laus Matutina, pœnitentiæ suffragium, per quam tendimus ad gaudium lucis & libertatis, ideoque in ferialibus Matutinis dicimus primum Psalmum (e) *Miserere mei Deus*, quem Psalmum Judæi conversi frequentabant, & nunc frequentat Ecclesia, quia provocat ad Pœnitentiam, per quam fit resurrectio a morte animæ. Psalmus quinquagesimus Jubilæi recolit remissionem, propter Pœnitentialem, quam in se continet, humilitatem. Sicut enim in Dominicis, & festivis Matutinalibus dicitur *Dominus regnavit*, per resurrectionem Christi a morte Corporis, sic in feriis *Miserere mei Deus*, per resurrectionem Fidelium a morte Animarum, & de tenebris ad lucem prodeuntium. Unde in secundo Psalmo, qui ponitur in feria secunda scilicet *Verba mea*, (f) habetur *Mane adstabo tibi*, & habet titulum *pro ea quæ hæreditatem accepit*, (g) in quo significatur Ecclesia primitiva ad hæreditatem Domini vocata: quia vero per charitatem fit remissio peccatorum, & acquisitio regni Cœlorum, duo Psalmi sequuntur tertio loco, scilicet *Deus, Deus meus*; & *Deus misereatur*. In primo agitur de dilectione Dei: unde ibi habetur: *Sitivit in te anima mea*. In secundo de dilectione Proximi, unde ibi dicitur: *Cognoscamus in omnibus gentibus salutare tuum*: ideoque sub una *Gloria* concinuntur, quia dilectio Dei, & Proximi sic sese comitantur, ut in Christiana professione altera sine altera non habeatur, vel quia in eis fides, & ope-

(a) Sacrificium Vespertinum offertur in diebus jejuniorum ab Ecclesia præceptorum interdum post Nonam, interdum post Vesperam, quod quisque novit.

(b) Matth. XXVI. 36. Marc. XIV. 32.

(c) Act. III. 1. (d) Psal. C. 8. (e) Psal. L.

(f) Psalm. V. 5. (g) Vulg. *consequitur*.

& operatio intelliguntur, & *fides sine operibus mortua est*: (a) vel quia Populus ex præputio, & circumcisione ante persecutionem Antichristi unum erit in fide, & Judaicus Populus gentili sociabitur in una fide: quarto loco in feria secunda Victoriæ canticum, scilicet *Confitebor* cum Isaia cantatur in Persona Ecclesiæ, quia sicut vicit populum infidelem, sic nos vitia superamus, vel recolit tempus, quando primum Sanctæ Crucis est erectum vexillum, vel ideo feria secunda hoc canticum dicitur, in quo agitur de Baptismo cum dicitur (b) *Haurietis aquas*, quia die secunda (c) *separavit Dominus aquas ab aquis*, & in secunda ætate contigit Diluvium, quę duo significavere Baptismum. Christus etiam secunda die creditur baptizatus. Inter Psalmum vero, & Canticum hæc est differentia, quia Psalmus significat operationem, Canticum laudem ex operatione: post Canticum subditur Psalmus *Laudate Dominum de Cęlis*, ubi sunt tres Psalmi, in quibus triumphum de Mundo, Carne, & Diabolo memoramus.

De Psalmis, & Canticis in Laudibus tertia, quarta, quinta, & sexta Feria, & Sabbati. XXXI.

FEria tertia similiter ut in sequentibus feriis in Laudibus ponitur primus Psalmus (d) *Miserere mei Deus*, de quo dicit Augustinus (e) in L. Homelia: *oportet vos per assiduam compunctionem Pœnitentiæ Psalmum L. omni die cantar*: & significat illud tempus, in quo Imperatores Ecclesiam persequebantur. Ideoque plangens secundo loco Psalmum *Judica me* ponit, in quo dicitur *Emitte lucem tuam*, & est ibi vox Ecclesiæ ad gentes intrantis, & quod evaserit de hac tribulatione. Tertio loco Canticum Ezechiæ cantat, scilicet *Ego dixi*, quia sicut ille mortem corporis, sic nos mortem animæ evasimus. Vel significat tertiam ætatem, in qua Isaac liberatur a morte, & Ezechiæ Dominus per quindecim annos vitam auxit: Sic & nobis in fide Trinitatis manentibus per observantiam Decalogi, & fidem quinque-partitæ Passionis Domini mortem auferet, & vitam donabit æternam.

Feria quarta illud tempus innuit, in quo exaltata est Ecclesia super inimicos suos, ideoque exultans cum illis, qui sunt de Babylonia liberati, dicit Psalmum *Te decet Hymnus*, ubi est exitus Matutini, & canitur in figura Gentilitatis fidem recipientis, & in tempore Constantini Imperatoris reddita Ecclesia libertati, cantant Canticum *Exultavit Cor meum in Domino* [f] cum Anna, quæ fuit liberata de afflictione Phenennæ, & sicut

[a] Jacob. II. 26. (b) If. XII. 3. (c) Gen. I. 7. [d] Psalm. L.
[e] Hunc Augustini locum perquisivi, & minime inveni. Fortasse sensum Verborum Augustini, non verba ipsissima allegavit Scriptor noster.
(f) Reg. I. cap. I. V., & seqq.

cut illa vicit æmulam, sic nos carnem vincimus, & per quatuor Evangelia est electa Ecclesia, & Synagoga repudiata.

Feria quinta illud tempus innuit, in quo Judæorum populus intrabit ad fidem, ideoque Psalmus *Dominus Refugium* dicitur, qui *Oratio Moysi* intitulatur, in quo habetur *Mane floreat*, & est ibi vox Judeæ resipiscentis, & canitur canticum Moysi *Cantemus*, ubi lætamur cum Populo Israel, quia sicut ille Ægyptios per Moysen, sic nos Diabolum, & Dæmones per Christum subtersugimus, & quia in quinta ætate liberatus est Populus de Captivitate Babylonis, quinta feria canitur Canticum de liberatione Populi de manibus Pharaonis.

Feria sexta celebratur in memoria Passionis Domini, ideoque canitur Psalmus *Domine exaudi orationem meam: auribus percipe*, ubi habetur *Auditam fac mihi mane*, & est ibi vox Ecclesiæ contra Antichristi persecutionem orantis, & intitulatur Psalmus *Ipsius David, cum persequebatur eum filius ejus Absalon*, idest *Judas*: & dicitur Canticum *Domine audivi* quia sexta ætate crucifixus est Dominus, ideoque hic dicitur *Cornua in manibus ejus*, & in hoc cum Abacuch congratulamur, quia sicut ille Babylonem, sic nos evasimus peccatorum confusionem.

Sabbatum recolit electos, qui erunt in fine Mundi, quod colligit ex titulo Psalmi *Bonum est confiteri*, scilicet Psalmi *ad annuntiandum mane misericordiam tuam*: & est ibi vox Ecclesiæ in Domino quiescentis, & tunc dicitur Canticum *Audite Cœli*, ubi cum Moyse hilarescimus, quia sicut ille devictis hostibus terram promissionis intravit, sic nos vitiis superatis, promissam indulgentiam, libertatem, & lætitiam consequemur, & quia Sabbato *requievit Dominus ab omni opere, quod patrarat*, & jacuit in sepulcro, ideo Sabbatum dicitur Canticum, quod datum est Filiis Israel post laborem itineris, cum intrassent terram promissionis.

De Capitulis, quæ dicuntur in Laudibus, & horis diei. XXXII.

POst Psalmos in Laude Matutina sequitur Capitulum, & dicitur *Capitulum*, quia de capitibus sumitur Epistolarum. Sed ut libertas, & gloria reveletur in nobis, quamdiu sumus in via, est nobis Doctrina, & consolatio necessaria, unde Sacerdos in persona Domini hortatur nos per Capitulum in fide perseverare, & misericordiæ operibus intendere, *opera tenebrarum abiicere, & arma lucis induere* (a) Licet autem Capitulum sit Lectio, tamen legitur sine *Jube Domne*, & absque Sacerdotali benedictione, quia cum proprium sit Sacerdotis illud legere, non debent Prælati Ecclesiæ licentiam petere, sed dare, nec dicunt *Tu autem Domine*, quia

(a) Rom. XIII. 12.

quia Sacerdos sic debet esse perfectus, ut suggestionibus Diaboli facile non succumbat: & nota quod copiosius in Nocturnali Officio, quàm in diurno Lectionibus vacamus, quia tunc eis aures liberius accommodamus. Nec in hujus Lectionibus auctor pronuntiatur, sicut in Lectionibus Missæ, quia Clerici, qui seduli sunt in Officiis, ex Lectionibus auctorem cognoscunt, sed ad Missam conveniunt Laici, quibus est Auctor incognitus, unde similiter in Nocturnalibus Lectionibus ad cautelam præmittitur sermo illius Sancti, vel illius, quia, dum sæpe auctor ex Lectionibus non agnoscitur, verendum est, ne Doctor erroneus in medio proponatur. Post Capitulum canitur Hymnus, per quem lætitia innuitur, quam habemus de libertate: sed ne ingrati de beneficio videamur, in Versiculo beneficium profitemur, & inolevit consuetudo dicendi Versiculum in omnibus horis ab arca, quæ dum in tabernaculo reponebatur, dicebatur *Revertere Domine ad multitudinem Filiorum Israel* (*Num. X. 36.*): inde Versiculos dicimus, orantes, ut ad nos Dominus revertatur, unde a reversione nomen accepit.

De hoc Cantico Benedictus, *& salutatione, quæ fit ante Orationem.* XXXIII.

DEinde Liberatori nostro grates referentes, in ejus laudem alta voce prorumpendo dicimus *Benedictus Dominus Deus Israel*: quia nos in miseria positos liberavit. Per hoc Canticum, quod inlucescente die cantatur, primus Christi significatur Adventus, quo plebem visitavit, & sedentes in tenebris, & umbra mortis illuminavit. Vel secundus, in quo Ecclesiam, quæ diu sederat in tenebris hujus Mundi, post Psalmos, Lectiones, Hymnum, Versiculos, & Antiphonas primo post bona opera, Laudes, conversiones, mentium devotionem, claritate perpetua illustrabit: & nota quod in tribus horis dumtaxat tria dicimus Evangelia, in quibus recti stare debemus. In Aurora cantatur *Benedictus*, quia ibi nuntiatur vera lux. In Vespera *Magnificat*, quia in fine Mundi, sicut ibi dicitur, *Deus superbos disperdet, & humiles exaltabit*. Ad Completorium *Nunc dimittis*, quia post judicium, Sancti in pace regnabunt, & Antiphona devotionem significat, quam habere debemus in Laudibus redemptoris. Item cum dicitur *Dominus vobiscum*, Magister, & Discipuli pro se invicem orant, & se invicem resalutant, & est sensus *Laudem vestram Dominus recipiat, & præmio vitæ remuneret*. ℟. *Et cum Spiritu tuo*: idest *Cum pro nobis sis oraturus, Orationes a te non exaudiat Dominus, nisi ex bono corde processerint: itaque ipse, sine quo nihil bonum, sit cum spiritu tuo*. Sacerdos autem pro sua bonitate se sufficientem esse reputans, subdit *Oremus*, quasi diceret *Orate mecum, ut quæ postulamus, citius impetremus*. Oratio, quam dicit, significat indulgentiam, quam Dominus repromisit, vel

vel Oratio est illa ultima benedictio [*a*] *Venite benedicti*, & caetera. *Amen* (*b*) dicitur ab *A*, quod est *sine*, & *mene* quod est defectus, idest sine defectu fiat nobis quod orasti: quod rursus dicitur *Dominus vobiscum*, est iterata salutatio, ut affectuosa Oratio, impetrata gratia, perseveret. Demum concluditur *Benedicamus Domino*. *Deo gratias*, quę est Laus finalis, & ineffabilis, unde saepe cum jubilo canitur, per quae significatur, quod usque ad finem vitae, Deo persolvendo gratias pro beneficiis benedicere debemus, & dicitur hoc bene a pueris, ad ostendendum quod nisi per innocentiam efficiamur ut parvuli, digne Deum laudare nequimus.

De Laudibus Matutinis in Dominicis, & Festis. XXXIV.

IN Matutinis *Domine meditabor in te*. (*c*) Tempus laudis Matutinae significat tempus gratiae a resurrectione usque ad finem Mundi, in quo tempore Deum laudare tenemur de bonis naturae, quae hac hora nobis contulit creando, & bonis gratiae, quae dedit resurgendo, & bonis gloriae, quae dabit resuscitando, ideoque totum hoc Officium est Laudibus plenum: exinde a Psalmo *Dominus regnavit* incipimus, qui Psalmus monstrat primitivam Ecclesiam, quae est aedificata Domino regnante: & merito hic Psalmus cantatur in Laudibus, quia continet Laudes Christi, & septem locos Laudis, ut super eundem Psalmum exponitur. In secundo Psalmo ostenditur aedificatio membrorum, ubi gentilis Populus Christo jubilat, & fidem recipiens in laetitia servit: *Deus Deus*, & *Deus misereatur*, sub una *Gloria* dicuntur, quia Judaicus, & Gentilis Populus ante persecutionem Antichristi sociabuntur in una fide, & tunc veniet tribulatio Antichristi, in cujus figura processit Nabuchodonosor, & mittet in caminum tribulationis tres filios Noe, quasi tres pueros, quos non solum liberabit Dominus de ejus malignitate, sed benedicent Dominum ad similitudinem trium puerorum, & illud tempus persecutionis Antichristi innuit istud Canticum *Benedicite*, quod sine Alleluja, & gloria cantatur, quia tunc omnis laus Ecclesiae reprimetur, vel non est ibi necesse cantari gloria, quia in eo Trinitatem commemoramus, dicentes *Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu*: & bene convenit hoc Canticum diei Dominico, & cuilibet festivo, quia in prima die creavit Deus omnia, (*d*) & per resurrectionem suam postmodum innovavit, & ideo ea die,

[*a*] Matth. XXV. 34.
(*b*) *Amen* vox Hebraica est multimodae significationis: quo de Argumento copiose interpretes. Ne multos enumerem, consule quae de ea tradit egregius Calmet in Lexico ad vocem *Amen*: nec pigeat inter Asceticos consulere praestantiss. Paulum Segneri [Manna XXVII. Octob.] (*c*) Psal. LXII. 7.
[*d*] *In principio creavit Deus Caelum, & Terram*. Gen. I. 1.

die, & in festivis, quæ resurrectionem Dominicam imitantur, hoc Canticum dicitur, in quo Dei Creaturę ad laudem Creatoris invitantur. *Laudate Dominum de Cœlis* illud tempus denuntiat, quo Populus de Babylonia rediit, & Templum ædificavit, & illud gratiæ, in quo, Antichristo occiso, universa Ecclesia Deum laudabit, ideoque tres Psalmi sub una *Gloria* cantantur, quia Christiani, Gentiles, & Judæi: vel Noe, Job, & Daniel similiter laudabunt eum, qui est Trinus, & Unus cum Angelis, sine fine, & sic octo Psalmos in Laudibus canimus, quia octo sunt electorum Ordines per aquam Baptismi salvati, sicut in arca octo fuerunt animæ liberatæ ab aquis Diluvii, (a) & eædem sunt Laudes in Dominicis, & Festis, & Paschalibus diebus, quia gaudia resurrectionis Christi, & nostræ repræsentant, quæ per fidem Sancti jam percipientes, in resurrectione plenius in stola duplici consequentur.

De Ordine Officii, quod fit ad Primam per totum annum. XXXV.

UT moris est in quibusdam Ecclesiis, ad Primam modico prius signo pulsato, Sacerdos incipit Primam per *Deus in adjutorium meum intende*. Sed in nostra Ecclesia statim post Laudes, incipitur Prima, & squilla pulsatur donec illa cantetur. Deinde Hymnus, & incepta Antiphona dicuntur Psalmi *Deus in nomine*. *Beati immaculati*. *In quo corrigit*. *Retribue Servo*. *Adhæsit pavimento*. Sed a Septuagesima usque Dominicam Palmarum, diebus Dominicis, his Psalmis superaddimus quinque Psalmos, qui de Nocturno Dominicali remanserunt, scilicet *Deus*, *Deus meus respice*, & cæteros, & in diebus Dominicis, quibus non fit Officium de Pascha, vel majoritas de aliquo festo, dicitur *Quicumque vult*: quibus dictis, Sacerdos dicit Capitulum: *Omnis enim quicumque invocaverit*, quod nullo, nisi Paschali tempore, mutatur ad Primam. Deinde canitur ℟. *Christe Fili Dei*. ℣. *Qui sedes ad dexteram*. ℣. *Exurge Christe*. In diebus ferialibus a Septuagesima usque Pascha, & in Adventu Domini, & in jejuniis quatuor Temporum, nisi fiat de aliquo festo, statim post ℣. Fratribus prostratis, & Sacerdote incipiente, & Choro respondente, in cordis compunctione dicitur *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, & *Kyrie eleison*, & in Quadragesima dicuntur Litaniæ, *Pater noster*. *Et ne nos inducas*. *Vivet anima mea*. *Erravi sicut*. *Credo in unum*. *Carnis resurrectionem*. *Et ego ad te Domine*, & cætera. *Dignare Domine die isto*. *Miserere nostri Domine*. ℣. *Domine Deus virtutum*. *Exurge Christe adjuva*. Postea Sacerdos surgens dicit Orationem *Domine*, *Deus Omnipotens Pater*: & hæc Oratio cotidie dicitur in ferialibus diebus per totum annum ab Octava Pentecostes usque ad Nativitatem, & ab Octava Epiphaniæ usque ad resurrectionem, nisi sit festum novem Lectionum. In Dominicis autem, & festis novem Lectionum, dicitur hæc Oratio: *In hac hora prima hujus*

 diei,

(a) I. Petr. 3. 20.

dici, præterquam a Resurrectione usque Octavam Pentecostes, & a Nativitate Domini usque Octavam Epiphaniæ, & in festis Beatæ Mariæ, in quibus de ipsis solemnitatibus Oratio fit ad Primam, & etiam in Adventu propria habetur Oratio.

De Ratione, & Mysterio illorum, quæ dicuntur ad Primam. XXXVI.

PRima ideo celebratur, quia sole oriente postulare debemus solem justitiæ nobis oriri, ut in lumine ejus ambulantes, peccatorum tenebras evadamus, & quia (a) *Pater familiâs primo mane exiit conducere operarios in vineam suam*: & nota quod in omnibus horis hic Versiculus (b) *Deus in adjutorium meum intende* præmittitur, & est sumptus a veteri Testamento. Arca enim cotidie circumdabatur ab inimicis, & dum elevabatur, & portabatur, Moyses dicebat (c) *Surge Domine, & dissipentur omnes inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tua*. Sic & Ecclesia patitur intus, & extra, ideoque Divinum imploramus auxilium dicentes *Deus in adjutorium*. Similiter in omnis horis præmittitur *Gloria Patri*, ut glorificemus Trinitatem, sine qua nihil possumus. Quinque Psalmi sequuntur, ut quinque sensus Operariorum per diem divinitus muniant, vel tres Psalmi sub tribus *Gloriis* sunt comprehensi, eo quod Trinitas in nostris operibus glorificatur, & quia Operarius sine fide frustra vineam colit, & Pastor sine fide frustra Ovile custodit. Subditur Symbolum fidei: scilicet *Quicumque vult* (d), quod Athanasius Episcopus Alexandrinus, rogatu Theodosii Imperatoris, ad eradicandam hæreticorum perfidiam, & divulgandam Fidem Catholicam edidit, quod ideo in *Prima* dicitur, quia fides principium nostræ salutis extitit: & nota quod in *Quicumque vult*, Populus de fide a Pastoribus docetur. In *Credo in unum*, fidem suam quasi doctus quilibet confitetur. Deinde in Capitulo Pastor oves, & Pater familias Operarios, ne in labore deficiant, consolatur: *Viriliter agite, quia omnis quicumque invocaverit &c.* Unde alacres dicunt *Christe Fili Dei*. ℣. *Exurge Christe*, idest fac nos exurgere. Preces, quæ sequuntur, scilicet *Kyrie eleison*, propter tria dicuntur, ad resecandas superfluas cogitationes, ad impetrandam misericordiam propter oves errantes, & Operarios satiscentes, & ad postulandum auxilium contra tentationes, ut possimus in Dominica Oratione Patrem securius *invocare*. Per ℣. *Erravi sicut ovis, quæ periit*, patet quod de ovibus errantibus agitur, & quia via redeundi est fides: Symbolum Apostolorum subditur scilicet: *Credo in Deum Patrem*, postea pro se ipso loquitur Operarius, pro

(a) Matth. XX. 1. &c. (b) Ps. LXIX. 2. (c) Num. X. 35.
(d) De hoc Symbolo tam Theologi quàm Critici copiose agunt. Ad eos Lectorem rejicio. Sed certe Athanasius ad Theodosii tempora non pervenit.

pro Pastoribus, pro Regibus, pro Populo, pro Vivis, & Defunctis, & *Miserere mei Deus*, pro Pœnitentibus, & aliquotiens Psalmi Pœnitentiales, & Litaniæ, & Orationes pro Astantibus multiplicantur, quia per tales fructus Deo reconciliamur: & nota quod Sacerdos prius prostratus orans, & postea surgens, & stando orans, Christum significat, qui prius conversatus in terris pro Peccatoribus oravit, & post resurgens, & ascendens in Cœlum, interpellat pro nobis, & sicut Christus discipulos salutavit dicens *Pax vobis*, sic Presbyter salutationem Orationi præmittit. *Benedicamus Domino*, significat benedictionem, qua Christus discipulis benedixit post Resurrectionem, unde ipsi gratias egerunt, vel finalem laudem, quæ erit in gloria cum gratiarum actione, quando Christus post suam interpellationem Fidelibus salutem donabit æternam.

De solutione Capituli Post Matutinalis. XXXVII.

STatim post Primam in Quadragesima cantatur Missa Matutinalis, & extra Quadragesimam cantata Prima, statim Fratres exeunt in Capitulum, ubi sonato signo, ætas Lunæ, & festivitates alterius diei annuntiantur, hoc modo: *secundo Kal. Aprilis*, *Luna prima*, & festivitas talis, *& aliorum Sanctorum*, *& Sanctarum Dei*, & respondetur *Deo gratias*. Deinde Sacerdos dicit ℣. *Pretiosa in conspectu Domino*. ℟. *Mors Sanctorum ejus*. Oremus. *Sancta Maria cum omnibus Sanctis intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut mereamur ab eo adjuvari, & salvari, cui est bonor, & gloria in sæcula sæculorum*. ℟. *Amen*. *Deus in adjutorium meum*. ℟. *Domine adjuva me in*. Et sic dicatur tribus vicibus, & in fine *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. *Sicut erat in principio*, & cætera. *Kyrie eleison*. *Christe eleison*. *Kyrie eleison*. *Pater noster*, & cætera. *Et ne nos*, & cætera. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. ℟. *Quoniam in sæculum Misericordia ejus*. *Ego miser, & infelix*, & cætera. Postea a singulis facta Confessione, dicit Sacerdos *Misereatur vestri*, & cætera, more solito. Deinde dicit, *Domine respice in servos tuos, & in opera tua*, & cætera. *Et sit splendor Domini*, & cætera. *Gloria Patri*, & cætera. *Oremus*. *Dirigere & sanctificare, regere & gubernare, dignare Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, hodie Corda, & Corpora nostra in lege tua, & operibus mandatorum tuorum, ut hic, & in æternum te auxiliante, semper salvi, & liberi esse mereamur. Salvator Mundi Deus salva nos, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen*. Postea dicitur *Jube Domne benedicere*, & Sacerdos dat benedictionem dicens: *Dies & actus nostros in sua pace disponat Omnipotens Dominus*: & legitur Lectio, vel de Epistola Dominicali, si est dies Dominicus, vel de Capitulo feriali, vel de festo, si aliquid est, vel de Regula, si est in Quadragesima. Finita Lectione respondetur *Deo gratias*. Postea dicitur Psalmus *Laudate Dominum omnes gen-*
tes,

tes, & cætera. *Gloria Patri*. ℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, & cætera. *Salvos fac Servos, & Ancillas tuas. Pone Domine custodiam ori meo. Non declines Cor meum in verba malitiæ. Domine exaudi Orationem meam. Dominus vobiscum*. Oratio *Actiones nostras quæsumus Domine cotidie aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut omnis nostra oratio, & cuncta operatio, a te semper incipiat, & per te incepta finiatur. Per Dominum nostrum*, & cætera. *Benedicamus Domino*. Respondetur *Deo gratias*. Si est dies Dominicus, statim idem Sacerdos dicit *Benedicite*, & ℟. *Dominus*, & post dicit ℣. *Vias vitæ aperiat nobis omnipotens, pius, & misericors Dominus*, & ℟. *Amen*. Sed si est dies ferialis, post *Benedicamus*, dicitur Psalm. *De profundis*. ℣. *A porta inferi. Requiescant in pace. Domine exaudi orationem meam. Oremus. Absolve Domine animas famulorum*, & cætera. *Animæ parentum nostrorum, & Animæ omnium fidelium Defunctorum, per misericordiam Dei requiescant in pace*. ℟. *Amen*. *Benedicite*. ℟. *Dominus*. ℣. *Vias vitæ aperiat*, & cætera. Hunc ordinem in solutione Capituli observamus per totum annum, præterquam in Nativitate Domini, Epiphania, Resurrectione, Ascensione, & Pentecoste, in quibus ætate Lunæ præmissa, solvitur Capitulum, cum Versiculis de solemnitate præsenti.

Ratio, & Mysterium de his quæ dicuntur in solutione Capituli. XXXVIII.

Sicut solent Pastores greges ad alia pascua minare, & pabulo salem, ut melius sapiat, admiscere, sic Prælatus fratres post Matutinum in Capitulum ducit, quibus pro pabulo salis Sanctorum exempla de Martyrologio proponuntur, & per ℣. *Pretiosa* ad patientiam invitantur, & per Orationem *Sancta Maria*, & cætera Sanctorum auxilia postulantur: & quia pro diversitate locorum, occurrit diversitas adversariorum, Pastor ter divinum petit auxilium, cum ter dicit *Deus in adjutorium*, scilicet contra insidias Diaboli, Carnis, & Mundi. Demum simul omnes orant, & misericordiam petunt dicentes *Kyrie eleison*, & liberationem a malo, dicentes *Pater noster*. Postea Confessio subjungitur, quia per Confessionem peccata venialia dimittuntur, sine quibus ab Operariis, & ovibus præsens vita non ducitur, & sic petitur operum directio in bono, cum dicitur *Respice Domine*. Exinde Pastor petit oves dirigi, & sanctificari dicens *Dirigere*, & *Sanctificare*. Demum Lectionis pabulo reficiuntur. Quod postremo dicitur *Benedicite*, licentiantur oves ad pascua, & Operarii ad cultum vineæ festinant, ut valeant in Vespera Mundi accipere denarios retributionis æternæ. Post solutionem vero Capituli, si qua corrigenda sunt, debent corrigi, vel emendanda emendari, & facienda præcipi, & singula Officia singulis Personis juxta Beatum Gre-

Gregorium distribui, ut Prælatorum mens tanto liberius, & quietius spiritualibus vacare valeat, quanto a temporalibus fuerit expedita. Tunc etiam pro tempore, & loco, seu qualitate personarum, aliquando a Prælato ædificatoria fieri debet ammonitio, nam donec alicubi disciplinæ caput viguerit, domus illa facile ruere non poterit; & sic his dictis exitur a Capitulo.

De Processionibus, unde habuerint exordium, & quid earum solemnitas habeat significare. XXXIX.

QUia Processio Missam præcedere consuevit, ante Officium Missæ de Processione dicamus. A Processione itaque Dominicæ Resurrectionis omnes Dominicales Processiones, quæ fiunt per circulum anni, exordium habuerunt, in quibus etiam præcipue ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini semper aliqua de Beata Virgine cantantur, quia ei post Resurrectionem primo Dominus creditur apparuisse. Primo autem aqua benedicitur in memoriam Baptismatis. Ideoque Processio præcedit Tertiam, in qua Spiritus Sanctus super Discipulos descendit, ut sicut primitus baptizamur, & post Spiritum Sanctum accipimus, sic aquâ benedictâ, in Processione prius nos, & loca nostra aspergimus, & postmodum memoriale Sancti Spiritus, idest Tertiam decantamus. Quandoque ante Processionem in quibusdam Ecclesiis Tertia canitur, ut Missæ Officio conjungatur. In Processionibus ergo ad Patriam nostram reversio denotatur, & Processionum solemnitas significat egressum Populi de Ægypto: quando enim Processionem facimus cum Vexillis, Reliquiis, Libris, Cereis, & Thuribulis Moisen recolimus, qui signis, & prodigiis de Ægypto Populum per desertum ad Terram promissionis perduxit: & sicut ille Populus per Moisen ereptus est de manu Pharaonis, sic per Christum Dei Populus eripitur de ore Leonis. Sicut Tabulæ Testamenti de Monte accipiuntur, sic Liber Evangelii sumitur de Altari, & sicut ibi armatus Populus, sic & hic Clerus sacris indutus vestibus sequitur, & virtutibus adornatus. Eos columna ignis præcedebat, & nos Cerei accensi præcedunt. Ibi Arca Testamenti ferebatur, hic Scrinium Reliquiarum, & Capsæ portantur. Per turmas ante illos signa ferebantur, ante nos Cruces, & Vexilla portantur. Ibi Virga Aaronis, hic baculus Pontificis: Ibi Moises, & Aaron, hic Rex, & Episcopus utrumque repræsentans. Ibi clangor tubarum, hic strepitus Campanarum. Ibi aspergebatur Populus sanguine, hic aqua benedicta cum sale. Illis obviabant Amalachitæ ipsorum sanguinem sitientes, & nobis Dęmones vitæ nostræ insidiantes. Recolimus etiam Josue qui Jerico circuivit, quę corruit, & Christus nobis victoriam obtinuit: recolimus & David, & Salomonem, qui Arcam Dei, Hymnis & Canticis reduxerunt: sumus memores Jesu Christi,

qui

qui de sinu Patris venit in Mundum, de Præsepe ad Templum, de Bethania in Jerusalem, de Jerusalem in montem, & nos cum ad Ecclesiam tendimus, quasi ad Terram promissionis accedimus, optantes, ut de Mundo revertamur ad Patriam, & de una Ecclesia ad aliam, de militanti ad triumphantem, sequentes Crucem, idest vestigia Crucifixi; & nos vitiis & concupiscentiis crucifigentes, & vestigia Sanctorum, & Evangeliorum præcepta sequentes, induti loricam justitiæ, cingulum continentiæ, scutum fidei, galeam salutis æternæ. Cum cantantes Ecclesiam intramus, quasi gaudentes ad Patriam pervenimus: & est sciendum quod omni die Dominico facimus Processionem, præterquam in Nativitate Domini, festo Sancti Stephani, & Sancti Joannis Evangelistæ & Baptistæ, & Sanctorum Innocentum, Epiphania Domini, si die Dominico venirent.

De Missa *unde dicatur, & quot sint ejus partes.* X L.

DE Officio, & Ordine Missæ tractaturi videamus, unde Missa dicatur. (a) Illud tantum Officium, quod est ab initio Sacrificii usque *Ite Missa est*, dicitur veraciter *Missa*, quia tunc mittitur ad Deum Hostia: quandoque, quod est ab Introitu usque ad Offertorium, quæ dicitur *Missa* catechuminorum. Usitate tamen totum Officium, quod est ab introitu Missæ, usque *Ite Missa est*, vel *Benedicamus*, Missa dicitur, & hoc quatuor de causis: quia Sacerdos a Populo ad Deum mittitur, ut pro Populo intercedat: Angelus a Deo ad Populum mittitur, ut exaudiat: & quia in ea repræsentatur missio Christi a sinu Patris in Mundum redimendum, idest Incarnatio: & missio Christi a Mundo ad Patrem placandum, scilicet Passio. Missam instituit Christus, quando secundum ordinem Melchisedech, panem, & vinum in Carnem suam, & Sanguinem transmutavit per hæc verba *Hoc est Corpus meum*, (b) & hoc faciendum mandavit, cum dixit *Hoc facite in meam commemorationem*. Distinguitur autem totum Missæ Officium in quatuor partes, precationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones: quidquid enim agitur in Officio Missæ, antequam oblatæ ponantur super Altare, *precatio* nominatur, quia precamur bona Populo. Quidquid fit ab hora, quæ *secreta* dicitur, usque ad *Agnus Dei*, *Oratio* dicitur, & Oratio quæ post Agnus Dei dicitur, *postulatio* appellatur. Quod autem in fine Missæ a Populo respondetur

Deo

(a) Omnino consule, quæ docet Egreg. Card. Bona *Rerum Liturgi* l. 1. Ante eum multa de hoc Argumento docuerat, eaque affinia iis, quæ noster Scriptor, tradiderat Durandus lib. IV cap. I. Eum pariter consule: Etiam consule hic & deinceps quæ tradunt Doctiss. Benedict. XIV. *de Sacrific. Missa*, & Meratus *in Rubricas Missalis* par. I. *Comment.*, & *Observationes Præliminares*, & deinceps. (b) Vide hic expressissime *transubstantiationem*.

Deo gratias, gratiarum actio nominatur. Alii vero distinguunt partes Missæ per salutationes, quia consuetudo est, cum ad Operarios ingredimur, ut eos salutemus, sic salutationem præmittimus, cum de uno Officio ad aliud transimus. Prima est ante Collectam, secunda ante Evangelium, tertia ante Offertorium, quarta ante Sacrificium, quinta ante pacis Osculum, sexta post Communionem, septima post Completionem, idest in ultima Oratione, & in qualibet istarum se convertit Sacerdos ad Populum, præterquam in quarta, & quinta: & sic tantum quinquies se convertit ad Populum, quia Christus in Resurrectione quinquies legitur apparuisse.

De Sacris Vestibus Sacerdotalibus, & Pontificalibus, & Mysterio ipsarum. (a)
XLI.

Quia, ut ait Hieronymus, *Divina Religio alterum habet habitum in Ministerio, alterum in usu communi;* Sacerdos sacris induitur vestibus, cum ingreditur ad Missam cantandam, prius tamen exuit veterem hominem cum actibus, & cogitationibus ejus, & ut novum, idest Christum, induat, scilicet virtutes, & bona opera, pectit caput, idest mentem moribus ornat, & superfluas abigit cogitationes, exinde manus lavat, ut carnales actus, & mentis sordes lacrymis Pœnitentiæ purget, et lotas manutergio tergit, ut post contritionis lacrymas, peccata per opera satisfactionis aboleat: sicut enim linum per laborem ducitur ad candorem, sic per satisfactionem pœnitens ad perpetuam glorificationem. Sic ex præcepto Legis in vetere Testamento (*b*) se lavabant Sacerdotes in labio æneo (*c*), facto de speculis mulierum, quia in Sacra Scriptura, quę continet vitam Sanctorum perspicuam, nos lavamus, dum exemplis Sanctorum purgamus nos a maculis vitiorum. Post hæc sandalibus calciatur Episcopus, ut memor Incarnationis Dominicæ ad instar Apostolorum calciatus incedat in præparationem Evangelii pacis. Postea pectus, et collum, et humeri cingantur amictu, ut mundum cor habens, et eloquium castum, aliorum onera portet. Deinceps albam poderem, et talarem induat, ut munditiam Carnis habeat: usque in finem vitę perseverantem. Postmodum baltheo renes accingat, ut lumbos ad mandatum Christi pręcinctos habeat sub timore Domini, discens in se carnales concupiscentias refręnare: et nota quod pectus, et fauces leniter, renes autem fortiter stringit, quia motus animi non sunt in hominis potestate, et Episcopo in Zona succintorium additur, ut duplici succintorio, scilicet Oratione, et jejunio, istud genus Dęmoniorum, videlicet spiritus fornicationis

(*a*) De *Sacris Vestibus* Consule Cl. Georg. *Litur. Rom. Pontif.* lib. I. cap. 3. n. 7., & 8. (*b*) Exodi XXX. 18. (*c*) Exod. XXXVIII. 8.

nis expellatur, exinde stolæ collum supponit, in signum obedientiæ, quod obediat Evangelio Jesu Christi. Diaconus vero stolam super sinistrum humerum ponit, & fimbrias habet in sinistra manica Dalmaticæ, ut discat se vitæ activæ onera subire, & viduis, & pupillis debere cum Stephano ministrare, & cum ad lumbos stola subjungitur, ut sit fortis, & expeditus contra pugnas libidinum, invitatur. In Dalmatica & Casula, quam certis temporibus induit, innuitur, ut discat sancte, & religiose vivere, Carnis concupiscentias mortificare, vel occultam rationem sublimium indagare, & ideo ea tantum in festis utitur, quia Discipuli non intellexere sublimia, nisi priusquam Dominus est glorificatus; & in Casula se prædicatorem esse innuit, qui dilectione Dei, et Proximi ferveat, et inhiet contemplativæ: et Subdiaconus induit strictam Tunicam, quasi loricam justitiæ. Per Tunicam vero jacinthynam, quam induit Episcopus, Cœlestem conversationem intellige, et per Dalmaticam, Sanctam Religionem, vel Carnis mortificationem. Insuper chirothecas sumit, ut munditiam operum protendat, declinet vanam gloriam, ne justitiam suam coram hominibus faciat, et interdum eas exuit, ut invitet Proximos ad bonam operationem, secundum illud (a) *Luceat lux vestra coram hominibus*. Deinde annulum in quarto digito sinistræ manus suscipit, ut se sponsum Ecclesiæ esse demonstret, cui fidem servet, et secreta revelet. Per Casulam, quam demum superinduit, intellige charitatem, sine qua esset (b) *velut æs sonans, aut Cymbalum tinniens*, quam in brachia elevat, ut ipsam per opera dilectionis ad omnes extendat: et quia in multis offendimus omnes, sudarium, vel manipulum, vel fanonem imponit sinistrę manui, ut quæ fragilitate, vel ignorantia peccat, Pœnitentiæ lacrimis abluat, et a vitiorum sordibus mentis oculos purget. Deinde pallium superponit, ut subditorum onera ferens, eis humilitatis exempla proponat, factus imitator Jesu Christi, qui languores nostros portavit. Demum Mitram accipit, ut duo Testamenta conservans, et duo præcepta charitatis adimplens, mereatur percipere vitam sempiternam. Cæteri Sacerdotes caput cooperiunt, quia ad hoc tendunt, ut Deum nuda facie contemplentur, vel nullo teguntur ornamento, quia nondum est plenum gaudium nostrum. Cumque his indumentis Episcopus adornatus, secure suscipit baculum, idest auctoritatem docendi. Post hęc ad Altare procedens Episcopus tapeta calcat, ut terram despicere, et amare cœlestia videatur. (c)

Quæ-

(a) Matth. V. 16. (b) I. Corint. XIII. 1.
(c) Consule Georg. *Liturg. Rom. Pontif.* l. cap. 28. 29.

Qualiter Sacerdos se præparet, & ingrediatur ad Missam cantandam.

XLII.

CUm itaque Sacerdos Missam dicturus se præparaverit ad induendum sacras vestes, Tertia cantatur in Choro, et ab ipsis Ministris, et Sacerdote, antequam se induant, et hos Psalmos aliquando prius Presbyter tunc dicere consuevit, scilicet (a) *Quam dilecta*. *Benedixisti*. *Inclina Domine*. *Fundamenta*. *Credidi propter*. *De profundis*. *Ad te Domine levavi*, *& Memento Domine*, et secundum varias consuetudines singulorum ad manuum ablutionem, (b) et ad singulas vestes, quisque Orationes facit et Preces, donec fuerit indutus, et quia Zacharias Papa (c) instituit in reverentiam Sacramenti, ne quis ingrediatur ad Altare cum baculo, et velato capite, et ne quis absque sacris vestibus, et in Altari consecrato Missam celebret, ideo quasi pugnaturus Sacerdos contra spiritalia nequitię in cœlestibus, sacris vestibus, quasi armis, induitur. Sumens sandalia pro ocreis, ne quid pulveris inhęreat pedibus, amictum pro galea, albam pro lorica, cingulum pro arcu, subcingulum pro pharetra, stolam pro hasta, mappulam pro clava, casulam pro clypeo, librum pro gladio, et sic armatus pro omnibus ad Altare procedit, et stans ante Altare cum Fratribus, vel Ministris, Diacono stante ad dexteram Sacerdotis, et Subdiacono ad sinistram, dicit (d) *Introibo ad Altare Dei*. Psalm. *Judica me Deus*, et dicitur totus cum *Gloria Patri*, et repetita Antiphona

[a] Alias preces exhibet Missale Venetum Sæculi XI., quod nostra possidet Bibliotheca. De Psalmis, quos recitat Sacerdos, ut ad Missam celebrandam se disponat, ac præparet, vide Durandum lib. IV. cap. 2. n. 1.

(b) Durand. Ibidem cap. 3.

(c) Legi Vitam Zachariæ I. ab Anastasio Bibliothecario, seu alio quopiam, quem Anastasium Bibliothecarium dixere, compositam, nihilque horum inveni. Fortasse alium consuluit noster Scriptor, Historicum, quo ego destituor. Cæterum multo antiquior est usus utendi vestibus sacris in Missa, & publico Dei cultu. Egere de eo Argumento præstantiss. Pontifex Benedict. XIV. *de Sacrific. Missa* sect. I. cap. IV. Georgius *de Liturgia Rom. Pontific.* To. I. pag. 27. 28. 29. 36. & seqq., & in vulgatissimis Romanorum Pontificum Vitis, quæ Anastasio Bibliothecario tribuuntur, de S. Stephano Papa, & Martyre hæc traduntur: *Hic constituit Sacerdotes, & Levitas, vestes sacratas in usu cotidiano non uti, nisi in Ecclesia tantum*; quæ quidem verba perspicue indicant sacrarum vestium in Sacrificiis, & publico divino cultu usum.

[d] Durand. IV. cap. 7. n. 1. & 2. Vide omnino, quæ docet Cl. Dom. Georgius *de Liturg. Rom. Pontif.* lib. III. cap. 9.

na *Introibo ad Altare quia sapiens (a) in principio Sermonis accusator est sui*, confisus de illo quod dicitur *(b) Dixi confitebor .... & tu remisisti*. Ut sine macula ingrediatur, Confessionem facit, ut per Confessionem Diabolo renuntiet, & postea Fratres, vel Ministri subdunt *Misereatur*, & faciunt similiter Confessionem more consueto. Deinde Sacerdos pro circumstantibus orans, Indulgentiam eis implorat. Sic etiam Christus pro nobis passurus adveniens, Patri Confessionem fecit cum dixit. *(c) Confiteor tibi Domine Pater Cæli, & Terræ*, & pro suis Deum adoravit Patrem. Ipse quoque nobis indulgens *(d) proprio Corpore nostra peccata portavit*. Demum Sacerdos dicit has preces. *Salvos fac Servos*, & *Esto eis Domine turris fortitudinis. Deus tu conversus vivificabis nos. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Sacerdotes tui induantur justitia. Ab occultis meis munda me. Ne intres in judicium cum servo tuo Domine. Propitius esto peccatis nostris. Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi Orationem meam. Dominus vobiscum*. Oratio *Aufer a nobis quæsumus Domine, intercedentibus istis, & omnibus Sanctis tuis, cunctas iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum mereamur puris mentibus introire*, & aliam Orationem *Parce Domine, parce peccantibus, & ut ad tuam propitiationem possimus accedere, Spiritum in nobis tribue corrigendi, per Dominum*. Vel aliæ dicantur secundum beneplacitum; & aliam Orationem *Deus qui corda fidelium*, & *Adsit nobis quæsumus Domine*, & *Mentes nostras quæsumus Domine Paraclitus*, & post finem Orationis, respondetur *Amen*. Item *Dominus vobiscum, & Benedicamus Domino*.

Qualiter Sacerdos ascendit ad Altare, & illud thurificat, & dat pacem Ministris. XLIII.

POstea Cruce argentea super Altare, & Cereis accensis loco suo positis (Crux enim argentea omnibus diebus Dominicis ad Missam popularem & Majorem, cum Cereis super Altare ponitur & festis nostræ Ecclesiæ) Sacerdos ascendens ad Altare, (e) primum se Crucis signaculo signat, & Altare osculatur in medio, ac si dicat: huc accessi, ut sim Vicarius Crucifixi, qui venit in Mundum, ut pro nostra pace in Ara Crucis penderet, et media caritate conflagraret. (f) Postea librum Missalem positum in dextera parte Altaris, et apertum osculatur. Exinde Ministros collaterales osculatur. Christus enim dixit *(g) Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Per Altare Judæos, per Evangelium Gentiles credentes intellige. Utrisque autem Christus pacem dedit, cum lapis extitit angu-

[a] Pro. XVIII. 17. Durand. IV. cap. 7. (b) Psal. XXXI. 5. (c) Matth. XI. 25. (d) *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum &c.* I. Petr. II. 21. 24. (e) Durand. IV. 10. (f) Luc. XII. 49. [g] Jo. XIV. 27.

angularis. Deinde Ministri se altrinsecus osculantur, quia cum bini missi sunt ad prædicandum Discipuli, dictum est eis. (a) *In quamcumque Domum intraveritis, dicite: pax huic Domui*. Postea dum Introitus, & Kyrie eleison cantatur in Choro, (b) Subdiaconus accipiens thuribulum de manu Acolythi, & tenens illud coram Sacerdote, Diaconus ibi mittit incensum super carbones, vel dat Sacerdoti, ut mittat, & illo signato a Sacerdote, Diaconus dat illud Sacerdoti osculans manum ejus in dando, & tunc Sacerdos incensat Altare, primum in facie, & postea superius in modum Crucis, & Coronæ Altare thurificat dicens: *Dirigatur Oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, ut tanquam de manu Angeli, fumus aromatum in conspectu Domini ascendat; Christus enim magni consilii Angelus, Carnem immaculatam, igne Sancti Spiritus plenam pro nobis in Ara Crucis obtulit in odorem suavitatis, & Orationes Sanctorum velut *fumus aromatum* (c), per ardorem charitatis ex passione Domini propagatæ ad Deum Patrem ascendunt, quæ nos ad Coronam provehunt æternitatis. Demum Sacerdos reddit thuribulum Diacono, & Diaconus in recipiendo manum ejus osculans, dat sibi incensum odorare, & Altare in circuitu incensat, & dat Subdiacono, & Subdiaconus reddit illud Acolytho. Deinde Diaconus post Sacerdotem, & Subdiaconus post Diaconum honeste manent.

De Introitu Missæ, & Kyrie eleison, & qui hoc constituerint in Missa (d).
XLIV.

INterim autem, dum hæc aguntur, Cantor Introitum ad Missam incipit, & Ministri hinc, & inde stantes cum Sacerdote legendo, & non cantando hæc dicunt. (e) Cœlestinus Papa constituit, ut ad Introitum Missæ, Officium cantaretur, nam in primitiva Ecclesia Epistola, & Evangelium tantum ante Sacrificia legebantur, & Officium Missæ a Lectione inchoabatur, qui mos adhuc in Sabbato Paschæ, & Pentecostes retinetur. Item Gregorius Dialogus, (f) ad majus gaudium de Christi Adventu præsentandum, trophos, & Antiphonas, ad introitum pro Psalmis, modulandas composuit. (g) Introitus autem laus est Ecclesiæ de Judæis, ideoque tria

(a) Luc. X. 5. (b) De hoc argumento copiosissime Cl. Dom. Georgius *de Liturg. Rom. Pontif.* lib. III. cap. 11. (c) Apocalyp. V. 8., & VIII. 3. 4.
(d) Clariss. Georgius ibidem capit. XII.
(e) Durandus lib. IV. cap. XII. n. 4., & multo uberius Cl. Domin. Georgius [*de Liturg. Rom Pontif.* lib. III. cap. 7.) quem consulas volo, allegat enim præclarissimorum virorum in eam rem testimonia.
(f) Georg. lib. III. cap. 7.
(g) Vide etiam quæ tradit Mabillon *de Liturg. Gallic.* lib. I. cap. 5.

tria continet, Antiphonam, Versum, & Gloriam, propter tres ordines Fidelium linguæ Hebraicæ, scilicet Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, vel desiderium antiquorum Patrum de Adventu Domini repræsentat. (a) Tropi qui solemnitatibus interferuntur, sunt Laudes ad Introitum convertibiles. Tropos enim græce, conversio dicitur latine. Dum vero Altare thurificatur, Orationes, scilicet *Kyrie eleison*, a Choro decantantur, quæ sunt vera incensa, de quibus dicitur. (b) *& data sunt ei incensa multa*. *Kyrie eleison* Græcum est, quod Silvester Papa, (c) de Græcis assumpsit. Sed constituit Gregorius novem *Kyrie eleison*, ad Missam cantari a Clero, cum olim cantaretur a Populo: & nota quod tribus linguis Missa celebratur, Hebraica, Græca, & Latina, quia Christi titulus in Cruce pendentis his scriptus fuit; Hebraica sunt *Alleluja*, *Amen*, *Sabaoth*, & *Osanna*. Græca *Kyrie eleison*, & *Hymas*, cætera sunt latina: *Kyrie eleison*, *Hymas* interpretantur *Domine miserere nobis*, scilicet qui redemisti nos sanguine tuo, quasi dicat: qui es Deus, & Homo, *Miserere nobis*. Novies autem complicat Ecclesia *Miserere*, quia per misericordiam *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, petit Angelorum ordinibus sociari, & præmittitur *Kyrie eleison* Missæ Officio, & Orationi Dominicæ, & cæteris Officiis aliquotiens, ut ejus Oratione *Muscæ morientes* abigantur, & mens Sacerdotis serenetur, ut digne cum Deo loquatur.

De Gloria in Excelsis, *quando dicatur, & quando non, &* Dominus vobiscum *(d)*. X L V.

Finito *Kyrie eleison* solus Sacerdos versus ad Orientem, & stans in medio Altaris, alte incipit *Gloria in Excelsis Deo*, & statim Diaconus, & Subdiaconus hinc, & inde accendentes devote Hymnum Angelicum cum Sacerdote dicunt submissa voce, & eam Clerus concinendo recipit lætabundus; *nam dum medium silentium tenerent omnia*, *veritas de terra orta est*, quæ sola hominibus *bonæ voluntatis*, pacem cum Deo, & Angelis dedit: vel solus incipit, quia solus Angelus in Nativitate Domini hunc Hymnum incepit, & ab Oriente venit Bethleem: & nota quod Thelesphorus Papa constituit, ut hic Hymnus Angelicus ante Sacrificium diceretur, & Hilarius adjunxit (e) *Laudamus te*, & cætera quæ sequuntur, quæ ante non dicebantur ad Missam. Symmachus etiam Papa constituit, ut idem Hymnus in Natalitiis Sanctorum, & Dominicis diebus fre-

(a) Durand. IV. 5. num. 7. 8. (b) Apocal. VIII. 3. (c) Durand. IV. 12.
(d) Durand. IV. 14. Et multo uberius Cl. Georgius *de Liturg. Rom. Pontific.* lib. III. cap. XIII. quod Caput integrum legas, opto.
(e) Mabill. *Liturg. Gallic.* lib. I. cap. 4. n. 6.

frequentaretur, quod ante non fiebat. Notandum est autem, quod in quolibet festo, unde facimus novem Lectiones, ad Matutinum dicimus *Te Deum Laudamus*, & ad Missam *Gloria in Excelsis*, præterquam in Quadragesima, & in Adventu: & quandocumque ad Matutinum dicimus *Te Deum Laudamus*, ad Missam dicimus *Gloria in Excelsis*, præterquam in Missa de Vigiliis Apostolorum. Item a Nativitate Domini usque Octavam Epiphaniæ, & a Resurrectione usque Octavam Pentecostes, cotidie ad Matutinum dicitur *Te Deum Laudamus*, & ad Missam *Gloria in Excelsis*. Hoc Hymno expleto (a), Sacerdos ad dexteram transiens, & ad Populum se convertens dicit *Dominus vobiscum*; & tunc Diaconus similiter se ad Populum vertit, & antequam Sacerdos finiat, revolvit se ad eum, & aptat sibi planetam reverenter. Hæc salutatio sumpta est de libro Ruth (b), ubi Booz dixit messoribus *Dominus vobiscum*, vel Paralipomenon, ubi similiter dictum est Regi Asa (c): & est hæc salutatio minorum Sacerdotum. Altera, scilicet *Pax vobis*, quæ sumpta est de Evangelio, (d) ad Episcopos pertinet, & Clerus respondens *Et cum spiritu tuo*, orat, ut Dominus sit cum spiritu Sacerdotis: et sumpta est hæc responsio de Apostolo, de Epistola ad Timotheum, ubi dicitur (e) *Dominus Jesus Christus sit cum spiritu tuo*, sed nunquam ita dicit Sacerdos Populo *Dominus tecum*, sed *vobiscum*, unde Sother Papa statuit, ut nullus Missam celebret, nisi saltem sit tertius secum.

Qualiter stare debeat Presbyter ad Altare, & ubi poni debeat liber Missalis in principio Missæ. XLVI.

Deinde Sacerdos revolvens se ad Altare, et manus elevans ad instar Moysi, vel Salvatoris in Cruce pendentis, (f) orans, et alios invitans orare, dicit *Oremus*, quia sub persona multorum loquens, orat autem in dextera parte, quia Christus a morte transivit ad vitam, unde sciendum est, quod liber Missalis in principio Missæ poni debet in dextro cornu Altaris, et usque ad Evangelium ibi manere. Quando autem Evangelium legi debet, est deportandus liber ad sinistrum cornu, et ibi debet

---

(a) Durand. IV. cap. 14. quod legas opto. Copiosissime, uti solet, & erudite Cl. Georgius III. *de Liturg. Rom. Pontif.* cap. XIV. de hujusmodi argumentum pertractat: eum consule: Sed nec omittenda sunt, quæ docet S. Petrus Damiani Opusc. IX. seu, si vis XII. { *liber* qui appellatur *Dominus vobiscum*. } (b) Cap. II. 4. (c) II. Paral. XV. 1. 2.
(d) Jo. XX. 19. 21. Aliud exemplum ex veteri testamento profert Petrus Damiani cap. 13. (e) II. 4. num. 22.

(f) Dexteram, & sinistram accipe ab eo, qui ad Altare accedit, seu Altare respicit. Eodem modo recipit Durandus lib. IV. cap. 23. n. 2.

debet manere usque ad Postcommunionem, & tunc recepto Sacrificio, liber ad dextrum cornu Altaris reportatur, et quare fiat, adtendamus. Per dexteram intelliguntur Judæi, et per finistram Gentiles, et ideo primo liber in dextro ponitur, quia Christus prius venit ad Judæos, de quibus natus est, et eis prius legem dedit cum dixit: (a) *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierant, Domus Israel*: et quoniam ipsi repulerunt Verbum Dei, Discipuli conversi sunt ad gentes docendas (b): unde ad cantandum Evangelium liber de dextro cornu Altaris ad finistrum deportatur, postea in fine Missæ reportatur ad dextrum, et ibi Missa finitur, ut per hæc ostendatur, quod etsi Judæi ad tempus propter perfidiam et duritiam repulsi sunt, et a Domino derelicti, in fine tamen salvabuntur, juxta illud *In diebus illis salvabitur Juda*, (c) unde versus:

Est ratio cur pars Altaris dextera Missæ
Principium finemque tenet, mediumque finistra.
Dextera Judæos, Gentiles lęva figurat.
Cœpit ab his, transfertur ad hos, refertur ad illos
Nostra fides, & erunt sub Mundi fine fideles.

Item in secreta, et quando conficitur Corpus Christi per verba Sacerdotis, Calix, et Hostia debent manere in medio, inter utrumque cornu, dextrum scilicet, et finistrum (d) ut per hoc ostendatur, quoniam Christus, cujus Corpus, et Sanguis ibi conficitur, *lapis angularis* per carnis assumptionem factus est nobis, conjungens duos parietes, idest duos Populos, Judaicum scilicet, et Gentilem in unum, idest in unam fidem Jesu Christi, qui est *mediator Dei, & Hominum* (e).

Unde dicatur Oratio, *vel* Collecta, *&* *quot modis terminetur.* XLVII.

(f) ORatio dicitur ab orando, qua bona corporis, et animæ, pręsentia et futura orantur: et dicitur *Collecta*, quia sub ea Populus colligitur, et petitiones Populi in unum colliguntur, ut per Sacerdotem referantur ad Deum. Proprie tamen *Collecta* dicitur *Oratio*, quæ in Processionibus super Collecta multitudine legitur, vel ad Portas Civitatum, vel ad compita viarum, vel ante januas Ecclesiarum. Orationes ex

(a) Matth. XV. 24. [b] Act. Apost. XIII. 46. (c) Jer. XXIII. 6.
(d) Nunc aliter collocamus: sed in veteribus Missalibus m. s. quæ possidemus, in quibus horum icon habetur, collocantur ut hic dicitur. Consule le Brun *de Missa* To. I. ar. VI. §. 4. n. 4. (e) I. Timot. II. 5.
(f) De hoc Argumento hic pariter consule Cl. Georgium *de Liturg. Rom. Pontif.* lib. III. cap. 25.

ex maxima parte diriguntur ad Patrem, et per Filium in Sancto Spiritu concluduntur quasi dicat: O Pater exaudi *per Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat*. Et nota quod in fine Orationum, aut dicitur *per Dominum*, aut *per eundem*, aut *qui tecum*, aut *qui vivis, & regnas*. In omnibus Orationibus, quæ fiunt ad Filium, semper in fine debet dici: *Qui vivis, & regnas*, ut in illa Oratione Adventus *Excita Domine quæsumus potentiam tuam*. In illis autem, quæ fiunt ad Patrem, aut facimus mentionem de Filio in fine Orationis, ut *Mentes nostras Spiritus Paraclytus, qui a te procedit*, aut per hæc nomina *Jesus Christus*, facimus mentionem de Filio in principio, vel in medio, vel in fine: tunc dici debet semper *Qui tecum vivit, & regnat*: ut *Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam*: Si vero facimus mentionem de Filio, sed non in fine, nec per illa nomina in principio vel in medio, vel in fine, tunc debet sequi, *per eundem Dominum nostrum*: ut *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui Unigeniti tui Redemptoris*, vel *Dominum nostrum*, ut *Deus qui salutis*. Si autem sit sermo ad Patrem, & non sit expressa mentio de Filio, nec de Spiritu Sancto, tunc concluditur. *Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum*. Item in illis Orationibus, quæ fiunt ad Patrem, vel ad Filium, si fiat in eis mentio de Spiritu Sancto, semper in fine ubi dicitur *in unitate*, addetur *ejusdem Spiritus Sancti Deus*, aliter non addetur, sed sine illo dicetur, ut prædictum est. Verum si Oratio dirigitur ad Trinitatem, concluditur sine Personarum distinctione sic: *Qui vivis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum*, ut Oratio *Suscipe Sancta Trinitas*. Aliquando etiam convertit Orator sermonem ad se, vel ad Populum dicens: *Quod ipse præstare dignetur*. In exorcismalibus etiam Orationibus dicitur: *Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem*. Quod quàm cito Diabolus audit, fugit timens judicium ignis, & aliquando *per Christum Dominum nostrum*, & respondetur *Amen*. Quod cum sit Hebræum, dicitur ab A, quod est *sine*, & *mene* quod est *defectus*, quasi sine defectu fiat nobis quod oras. In Evangelio autem ubi dicitur *Amen*, hoc est *fideliter*, vel *verum dico*. (a)

(a) Vide dicta ad Caput XXXIII. annot. (b)

Quot Orationes debeant dici in principio Missæ (a). XLVIII.

DEbet autem in qualibet Missa una dici Oratio, sicut una Epistola, & unum Evangelium, propter fidei unitatem, quia (*b*) *unus Deus, una Fides, unum Baptisma*, & quia Dominus ait: (*c*) *Orantes nolite multum loqui*; & Salomon (*d*): *in multiloquio non deerit peccatum*. Sed ex consuetudine quandoque dicuntur tres, vel quinque, vel septem: & præter hos numeros, alius non est regularis. Tres dicuntur propter Sanctam Trinitatem, quinque propter quinquepartitam Domini passionem, quæ fuit in quinque vulneribus consumata, septem, propter septem petitiones Dominicæ Orationis, vel propter septem dona Spiritus Sancti. Pares non dicuntur, quia *numero Deus impare gaudet*, qui firmior est, nec de facili patitur sectionem, vel divisionem, sicut par numerus, & cum devotione dicantur: Si enim Principi sæculari, qui est *Vermis*, & *Cinis*, est submissa voce loquendum, quanto majori devotione est Domino supplicandum, qui est Creator omnium? Quæcumque autem dicantur, sola prima Oratio, & ultima conclusione debita terminetur. Et nota, quod cum Sacerdos dicit Orationem alta voce, non debent alii verbis orare, sed illam Orationem corde adtendere, ut eâ dictâ respondeatur *Amen*. Immo tamdiu Fratres flexi, vel prostrati stare debent, quousque dicatur *in unitate Spiritus Sancti*, & cætera. Fiat præterea Oratio ex cordis puritate procedens, lacrimarum compunctionem inducens de irriguo superiori, & inferiori: Nam ut ait Gregorius *veraciter orare, est amaros in compunctione gemitus, & non composita verba sonare*. In voce tamen exultationis est Domino exultandum, sic tamen, ut mens voci concordet.

De Epistola ad quam partem legi debeat, & unde dicatur Epistola (e). XLIX.

POst hæc Subdiaconus lecturus Epistolam, prope conclusionem Orationis, vadit ad Pulpitum portans librum, præcedente ipsum Acolyto, & versus ad Orientem legit: non autem legitur in altiori Pulpito, quia dignior est Apostolica legali Doctrinâ, & Evangelica excellentior Apostolicâ: & cum legitur Epistola juxta Altare, lector stans ad dexteram Altaris, ad legendum similiter vertitur ad Orientem, & interim Sacer-

(*a*) Durand. IV. 15. Georgius ibidem cap. XV. n. 3., & seqq. (*b*) Eph. IV. 5. (*c*) Matth. VI. 7. (*d*) Prov. X. 19. (*e*) Durand. IV. cap. 16. Georg. ibidem cap. XVI.

cerdos sedet, innuens Christi Ascensionem, & ejus sedem ad dexteram Patris, & qui cum eo sedent, membra in pace quiescentia intelliguntur. Per eos qui stant, illa quæ sunt adhuc in certamine posita. Usus sedendi sumptus est a veteri testamento, sicut in Esdra legitur. (a) Sedente autem Sacerdote legitur Epistola, quia Christo ad Patris dexteram residente, prædicator Mundo Scripturas intonuit, & Populus obedivit: & dicitur Lectio a legendo, quia legi debet, & non cantari Epistola, dicitur ab *Epi* quod est *super*, & *stola* quod est *Missio*, quia sicut Prophetiæ super legem, sic Epistolæ super Evangelium sunt missæ. Unde loco Epistolarum aliquando Prophetiæ leguntur, sed tantum distant ab Evangelica majestate, quantum actio a contemplatione, servus a Domino, præco a Judice. Quare cum Epistola legitur, sine injuria sedemus, sed cum audimus Evangelium, Domino dimissis vultibus assistimus reverenter. Quidam tamen stant ad Epistolas Pauli, quia suam prædicationem Evangelium nominavit. (b) Lector significat omnem (c) *Scribam doctum in Regnum Cælorum, qui profert de thesauro suo nova, & vetera*: & ut eam legat, Officium est Subdiaconi, qui Manipulum in sinistro brachio portat, fimbriis adornatum, quia si securim judicii, quę posita est ad radicem arboris, juxta preconium Baptistæ portaverit, & cum perseverantia, quę per fimbrias intelligitur, dignos fructus pœnitentiæ fecerit, (d) cum exultatione manipulos justitię reportabit (e). Lecta Epistola, Acolytus reportat librum, & Subdiaconus vadit ad manum Episcopi osculandam, si est pręsens, & inclinatus recipit benedictionem ab eo.

De Graduali, Tractu, Alleluja, & Sequentiis unde habuerint originem, & unde dicantur.

L.

Gelasius Papa constituit *Collectas*. (f) Hieronymus Epistolas, & Evangelia ordinavit in libro, qui *Comes* dicitur, (g) sicut ipse ait ad *Constantinum* Episcopum. Post Epistolam Chorus canit *Gradualia*, Alleluja

(a) I. 9. v. 3. 4. X 9. 16.
(b) *Secundum Evangelium meum*. Rom. II. 16. *Quidam suspicantur, quotiescumque in Epistolis suis Paulus dicit:* juxta Evangelium meum, *de Luca significare volumine*. Hierony. (*de Scriptorib. Ecclesiast.*) de Luca scribens.
[c] Matth. XIII. 52. [d] Luc. III. 8. (e) Psalm. CXXV. 6.
(f) Idest *ordinavit*: nam procul dubio antiquiores Gelasio sunt, & nonnullæ antiquiores etiam esse videntur Leone Magno, & ad primæva Ecclesiæ tempora referendæ. Georg. III. *de Liturg. Rom. Pont.* cap. XVIII. in quo capite Vener. Thomasium, aliosque præstantissimos Viros allegat.
(g) De libro qui inscribitur *Comes* vide quæ docemur in admonitione præposita huic libro 523. 524. Tom XI. Oper. S. Hieron. edit. Veron.

luja, cum Verſibus, Pneumis, & Sequentiis. Uſus cantuum, ut in Eſdra legitur, originem traxit a veteri Teſtamento, & ex Hieroſolymorum Eccleſia, in uſum Romanæ Eccleſiæ venit teſte Beato Gregorio. Gradualia, Tractus, & Alleluja, Ambroſius, Gregorius, & Gelaſius compoſuerunt, (a) & ad Miſſam cantari ſtatuerunt. Sequentias (b) Notcherus Abbas Sancti Galli primo compoſuit, & Nicolaus Papa eas ad Miſſam cantari conceſſit. Cantatur autem Graduale æqualiter, & raro, a duobus in Choro, & eo cantato jungitur eis, vel aliis duobus Cantor, & cantant *Alleluja* cum Organo, in Dominicis, & Feſtis. Graduale dicitur, quia *Gradatim* canitur, vel in *Gradibus*, & dicitur Reſponſorium, quia Lectioni reſpondet Verſus quia vertitur ad ℟. *Tractus* a trahendo, quia tractim canitur (c). *Alleluja* ideſt *Laudate Dominum*. *Ja.* eſt unum de nominibus Domini, vel *Al.*, ideſt ſalvum *le.* me. *lu.* fac. *ja.* Domine. Verſus ad Alleluja revertitur. *Sequentia* dicitur, quia neuma jubili ſequitur. Cantus poſt Epiſtolas ſequitur, quia gaudia Eccleſiæ, & Laudes Deo poſt prædicationes de converſione credentium ſunt ſecutæ. Gradualia canimus, dum in lamentis pęnitentiæ laboramus, & de virtute in virtutem gradi conamur. Alleluja poſt Graduale canitur, quia poſt actionem ſequitur contemplatio. Poſt luctum pęnitentiæ canticum lętitiæ, quod Alleluja prius ſummotenus canitur, & poſtea cum jubilo repetitur, ſignificat, quod poſt gaudium præſentis contemplationis ad gaudium perveniėmus æternum. *Jubilus* ineffabile gaudium reprę̨ſentat; quod nec verbis exprimi, nec poteſt omnino taceri. Qui alte cantant, ſignificant Rectores Eccleſiæ: qui magna voce Deum laudant, & alios verbo, & exemplo ad laudandum invitant, qui ſummiſſe, illos qui in activa converſatione, virtutum gradibus ad altiora conſcendunt. Alii ſunt perfecti, & contemplativi, qui Alleluja in pulpitis concinunt, quorum converſatio eſt in Cęlis.

Qualiter Diaconus de Altari ſumat Librum Evangeliorum, & vadat ad legendum.
L I.

DEinde Diaconus, qui *Miniſter* interpretatur, (d) cum Alleluja juxta finem cantari cęperit, præparat ſe ad legendum Evangelium. Chriſtus enim, cum Evangelium prędicavit, Miniſter fuit, & tunc Sacerdos cum Miniſtris ad Altare accedit; & ſtatim Subdiaconus, accipiens thuribulum cum prunis ab Acolyto, reprę̨ſentat illud Epiſcopo, vel Sacerdoti, ut imponat incenſum, & ſignet illud: & poſtea Diaconus accipiens li-

(a) Durand. IV. 19. 20. 21. (b) Durand. IV. 22. 2.
(c) Conſule Lex: Calmet ad vocem *Alleluja*, ſeu Hallelu-iah.
(d) Domin. Georgius *de Liturg. Rom. Pont.* lib. III. cap. 18.

librum positum in sinistro Cornu Altaris osculatur ipsum librum & Altare, & tenens librum, accedit ad Episcopum, si est presens, alioquin ad Sacerdotem, qui cantat Missam, & inclinatus postulat benedictionem a Sacerdote dicens: *Jube Domne benedicere*, & Sacerdos dat ei dicens: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut competenter annunties Evangelium pacis*, & tunc signat eum Sacerdos, vel Episcopus, & statim Diaconus osculata manu Sacerdotis, et libro Evangelii, portans ipsum librum præcedentibus Acolytis cum Cereis accensis, & Subdiacono cum thuribulo, accedit ad locum legendi. Intendat ergo Diaconus, ut cor concordet cum labiis, ne infructuosa sit Oratio Sacerdotis. Per manum Sacerdotis munitur signo Crucis, quasi ei dicatur: *dum prædicaveris, Passionis Dominicæ non obliviscaris*. Diaconus est Ordo Apostolicus, cui benedixit Dominus, cum dedit ei Spiritum Sanctum, et misit ad prædicandum. (*a*) Hanc benedictionem Subdiaconus non accipit, quia Prophetas Deus invisibiliter misit, Apostolos autem, et Evangelistas factus visibilis visibiliter misit, et docuit. Diaconus de Altari accipit Evangelium, et Apostoli de Hierusalem legem Evangelicam susceperunt, quia de *Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem*: (*b*) idest de Judæis (*c*), a quibus translatum est Regnum Dei, & datum est Genti facienti fructus ejus: & portat Evangelium in sinistro brachio, quia in præsenti vita, quam sinistra figurat, (*d*) debet Evangelium prædicari, in futura enim omnis scientia destruetur, idest non erit opus magistrali Doctrina. Duo Acolyti cum Cereis sunt Moyses, et Elias, vel Lex, et Prophetæ. Subdiaconus qui thuribulum portat, odorem suavitatis prædicans ex igne Dominicæ Passionis, per fumum incensi bonam prædicatoris opinionem designat, ut aliis sit odor vitæ in vitam. Thuribulum præcedit Evangelium, quia bona fama operum debet præcedere Doctrinam verborum. Diaconus ad legendum ascendit Pulpitum, quia prędicator stare debet in monte virtutis, secundum illud (*e*) *Super Montem excelsum attollam te*: et illud (*f*) *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*. Pannus, vel pulvillus qui sub libro ponitur, est dulcedo mandatorum Dei, ut *quam dulcia faucibus meis eloquia tua &c.* (*g*)

Qua-

[*a*] Respicit ad verba Christi. Matth. X. 5. Luc. X.
(*b*) Isa. II. 3. (*c*) Matth. XXI. 43.
[*d*] *Quid namque per sinistram, nisi vita præsens*, quid vero *per dexteram, nisi perpetua vita designatur?* Gregor. Magn. Homil. XXI. in Evang. n. 2.
[*e*] *Sustollam te super altitudines terræ*. Isa. LVIII. 14. *Super excelsa deducet me Victor &c.* Habacuc III. 19. (*f*) Matth. X. 27. (*g*) Psal. CXVIII. 103.

Qualiter, & ad quam partem legatur Evangelium, & unde dicatur, & sequentia *(a)*.
L I I.

CUm autem super Pulpitum ad legendum Evangelium Diaconus venerit, Cereoferariis ex utroque latere stantibus, et Subdiacono ad ejus dexteram cum thuribulo fumigante, vertit se ad Aquilonem, a quo panditur esse malum, *(b)* quia his, qui a calore veri Solis recesserint, est fides Evangelica prædicanda: et primo salutat Populum, in quo auditores reddit attentos ad audiendum Verbum Domini, unde stat versus ad eos, cui Populus conversis cordibus ad Dominum, et vultibus ad Diaconum dicit: *Et cum Spiritu tuo*, quasi orans, ut sit Dominus cum Spiritu ejus, et faciat eum sane prædicare. Cumque Diaconus addit *sequentia Sancti Evangelii*, et cętera, reddit dociles auditores, et dicitur *sequentia*, quia sequitur initium, vel pręcedentia: quasi dicat, hoc non est initium Evangelii, sed hæc sunt sequentia verba Evangelii. Evangelium dicitur ab *eu*, quod est *bonum*, *& Angelus* quod *est nuntius*, quasi *bonum Nuntium*, nuntiat enim vitam post mortem, et requiem post laborem, et antonomastice quod Dominus ore proprio prædicavit, sibi nomen Evangelii vendicavit, et Populus respondet *Gloria tibi Domine*, quasi dicat quod in Evangelio prædicatur, et nos credimus et speramus, et exinde *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo gloriam damus*. *(c)* Interim vero dum Diaconus dicit *sequentia*, signat librum, et ipsum thurificat Subdiaconus: et cum respondetur *Gloria tibi Domine*, Diaconus et osculatur librum, et se signo Crucis munit, gratias Deo agens, qui eum orare docuit, quasi diceret hic est liber Crucifixi, et pacifici: et statim thuribularius secedit post Diaconum, ne incensi fumus ipsum fatiget in legendo, et qui audiunt similiter debent se signare primo cum pollice fronti signum Crucis imponentes, ut ostendant se non erubescere Dominum Crucifixum; postea os signent, et pectus, ut ore confiteantur, et corde credant.

Qualiter signum Crucis fiat in fronte, & in qua parte debeat terminari.
L I I I.

QUidam volunt a sinistra in dexteram esse signandum, ex hac auctoritate: egressus ejus a Patre, excursus usque ad Inferos, regressus

(a) Durand. IV. 23. & 24. Georg. *Liturg.* III. 28. 6. &c. (b) Jer. I. 14.
(c) Psalm. CXIII. 9. aliàs 1.

gressus usque ad sedem Dei. Incipit itaque signare se a superiori, quæ Patrem significat, descendit inferius, quasi in Mundum, et alleterat a sinistra in dexteram, quasi ab inferno ad Cęlum ascendens. Qui vero se signant a dextera in sinistram, ob hoc faciunt, quia Christus a dextera Patris veniens, Diabolum, qui est a sinistra, in Cruce premit: vel quia ob hoc Deus de Cœlo descendit, ut doceret nos (a) *primum quærere Regnum Dei*, et post hæc *alia adjicientur nobis*. Nota quod frontem, os, et pectus pollice signamus: et demum eadem tria loca simul tribus digitis comprehendimus, quoniam totam fidem nostram, Confessionem, et operationem ad Deum unum, et trinum referimus. Postea Diaconus dicit: *In illo tempore*, quasi in tempore gratię. Dum autem legitur Evangelium, summa cum reverentia audiatur, ut nullus sedeat, vel jaceat, vel appodiet se, nisi ex necessitate, quod nec simus pigri, aut dormientes, vel debiles, sed fortes, et stemus erecti, scientes quia (b) *non est nobis colluctatio adversus Carnem, & Sanguinem*, et baculos, idest legales observantias, deponamus, et velamina de Capitibus pro reverentia Evangelii, habentes faciem versam ad locum, ubi legitur Evangelium, ut attente videamur audire prædicationem Evangelicam, quæ abstulit velamina legis: (c) sed mulieres velamen in signum pudoris habent. Lecto Evangelio nos signamus, ne per insidias Diaboli semen corrumpatur in nobis rectę prædicationis, et postquam Diaconus se signaverit, librum osculatur, et thuribulum accipiens dat incensum Episcopo odorandum, et librum apertum Subdiaconus Sacerdoti, vel Episcopo porrigit adosculandum, quod fides Evangelica, quæ prius in lege fuerat clausa, nunc patuit manifesta.

Qualiter singulis diebus Dominicis debeat fieri ammonitio ad Populum pro pace, & pro aliis. LIV.

IN diebus Paschalibus, et magnis solemnitatibus in nostra Ecclesia ad Missam majorem statim post Evangelium prædicatur, in aliis diebus post *Sanctus*, vel, ut melius fit in quibusdam Ecclesiis, oblatione recepta, ad Populum sermo proponitur: unde sciendum est, quod omni die Dominico per totum annum semper in prima Missa populari post Evangelium receptis oblationibus, et cantato *Sanctus*, vel aliquando post *Agnus Dei*, Septimanarius revolvit se ad Populum, et annuntiat festivitates Sanctorum venturæ Hebdomadæ, præcipue illorum, de quibus facimus

(a) Matth. VI. 33. (b) Eph. VI. 12.
(c) I. Corinth. XI. 5. 6. (d) Durand. IV. 26. Georg. III. *de Liturg. Rom. Pontif.* cap. 19. copiosissime.

cimus novem Lectiones. Postea orat Populum, ut oret pro pace, & pro his qui vadunt, vel stant ad servitium Dei, ubicumque sint, ut eis Deus in bono opere perseverantiam præstet, & nobis sic concedat vivere in hoc sæculo, quod cum ipsis in Regno Cœlorum partem possimus habere. Item pro Infirmis in animo, vel corpore, ut eis Deus utriusque conferat sanitatem. Postea moneat, ut oret Populus pro Animabus Defunctorum, quæ cotidie Fidelium Orationes expectant, & aliquos nominat Defunctos, quorum obitus sit recens, vel dies Anniversarius; prius tamen incipit ab Episcopis nostræ Ecclesiæ, qui ex hoc sæculo recesserunt, & Rectoribus Ecclesiæ nostræ, & Canonicis, Familiaribus, Conversis, & Servitoribus Ecclesiæ, vel Hospitalis nostri, & pro omnibus sepultis in Cœmeteriis Sanctæ Ecclesiæ, & pro Animabus omnium Parentum nostrorum, & dicat, ut cantent *Pater noster* pro his, & pro omnibus Fidelibus Defunctis, & Clerus dicat Psalmum *De profundis*, & *Pater noster*, & Orationem *Absolve Domine animas parentum nostrorum, & omnium &c.*

Auctoritas Augustini de Sermone ad Populum faciendo.

Habetur autem ex verbis Augustini de Sermone ad Populum a Sacerdote faciendo (a): *Hortamur vos, paratos esse ad docendas plebes. Qui scripturas scit, prædicet Scripturas; qui vero nescit, saltem hoc quod notissimum habet, dicat plebibus, ut declinent a malo, & faciant bonum, inquirant pacem, & sequantur eam, quia (b) oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala.* Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, unde possit aliquid ædificare, mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout poterit, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore trahat, & ad bonum peragendum hortetur, & hoc omni Dominica faciant, sicut Judæi omni Sabbato per Synagogas verbum Populo proponebant. Ex Decretis etiam Conciliorum habetur, quod Sacerdote in Ecclesia verbum faciente, qui egressus fuerit de auditorio sine gravi necessitate, *excommunicetur*. [c] Item oportet, ut in diebus Dominicis, vel festis, post Sermonem inter Missarum Solemnia habitum ad plebem, Sacerdos ammoneat, ut juxta Apostolicam institutionem, omnes in commune pro diversis necessitatibus preces ad Dominum fundant, pro pace & aliis; ait enim Apostolus: (d) *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Qua-

---

[a] Locum hunc Augustini perquisivi, & minime inveni. [b] Psal. XXXIII. 16.
(c) Concil. Carth. (de *Consecr.* distin. I. cap. 63.) (d) I. Timoth. II. 1.

Qualiter Confessio, & Indulgentia Populo fiat. (a) LV.

Recte post lectum Evangelium fit prædicatio, ut Populus lecta intelligens, quæ audivit, studeat memoriæ commendare: nam Christus postquam Populo innotuit per Apostolos, idem ipse voce propria prædicavit: unde & Episcopus, vel Presbyter, quæ Christus docuit, prædicat. Ad ultimum vero Diaconus, vel Presbyter monens primo omnes, ut se humilient ad Deum, & faciant Confessionem, ut Deus det eis remissionem peccatorum, Confessionem facit Populo generalem hoc modo. *Confiteor Deo Omnipotenti Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Beatæ Mariæ semper Virgini, Sancto Michaeli Archangelo, Sancto Joanni Baptistæ, Sanctissimis Apostolis Petro & Paulo, Sanctis Martyribus Crescentio, Ansano, Savino, & Beato Victori, & omnibus Sanctis, quia multum peccavi per superbiam, in lege Dei mei, in multa mala cogitatione, delectatione, consensu, verbo, & opere: unde dico mea culpa, mea maxima culpa: peccavi Domine, miserere mei. Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem, Sanctum Michaelem Archangelum, Sanctum Joannem Baptistam, Sanctissimos Apostolos Petrum & Paulum, Sanctos Martyres Crescentium, Ansanum, Savinum, & Beatum Victorem, & omnes Sanctos & Sanctas Dei, & te Pater* (si est præsens Episcopus) vel *vos Ministros Dei, orare & intercedere pro me peccatore ad Dominum nostrum Jesum Christum*. Postea Episcopus, vel Sacerdos dicit: *Per intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beatorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, præterita, præsentia, & a venturis vos custodiat. Liberet vos Deus ab omni opere malo, salvet & confirmet in bono, & perducat animas vestras ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, & spatium veræ & fructuosæ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, & gratiam Sancti Spiritus, & perseverantiam in bonis operibus, tribuat vobis Omnipotens, pius & misericors Dominus. Amen*. Et statim elevans manum Episcopus, vel Sacerdos, & signans circumstantes, benedicit eos hoc modo: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen*.

(a) Durand. IV. 7. Recole tradita a Georgio *de Liturg.* III. cap. IX. & XIX. Vide etiam Sacerdotale Romanum.

Quando Credo in unum Deum *dici ad Missam debeat, & quando non.* *(a)* LVI.

FActa prædicatione post Evangelium, omnes ad Altare sicut venerant, revertuntur, librum Evangeliorum Subdiacono reportante, & Sacerdos, qui cantat Missam, incipit alta voce *Credo in unum Deum*, & Clero cantante quod sequitur, Ministri Altaris explent illud dicendo cum Sacerdote. Quando autem Sacerdos, qui cantat Missam, remanet ad Altare, tunc finito Evangelio, statim Sacerdos incipit *Credo in unum*, & cum Diaconus & Subdiaconus redeunt, thuribulum odorandum, & Diaconus librum osculandum Presbytero præbent & si Presbyter ad Altare canit Evangelium, Acolythus post Evangelium præbet ei solum incensum. Si tamen Episcopus in Choro fuerit; semper lecto Evangelio, Acolythi portant ad eum & fumum thuris odorandum, & librum Evangelii osculandum. Recte autem post Evangelium *Credo* canitur, quia quod Diaconus legit, & Sacerdos prædicavit, se Populus credere asseverat. Non tamen est in omni Missa *Credo* cantandum, sed specialiter in festis illorum, de quibus in ipso Symbolo fit aliqua mentio, scilicet in Natali, Circumcisione, & Epiphania: sed in nostra Ecclesia cotidie dicitur ad Missam a Nativitate Domini, usque Octavam Epiphaniæ, & in Resurrectione usque Octavam ipsius, & in Ascensione, & postea cotidie usque Pentecosten, & Octavam ipsius, & per totum annum in Dominicis diebus, & in Missa quæ cantatur *de Trinitate*, & in omnibus festis Beatæ Mariæ, & singulorum Apostolorum, & Evangelistarum, & Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis, & Sancti Laurentii, Sancti Joannis Baptistæ, in solemnitate omnium Sanctorum, & Sancti Martini, & Sanctæ Agnetis, & in festo Dedicationis Ecclesiarum usque Octavam, in propria Missa ipsius: & in propriis festis cujusque Ecclesiæ dicitur *Credo* in die festi, & in ejus Octava, sed infra Octavam illius non dicitur, sed per totam Hebdomadam Octavæ Assumptionis Beatæ Mariæ, & Octavam Apostolorum Petri & Pauli, cotidie in Missa de festo ipsorum *Credo* dicitur. *(b)* Sancti Patres in Niceno, & Constantinopolitano Concilio constituerunt *Credo*, ad Missam esse dicendum. Si autem aliquod festum novem Lectionum die Dominico veniret, & Missam majorem de ipso cantaremus, licet de ipso festo alia die *Credo* non diceretur, quia tamen de ipso major Missa, & die Dominica dicitur, ne aliquid solemnitati Dominicæ videatur esse detra-

---

(a) Durand. IV. 25. Georg. *de Liturg. Rom. Pontif.* III. cap. 20.

(b) Omnino legas volo, quæ de hoc argumento tradit Cl. Georg. capite XX. antea allegato num. 2.

tractum, tunc ipsa die Dominica, ad majorem Missam de festo, ipsum *Credo* non credimus omittendum. In quo, dum cantatur *& homo factus est*, genua flectimus, quia Christum hominem factum, & pro nobis Crucifixum adoramus. Interim Acolythus ablutis manibus vinum infundens Calici, & superponens oblatas Patenæ, cooperit omnia mundo linteo, & loco suo sedere facit. Cum finitur Symbolum, se quilibet signet, quia verbum est Evangelicum, & generaliter in omnibus verbis Evangelicis, debemus nobis signum Crucis imprimere, sicut in fine *Gloria in Excelsis*, & *Credo in unum*, & *Sanctus, Sanctus, Sanctus. Pater noster. Benedictus. Magnificat*, & *Nunc dimittis*, ea ratione, qua diximus, in fine Evangeliorum esse signandum, & ea stantes audire debemus.

Qualiter offeratur Patena cum oblata, & Calix cum Vino, & misceatur Aqua. (a)
L V I I.

Cantato *Credo*, Sacerdos se revolvens ad Populum dicit *Dominus vobiscum*, & post responsionem, ad Altare conversus, dicit *Oremus*, & statim Chorus cantat offerendam, & tunc Diaconus ascendens in gradum Altaris, osculato prius Altari, in medio Altaris expandit Corporale, ubi consecrandum est Corpus Domini, & Acolythus Calicem cum vino habente super Patenam panem consecrandum repręsentat Subdiacono, qui sumens Calicem ambabus manibus tenet illum ante Sacerdotem ad dextrum cornu Altaris, & Diaconus ibidem stans inter ipsum, & Sacerdotem sumens Patenam de Calice cum Pane, præbet Sacerdoti, osculando manum ejus, & Sacerdos illam recipiens, facit signum Crucis cum ipsa Patena, in loco ubi positurus est Hostiam, scilicet in sinistro angulo Corporalis, & Patenam reponit ad dexteram, sumens angulum Corporalis. Postea Diaconus de manibus Subdiaconi accipiens Calicem tenet eum ante Sacerdotem, & Subdiaconus accipiens ampullam aquæ ab Acolytho, porrigit eam Sacerdoti, osculando similiter ejus manum, & Presbyter eam sumens in modum Crucis, infundit de aqua in Calicem, & postea signat eum, & Diaconus faciens Crucem cum ipso Calice in loco medio, ubi positurus est illum, ponit eum in dextro lateræ Hostiæ, & cooperiens eum minori Corporali, & osculato Altari redit in locum suum stans. (b) Si qui tamen offerre voluerint, Sacerdos his dispositis, recipit oblationem a Populo, a parte Altaris dextera, quasi dicat populus: *Credo, & fidem*,

 quam

(a) Durand. IV. cap. 26. Georg. *de Liturg. Rom. Pontif.* cap. 21.
(b) Revera hodieque tam Diaconus, quam Subdiaconus in loco suo persistunt, usque dum sub finem Præfationis ad Altare accedunt, ut dicant cum Sacerdote *Sanctus, Sanctus &c.*

quam sum confessus, operis exhibitione demonstro. (a) Sic Moysi de Monte descendenti populus munera obtulit, (b) & Christo pro ipsa oranti, turba cum floribus occurrit (c) & Episcopo de pulpito venienti diversas oblationes offert, & primo viri offerunt, qui fortes in Christo designant, scilicet Martyres, quia dura perpessi in primitiva Ecclesia Christi victima occubuerunt, deinde fœminæ, quæ fragiliores designant, scilicet Confessores, qui tempore pacis Domino laudis Hostias obtulerunt. Cantus offerendæ hilaritatem offerentium significat; (d) *hilarem enim datorem diligit Deus*.

De Mysterio Panis, & Vini in Sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini (e). LVIII.

Offeruntur autem in hoc Sacrificio panis, vinum, & aqua in Mysterium Sacramenti: panis, quia Christus se panem asserit dicens: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi*, (f) de quo dicitur: *Panem Angelorum manducavit homo*, vel quia sicut panis conficitur ex multis granis, ita personale Christi Corpus ex multis membris, & generale, quod est Ecclesia, ex multis electis, & debet esse de grano frumenti, & non de alio, quia de se Christus dixit, *nisi granum frumenti* (g). Vinum offertur, quia Christus se vitem esse dixit: *Ego sum vitis* (h), vel quia sicut vinum conficitur ex multis acinis, sic personale Christi Corpus ex multis membris, & generale, quod est Ecclesia, ex multis fidelibus: vel quia de Christi latere Sanguis exivit, quem vinum significat. Item additur aqua, sicut Alexander Papa decrevit, (i) quoniam aqua de latere Christi exivit, & quia

[a] Durand. IV. 27. 3. &c. (b) Exod. XXXV. 1. 20. 21. &c.

(c) Perquisivi in Evangelio id quod de floribus Christo oblatis, dum pro turba oraret, traditur: & minime inveni. An hic respicitur ad postremum Christi ingressum in Hierosolymam: tum enim *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel?* Joan. XII. 13. Sed neque tum orasse pro eis dicitur Christus, neque ulla florum ei oblatorum mentio fit.

(d) II. Corinth. IX. 7. (e) Durand. IV. capp. 27. 30. Georg. III. *de Liturg. Rom. Pontif.* cap. 22. (f) Jo. VI. 31. 32. &c. (g) Jo. XII. 24. (h) Jo. XV. 1.

[i] In priore Epistola Alexandro I. tributa num. seu capite 4. hæc extant: *non debet enim (ut a Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in Calice Domini aut Vinum solum, aut Aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur*. P. Coustant, aliique Critici Epistolam hunc Alexandro I. adimunt: Cæterum etiamsi eam Alexandro I. tribuas, non continuo eum hujusce Sacri ritus auctorem facies: etenim in modo allegatis verbis non se hujus ritus auctorem facit Alexander, sed præconem, ac defensorem: *ut a Patribus accepimus*.

& quia aquæ multæ sunt Populi multi. Per hoc quod aqua vino miscetur intelligitur, quod Populus est redemptus Sanguine passionis Christi, & aqua Baptismatis: & licet hæ sint duæ species, unum tamen est Sacrificium, quia unitas Verbi unitatem efficit Sacramenti. In hoc Sacrificio est vita spiritualis sine vita animali, sicut lux solis sine calore nobis repræsentatur in corpore lunæ. Panis autem oblatus in Sacrificio, non debet esse de fermentato, ut secundum Paulum [a] *Epulemur, non in fermento veteri; sed in azymis;* ut inter Christum (qui de massa peccatrice carnem assumpsit sine peccato, velut azimum de fermento) & Christianum populum, qui per aquam figuratur, nihil intersit corruptionis; sicut inter frumentum, & aquam nihil est alienæ confectionis in azimo. Et formatur hic panis in modum denarii, tum quia Christus panis vitæ pro denario traditus est: tum quia idem verus denarius in vinea laborantibus est dandus in præmio, et in hoc pane Christi nomen scribitur, ut illum sumentes, in imagine Dei reparentur sperantes, quod eorum nomina scribentur in libro vitæ. Licet autem Christus credentes semel sua morte redemerit, hoc tamen Sacramentum Ecclesia cotidie necessario repetit ob tres causas, quia in vinea laborantes cotidie reficiuntur; ut Neophyti per illud incorporentur; et ut memoria passionis Christi mentibus Fidelium ad imitandum cotidie infigatur, unde dicitur panis *cotidianus*: (b) Et nota quod Subdiaconus portans Calicem, est Christus. Calix est passio, vel Corpus Christi, vinum est Sanguis, nam vinum in Calice est Sanguis in corpore. Patena Crucem, et panis corpus significat, Corporale Ecclesiam, vel munditiam Corporis significat. Corporale enim multo labore candidatur, et Ecclesia per multas tribulationes Christo conformatur. Vel Corporale significat Sindonem, (c) in qua Domini corpus legimus involutum. Ideoque Silvester Papa instituit Sacrificium Altaris duntaxat in panno lineo celebrari. Aqua designat Ecclesiam, et quod Diaconus corporale disponit, significat quod Evangelium humanitatem Christi aperte describit. Quod etiam Sacerdos dispensat oblatam in Altari, significat quod Christus Corpus suum Cruci affixit. Quod vero solus Sacerdos, et in dextro latere miscet aquam vino, significat quod solus Christus Populum suum suo Sanguine redemit, et e dextero (d) *ejus latere exivit Sanguis, & Aqua*: unde

Ara Crucis, tumulique Calix, lapidisque patena,
Syndonis officium candida byssus habet.

Qua-

[a] I. Corinth. V. 8. (b) Luc. XI. 3.
[c] Luc. XXIII. 53. Durand. IV. cap. 29. Rabanus Maurus *institution. Cleric.* lib. I. cap. 33. Georgius quoque III. *de Liturg. Rom. Pontif.* cap. 21. Quod hic de Silvestro traditur, a Criticis revocatur in dubium: ajunt enim eum morem fortasse vetustiorem esse. (d) Jo. XIX. 34.

Qualiter Sacerdos incensat Hostiam, & disponat eam in Altari.
LIX.

POst susceptam oblationem, Sacerdos rediens ad Altare, thus imponit thuribulo, Diacono illud tenente, et Subdiacono vas incensi præbente, et signat illud, unde Versus:

Sunt tria quæ signes, vas, thus, signabis & ignes.
Vas, homo, thus, psalmus, calor intus, Spiritus almus.

Signato, et accepto thuribulo fumigante Sacerdos facit Crucem cum thuribulo super Hostiam tertio, et in circuitu circulum ter. Et nota quod Leo Papa constituit, (a) ut eo tempore quo Evangelium legitur, et post Offertorium super oblata incensum poneretur, in morte nostri Redemptoris. Deinde incensat Altare desuper undique, et in facie, et reddit thuribulum Diacono, qui osculans manum ejus, et incensum odorandum sibi præbens, et ante aliquantulum sibi planetam retrahens, postquam totum Altare incensavit in circuitu, vadit incensare alia Altaria superiora, semper ipsum Acolytho præcedente. Quibus incensatis, dat incensum Subdiacono, et vice versa Subdiaconus sumens thuribulum porrigit illud odorandum Diacono, et postea vadit, et incensat alia Altaria, et dat Clero in Choro. Incensatio circa Hostiam significat, quod Christus pro nobis oblatus Patri fuit odor suavitatis. Inter hæc Sacerdos, ut disponat Hostiam, prius lavat manus, Acolytho ad sinistram aquam præbente sibi, et postea mappula quæ est in ea parte, manus astergit, quia Dominus antequam passus Hierusalem ingrederetur, lacrimas pro nobis fudit, (b) ut in suscitatione Lazari: et priores Sacerdotes immolaturi, (c) se in labro æneo lavabant, quod munditiam operum figurabat. Hoc facto stant Diaconus, et Subdiaconus post Sacerdotem in ordine suo. Deinde priusquam Sacerdos intret in consecrationem Sacramentorum, vertens se ad Populum dicit: *Orate Fratres*, et Christus mo-

(a) Quis omnium prior thus in Missa adoleri præceperit, ignoratur. Valde antiquus sane est ritus ille, & multi a veteri testamento derivant. Utinam noster Auctor locum indicasset, ex quo hæc, quæ tradit, accepit. Sane Cl. Petrus le Brun *explication. Missæ* To. I. pag. 65. editionis Veronensis, & rursus Tomo II. pag. 32. n. 22. loca Patrum Leone vetustiorum profert, in quibus mos iste se prodit. Alia porro veterum Scriptorum idem le Brun alibi allegat, in quibus ritus iste valde laudabilis ostenditur. Muratorius quoque, Vir sane præclarus, pag. 265. Tomi I. *Liturg. Rom.* antiquissimum ritum hunc esse demonstrat, allegatis scilicet ad id ostendendum iis *Canonibus*, quos *Apostolicos* dicimus (Can. III.) Eusebio lib. I. *demonstra. Evangel.*, & Ambrosio lib. I. cap. 28. expositionis in Lucam.

(b) Luc. XIX. 4. Jo. XI. 35. (c) Exod. XXX. 28. 29. 20.

monuit Apostolos orare (*a*). Ideoque Psalmis, et Orationibus ab hinc debemus studiosius intendere: et tunc Diaconus similiter se revolvens, et citius ad Sacerdotem revolutus, detrahit ei planetam, ut decentius corpori inhæreat. Quotiescumque autem Presbyter ad Populum salutandum vertitur, semper eum Diaconus similiter faciendo imitatur. Subdiacono se numquam movente cum eis, et postea Sacerdos super oblatam recitat secretam, quod significat quia Christus in Monte Oliveti secretius ab Apostolis segregatus oravit: vel significat Christi latibulum ante Passionem. (*b*)

Qualiter post Secretam Sacerdos incipiat Prefationem & quid sit Prefatio, & quot sint (c). LX.

DEinde Sacerdos vocem levans alte Secretam concludit sic *Per omnia sæcula sæculorum*, et respondetur *Amen*, quia proxime Pascha jam palam Dominus ambulabat, maxime cum Lazarum suscitavit. Postea dicit *Dominus vobiscum*, quod innuit Orationem, quam Christus pro Discipulis fecit. Per *sursum corda*, quod postea subdit, ut Cyprianus ait (*d*), monet quod omnis cogitatio carnalis abscedat, nec quidquam animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Per *gratias agamus* Christi recolimus gratiarum acti)nem, et populum invitamus ad agendum gratias Deo, et Patri per Filium, per quem redempti sumus, unde sequitur Prefatio, idest sequentis Canonis prælocutio, et præparatio. Et nota quod in Prefationis principio (*e*) forma hujus litteræ , ponitur in Sacramento. V enim Christi significat humanitatem, D vero Divinitatem, illa enim ex una parte aperitur, et ex alia parte clauditur, quia Christi humanitas ex Matre visibiliter, ex Spiritu Sancto invisibiliter fuit, et hæc littera circuloso orbe concluditur, quia Divinitas æterna est, sine

[*a*] Matth. VI. 5. 6. 7. 9. &c. (*b*) Luc. XXII. 39. 40. 41. &c. (*c*) Duran. IV. 33. Cl. Georg. To. III. diss. II. num. 6. pag. XXV. & seqq., & lib. IV. 1. & seqq., & pag. 301. & seqq.

(*d*) Duran. ibidem num. 5. Cypriandm in rem hanc allegat: citans Canonem *Cypriano de Consecr.* distinct. I. cap. LXX. in quo hæc extant: *Item Cyprianus serm. VI.* de Oratione Dominica; *Quando autem stamus ad Oration-m, fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis carnalis, & sæcularis abscedat: nec quidquam tunc animus, quàm id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante Orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo* Sursum corda: *ut dum respondet plebs* habemus ad Dominum, *admonentur nihil se aliud, quam Dominum cogitare debere. Claudatur &c.* Hæc verba extant in editione Cypriani a Baluzio cępta, & ab Optimis Monachis S. Mauri perfecta col. 425. edit. Venetæ. (*e*) Formam hanc describimus ex Missali sæculi XI. nostræ Bibliothecæ, & ex Ven. Card. Thomas. *lib. Sacram.*

sine principio, et fine. Signum Crucis in medio est Christi Passio, et hęc ideo figura in principio Pręfationis ponitur, quia per Mysterium unionis, et Dominicæ Passionis pacificantur homines Angelis, sociantur humana Divinis in præconio Salvatoris: unde alta, et delectabili voce cantantur Pręfationes, quia per eas Angelorum præconia repręsentantur. Et nota quod cum olim essent innumeræ Prefationes, (*a*) Pelagius Papa novem præfationes elimato sermone composuit: scilicet de *Nativitate*, de *Epiphania*, de *Jejunio*, de *Cruce*, vel *Passione*, de *Resurrectione*, de *Ascensione*, de *Adventu Spiritus Sancti*, de *Trinitate*, de *Apostolis*. Urbanus decimam Præfationem adjunxit, scilicet de *Beata Maria*, est etiam undecima, cotidiana scilicet, cui quidem interseruntur aliæ post *ęquum & salutare*, aliæ post *æterne Deus*, aliæ post *Dominum nostrum*, et in omnibus præfationibus sermo dirigitur ad Patrem, cui majestas, quasi major statio, vel potestas adtribuitur propter auctoritatem.

Quæ Præfationes singulis diebus dicantur per totum annum.
LXI.

SCiendum est quod Præfatio Nativitatis, scilicet *Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, quia per incarnati Verbi Mysterium*, et cætera, dicitur a Vigilia Nativitatis Domini cotidie usque Vigiliam Epiphaniæ. Item Præfatio Epiphaniæ, scilicet *Omnipotens æterne Deus, quia cum Unigenitus*, et cætera dicitur a Vigilia Epiphaniæ usque Octavam ejusdem. Item ab Octava Epiphaniæ usque feriam quartam in initio Quadra-

dra-

(*a*) Recole, quæ allegavimus ex Cl. Georg. Tom. III. pag. XXVIII. &c. Vide Gratianum III. Par. *de Consecr.* distinct. I. cap. 71. *Invenimus &c.* Indubitatum est tamen adhuc alias præfationes adhiberi ab Ecclesia. In Dominica *Palmarum* ad benedictionem Palmarum canitur adhuc vetustissima præfatio, quæ Constantini temporibus composita creditur: nam in ea canimus *benedicunt te Sancti tui, quia illud magnum Unigeniti tui nomen coram regibus, & potestatibus hujus sæculi libera voce confitentur*, quibus verbis palam innuitur, antea *Sanctis* (Christianis scilicet) *non licuisse coram regibus, & potestatibus hujus sæculi libera voce confiteri magnum Unigeniti* (Æterni Patris) *nomen*. Canit quoque Pontifex in ordinationibus Sacrorum Ministrorum peculiares præfationes. Olim quoque (quod ex vetustis Codicibus manifesto comperimus) etiam post Præfationes hic indicatas Missæ *pro mortuis* peculiares præfationes habebant: hodieque Augustiniani Eremitæ in solemnitate S. Augustini peculiarem præfationem concinunt: & Fratres Minores in diebus festivis S. Francisci, & *Missis votivis* peculiarem recitant præfationem, in qua hæc extant: *Æterne Deus, qui venerandum Confessorem famulum tuum B. Franciscum tua, Deus, altissima bonitate, & clementia Sanctorum tuorum meritis, & virtutibus sublimasti &c.*

dragesimæ; dicitur communis Præfatio, scilicet *Per quem Majestatem tuam*, illam videlicet, quæ posita est cum secreta in quolibet Missali: item a quarta feria usque Dominicam de Passione cotidie dicitur Præfatio Quadragesimalis de jejunio, scilicet *Æterne Deus*, *Qui corporali jejunio*. Quidam tamen Dominicis diebus in Quadragesima consueverunt dicere communem Præfationem. Item a Dominica de Passione usque Resurrectionem dicitur Præfatio de Cruce, scilicet *Æterne Deus*, *Qui salutem humani generis*. Item a Vigilia Resurrectionis Domini usque ad Ascensionem cotidie, sive sit festum, sive non, & sive fiat Missa de festo, vel non, semper dicitur Præfatio de Resurrectione, scilicet *Æquum*, *&* *salutare: Te quidem Domine omni tempore*. Item a Vigilia Ascensionis Domini cotidie dicitur Præfatio de Ascensione usque Pentecosten, scilicet *Æquum*, *&* *salutare*, usque *per Christum Dominum nostrum*, *qui post Resurrectionem suam*, & cætera. Item a Vigilia Pentecostes usque Octavam ejusdem dicitur Præfatio de Pentecoste, scilicet *Æquum*, *&* *salutare*, usque *per Christum Dominum nostrum*, *qui ascendens super omnes Cœlos*. Item ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini, & non amplius, dicitur Præfatio *de Trinitate*, scilicet *Æterne Deus*, *qui cum Unigenito Filio tuo*, & dicitur tantum in Dominicis diebus; aliis autem diebus, & ab Adventu Domini usque Nativitatem ejusdem, & in communibus festivitatibus Martyrum, Confessorum, Virginum, et in Missis Defunctorum, (a) dicitur tantum communis. Præfatio autem Beatæ Mariæ propria ipsius dicitur Præfatio, scilicet *Æterne Deus*, *&* *te in Nativitate*, vel *Purificatione*, vel *Annuntiatione*, vel *Assumptione Beatæ Mariæ*, & cætera. Similiter in festis Apostolorum habetur propria, scilicet *Æquum*, *&* *salutare*, *Te Domine suppliciter exorare*, *ut gregem tuum*, et cætera. Sed in Vigiliis Apostolorum dicitur tantum communis Præfatio, et in festis Sanctæ Crucis dicitur Præfatio *de Cruce*. Si autem aliæ inveniantur Præfationes in Missalibus, non sunt autenthicæ, nec debent dici.

Quis instituerit Sanctus Sanctus *ad Missam cantari (b)*. LXII.

DIcta Præfatione, cum *Sanctus* in Choro cantari cœperit, (c) Diaconus, et Subdiaconus hinc inde accedentes ad Sacerdotem, cum

[a] In multis vetustis Missalibus extat propria Præfatio in Missis Defunctorum, uti dixi, qua de re fortasse alibi. (b) Durand. IV. 34. Egreg. Card. Bona *Rer. Liturg.* II. 10.

[c] In libro Pontificali Damaso adscripto in Vita Xisti I. hæc extant. *Constituit, ut Missarum actionem Sacerdote incipiente, populus Hymnum decantaret, Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. De hoc Argumento vide quæ docet Cl. Georgius *de Liturg. Rom. Pontif.* lib. IV. cap. 2.

eo hunc Hymnum Angelicum dicunt. Hunc Hymnum Beatus Sixtus Papa, et Martyr ad Missam cantari decrevit, non solum a Clero, sed etiam a Populo, et in Dominica Palmarum pro recenti gloria sui ortus, devotissime, et celeberrime proclamari. Quod ibi ter *Sanctus* repetitur, significat, quia ibi Trinitas collaudatur. *Dominus Deus* semel dicitur, quia unitas adoratur: *Sabaoth*, idest *exercituum* (Angelicorum). Hoc est sumptum de Isaia, qui vidit Seraphim clamantia *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* [a]. *Hosanna in Excelsis*, sumptum est de Evangelio, et repræsentamus clamorem Fidelium, de humani generis redemptione gaudentium, et dicentium Hosanna, quasi Hosianna, idest Salva, obsecro: et quod Hosanna bis dicitur, significat, ut corpore et anima, vel in utroque sexu, vel in utroque Populo inter Angelos deputemur: et nota quod in hoc Angelorum concentu, quandoque Organis, et Musicis utimur instrumentis, quod David instituit, scilicet Hymnos in Dei Sacrificiis cum Organis, et instrumentis Musicis jubens concrepari, ut omnis etas, omnis Ordo, omnis sexus, et conditio Hosanna Regi Altissimo, voce, et corde clamet in excelsis.

De Majori Secreta, quæ Canon dicitur, qualiter dici debeat, & qui composuerint eam. (b) LXIII.

POst hæc Diaconus accipiens Patenam de Altari, et deosculans dat eam Subdiacono, qui tenet eam involutam usque post Orationem Dominicam, stans post Sacerdotem in loco suo, et Diaconus similiter stat retro post eum, in quo significatur fuga Apostolorum, qui in Passione Christi fugerunt. Si qui vero retro Altare stant, in Sacerdotem respicientes, significant Mulieres, quæ a longe stantes Christi Passionem viderunt: omnes autem circumstantes maneant inclinato capite, Majestatem Divinam, et Incarnationem Domini venerantes, et Apostolorum mestitiam significantes, quam de Morte Christi habebant. Incipiens autem Sacerdos Canonem, se signat in fronte, et inclinato capite, cum reverentia ad Mysterium Crucis accedens, expansis manibus, ut Christus in Cruce stetit, dicit *Te igitur*, et cætera. *Canon* græce dicitur *Regula*, quia per hunc regulariter fit Divini consecratio Sacramenti. Clemens Papa constituit in Canone *Te igitur*. Pelagius Papa constituit, quod Catholicus non sit, qui Romani Pontificis memoriam in Missa prætermittit. Siricius Papa constituit *Communicantes*, et *memoriam venerantes*. Leo Papa adjunxit in Canone *Hanc igitur oblationem*. Gregorius Junior addidit, vel

[a] VI. 3. [b] Georgius *Liturg. Rom. Pontif.* To. III. diss. I. lib. IV. cap. 3. & sequentibus, quæ omnino legas oportet ad subsequentia etiam capita illustranda. Lege etiam, quæ docet egreg. Card. Bona *Rer. Liturg.* II. 10. 11. &c.

vel *quorum solemnitas hodie*. Alexander Papa Passionem, idest *qui pridie quam pateretur*, et cætera miscuit in Canone. Sub silentio autem Canon dicitur, quia Deus non oris, sed cordis clamorem attendit. Unde Dominus: *(a) Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*. Vel ne longa declamatione deficeremus, vel ne Populus orare impediatur, qui tunc orare tenetur, vel ne verba tanti Mysterii per cotidianum usum vilescant, vel ad significandum quod tantum Mysterium humana ratio capere non potest, nec debet tantum Sacramentum sine lumine celebrari; lumen enim significat Spiritum Sanctum, qui hoc consecrat Sacramentum. Nota quod in tribus Missis *de Nativitate Domini*, interponitur in secreta *Communicantes*, et in die Sancti Stephani, et in die Epiphaniæ ad Missam in secreta interponitur, et in Vigilia Resurrectionis usque ad aliud Sabbatum. Postcommunio eadem dicitur in Vigilia, et in die Paschæ, et in secunda feria in festo Ascensionis: et in Vigilia Pentecostes Postcommunio: *Sancti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio &c.*, et in die Pentecostes dicitur.

Qualiter signetur Calix ad finem Secreta, & quis Orationem Dominicam instituerit in Missa cantari. (b) LXIV.

JUxta finem Canonis, cum Presbyter paululum expressa voce silentium interrumpit, dicens *Nobis quoque peccatoribus*, pectus percutimus, memorantes Latronis Confessionem, & ejus petitionem, scilicet (c) *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*: & tunc Diaconus accedit ad Altare. Cum Sacerdos oblatam levaverit, ut signet cum ea Calicem, discooperit eum Diaconus, & post signatum calicem Diaconus cooperit eum Corporali, & osculato Altari, reddit in locum suum, & cum Sacerdos alta voce dixerit *per omnia sæcula sæculorum*, ipsemet Sacerdos elevat Calicem de Altari, & iterum deponit. Conclusio, quæ fit alta voce, significat quia Dominus magna voce tradidit spiritum, (d) vel quia Centurio clamavit: *vere Filius Dei erat iste*. Oblatæ levatio Christi depositionem de Cruce, Depositio vero collocationem in Sepulcro demonstrat. Quod Sacerdos Hostiam osculatur, innuit Passionem Domini esse factam nostram reconciliationem. Postea Sacerdos dicit: *Oremus. Præceptis salutaribus*, & cætera: & ab hoc loco maxime, usque ad finem Orationis Dominicæ, intentre

 orare

(a) Matth. VI. 6.

(b) Durand. IV. cap. 40. Omnino legas oportet quæ docet Cl. Georg. *Liturg. Rom. Pontif.* lib. IV. cap. 12. num. 4. 5., & subseqq.

(c) Luc. XXIII. 42. (d) Matth. XXVII. 50. 54.

orare debemus. [a] Beatus Gregorius instituit Orationem Dominicam dici ad Missam, quia eam ipse Dominus dictavit, & quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam Orationem solummodo oblationis Hostiam consecrarent. Apud Græcos ab omni Populo dicitur, apud nos a solo Sacerdote, & alta voce canitur, ut communicaturi, sicut ibi continetur, offensas sibi dimittant, vel ideo non sub silentio dicitur, quia est de Evangelio, vel propter simplices, et versutos: sunt enim quidam, qui eam non intelligunt, aut obliviscuntur, & sunt alii qui odium gerentes in corde, nolunt dicere. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, ut audientes in publico, ab illo vitio purgentur, ut *(b) Sol non occidat super iracundiam.*

Quomodo Sacerdos ad perceptionem Corporis Christi accedat, & Ministros Communicet in Missa.
LXV.

CUm autem post Orationem Dominicam Sacerdos Orationem, quæ sequitur, dicere secrete cœperit, Diaconus iterum accedit ad dextrum cornu Altaris, et ibi receptam a Subdiacono Patenam deosculans, dat eam Sacerdoti, osculans manum ejus: et nota quod Subdiaconus, qui Patenam reservat, corda Sanctarum Mulierum repræsentat, quæ per latitudinem caritatis in obsequio Christi patebant, dum Corpus Domini aromatibus ungere veniebant. Per hoc quod Subdiaconus Patenam Diacono præbet, recolitur, quod Mulieres Resurrectionem Christi credentes eam Apostolis nuntiarunt, quæ postea Domino suæ fidei latitudinem obtulerunt, Sacerdos vero consignans se cum ipsa Patena, et deosculans eam, imponit super eam Corpus Domini, et tunc Diacono discooperiente Calicem, Sacerdos Hostiam in tria dividit super Calicem, et duas partes ponit super Patenam, et tertiam partem tenens super Calicem, alta voce dicit *per omnia sæcula sæculorum*: et postquam responsum fuerit *Amen*, cum ipsa tertia parte Corporis Domini, Crucem infra Calicem faciens, et in quatuor partibus eum tangens, similiter alta voce dicit *Pax Domini sit semper vobiscum*, et respondetur, *& cum spiritu tuo*: tunc ipsam Particulam in Calicem mittit, quem statim Diaconus cooperit. Postea dicit Sacerdos cum Ministris, ter *Agnus Dei*, et dicto *Dona nobis pacem*, idem Sacerdos daturus pacem Ministris, sumit pacis osculum ab ipsa Eucharistia, vel secundum quosdam ab Altari, vel Calice, vel libro aperto, et ibi juxta Altare a dextera parte dat pacem Diacono, et Subdia-

(a) Recole quæ hic tradit Cl. Georgius.
[b] Eph. JV. 26.

diacono, & Diaconus dant inter se. Postea Subdiaconus portat in Choro pacem Clero, & statim Sacerdos partes Corporis Domini positas super Patenam sumit, & Patenam super Calicem a Diacono discoopertum excutit suaviter, ut si quid super eam remanserit, in Calicem cadat, & Diaconus elevans Calicem de Altari cum Sanguine, porrigit eum Sacerdoti, qui postquam inde gustaverit, deponit Calicem in Altari, & communicat Ministros, si opus fuerit, tertiam partem Hostiæ si necesse fuerit, dividens inter eos, & de Sanguine dat utrique gustare, aliquando tamen altera de siccis partibus reservatur pro infirmis in Pyxide, cum incumbit necessitas, & si tantum illam cum Sanguine Sacerdos sumet, & ex altera de siccis Ministros communicaret, [a] & tertiam reservaret Infirmis, si necessitas exigeret, non peccaret. Dum autem sumitur Hostia ad Altare, Fratres in Choro inclinato Capite dicant has Orationes: *Hujus Sacramenti susceptio* & aliam: *Omnipotens sempiterne Deus qui facis mirabilia magna solus*, & cætera: & nota quod in singulari Oratione tamdiu prostrati jacere debemus, quousque cogitationes vanas comprimamus: ut ait Gregorius: in conventu vero breviter est orandum, & facto signo ab Oratione surgendum.

Mysterium, quare Oblata frangitur in tres partes. LXVI.

[b] OBlata ideo frangitur, (c) quia Dominus in Cœna Panem *Benedixit, & fregit*. Hæc, & illa fractio significat Corporis (d) Chri-

---

[a] De hoc Argumento deinceps. Interea constat Ministros ipsos sine Calice per solam Hostiam fuisse aliquando communicatos. De tempore porro, & causa intermissi Calicis in communione, vide quæ tradit Cl. Georgius Tom. III. *Liturg.* pag. 187. 192., & 193., Mabillon, de Marca, Baronium, S. Thomam, aliosque Viros præclaros allegans.

(b) In Rubricis Missalis hodieque legitur: *Submittit Patenam Hostia, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem per medium, dicens &c.* (c) Matth. XXVI. 26.

[d] Locus iste nonnullis visus est valde difficilis ad explicandum: obsistere enim eum putant celeberrimis illis locis (Joan. XIX. 32. 33. 34. 36.) *Venerunt ergo milites: & primi quidem* (Latronis) *fregerunt crura, & alterius, qui Crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit: & continuo exivit sanguis, & aqua. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura adimpleretur.* (Exod. XII. 9., & seqq. *Numer.* IX. 12. *Os ejus non confringent: Os non comminuetis ex eo.*) Sed me quidem judice minime obsistit. Christi ossa non fuisse confracta Joannes affirmat: de Carne Christi id non affirmat: immo videtur revera, latiori saltem significatione, fuisse confractam, item ut confringebatur caro Agni Paschalis, qui figura erat Christi: neque enim aliter comedi illa, & vorari poterat. Vide loca *Exodi*, & *Numerorum* quæ paulo ante allegavi. Nonne *confractio* vera est scissio illa, quæ effecta est in pedibus, & manibus per clavos apertis, &

Christi fractionem in Cruce, aut Panis fractionem, in qua Dominus cognitus est in Emmaus, (a) post Resurrectionem. Pars mixta Sanguini significat Ecclesiam militantem in terris, quæ adhuc involvitur sanguine, idest in peccato; aliæ duæ, illos, qui sunt in Purgatorio, vel qui dormiunt in Sepulcris usque ad diem Judicii, & qui triumphant in Cœlo. Unde versus (b):

Tres partes fracta Christi de Corpore signant,
Prima suam Carnem, sanctosque secunda sepultos.
Tertia viventes, hoc est in sanguine tinctos.

Vel

& scissis, & latere lanceæ ictu transfixo; (*videbunt in quem transfixerunt.*) Jo. XIX. 38., & Zacch. XII. 10. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Rursus: *Infer digitum tuum, & vide manus meas* (apertas clavorum vulnere) *& mitte in latus meum* (Joan. XX. 27.) Sane Durandus huic explicationi prælucere videtur, dum hæc ait (lib. IV. cap. 51. n. 20.) *Frangitur* (Hostia) *in tres partes, primo in memoriam Trinitatis . . . . tertio vero in memoriam, & signum, quod Christus passus fuit in triplici parte sui, idest in pedibus, in manibus, & in latere:* idest maxime passus fuit: nam hæc ferro penetrata fuere, & discissa, & hac significatione, uti dixi, confracta. Pulchre Ecclesia in Hymno in laudibus Dominicæ *de Passione*:

Felle potus ecce languet.
Spina, clavi, lancea
Mite Corpus perforarunt:
Unda manat, & cruor:
Terra, pontus, astra, Mundus
Quo lavantur flumine:

Libet porro hic adjicere, quę ex Gregorio Nysseno producit præclariss. Combefisius [in addit. ad Catenam Auream Joan. Fer. VI. in Parasceve.] *Vide manus clavis perforatas, intuere latus lancea confossum. Infer digitos tuos in fixuras clavorum; mitte manum tuam in vulnus lancea. Conjice omnino quam alte cuspidem infixam fuisse par sit, tantum ad interiora per vulneris latitudinem aditum apertum considerans. Quod enim vulnus humanam capit manum, quantum intus pervasisse ostendit.* Sed quis prætereat quæ Egregius Mabillon commentariis illustrans Missale Gothicum lib. III. n. IV. *Ordo Missæ in die Nativitatis Domini; Post secreta:* ad verba illa *Corpus tuum in peccatorum nostrorum confractum* pag. 192. docet. „ Hæc verba videntur alludere ad antiquam consecrationis formam, quæ in Ordine Ambrosiano, & forsan etiam in Gallicano sic efferri solebat: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis confringetur:* quæ verba ex Apostolo desumta sunt, nempe ex I. ad Corinthios cap. 11. v. 24. ubi κλώμενον in græco legitur, id est *quod frangitur*, in Vulgata, *traditur*. Quemadmodum verò post *Sanctus* in hoc Ordine Gothico solet repetere Sacerdos, *Verè Sanctus, verè benedictus:* sic & post utramque consecrationem, dicto, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, id protestatur dicens: *recolimus passionem tuam. Corpus tuum . . . . confractum: sanguis sanctus tuus . . . . effusus est*, quod repetit ex verbis consecrationis. „

(a) Luc. XXIV. 13. 30. 31. (b) Durand. IV. 51. n. 39.

Vel tripartita fractura Trinitatem. Particula, quæ sanguini jungitur, Filii Personam insinuat, quæ sola Carnem assumpsit. Post pacis osculum sumitur *Eucharistia*, quasi dicatur, in unitate non est, qui non est particeps Corporis ejus. Et primo Sacerdos communicat, sumens Corpus per se de Altari, nullo ministrante, quia Christus nullius Ministerio Corporum nostrorum restaurationem perficiet, Sanguinem vero de manu Diaconi sumit, quoniam animarum per Ministerium hominum reficit redemptionem. Postmodum Sacerdos communionem Ministris distribuit. Sic Christus partem piscis assi, & favi mellis comedit, & reliquias Discipulis dedit, (*a*). Licet autem Hostia, vel Corpus Christi sic frangatur in Sacramento, totus tamen & integer Christus permanet in Cœlo, & idem est in quolibet Altari, & in qualibet particula totus, (*b*) sicut in speculo tota videtur imago, & in qualibet ejus fractura tota pariter per se videri potest imago.

De Benedictione Episcopali, & quare Agnus Dei *dicitur in Missa.* LXVII.

HOc loco cum Episcopus in solemnitatibus Missam celebrat, dicto *Per omnia sæcula sæculorum*, & responso *Amen*, datur Baculus Pastoralis Episcopo, & ipso Mitram habente, & ad Populum revoluto, Diaconus versus ad Populum, alta voce dicit: *Humiliate vos ad benedictionem*, & Chorus respondet *Deo gratias*: Postea dicta benedictioue, & confirmatione, scilicet *quod ipse præstare*, & cætera, reversus Episcopus ad Sacrificium, & eorum desiderium videns, qui responderunt *Amen*, dicit: *Et pax ejus sit semper vobiscum*, & respondetur *Et cum Spiritu tuo*. Et hæc dicens Episcopus cum Particula signat Calicem, & eam infundit Calici, quia cunctis in Cœlo, & in terra pacificatis, ad Corpus rediit anima Jesu Christi. Postea dicto ter *Agnus Dei* (*c*), & pace data Ministris, sumit Episcopus Dominici Corporis Sacramenta. Interim autem dum Sacramenta sumuntur, ter *Agnus Dei* a Choro cantatur, quod Sergius Papa in

(*a*) Luc. XXIV. 43. 44. (*b*) Concil. Trident. Sess. XIII. *de Euch.* can. 3. Et S. Thomas Opusc. LVII. *Manducatur itaque a Fidelibus, sed minime laceratur: quin immo diviso Sacramento, sub qualibet divisionis particula integer perseverat.* Et in Sequentia in Missa festi Corporis Christi.

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.

(*d*) Georg. *de Liturg. Rom. Pontif.* lib. IV. cap. 15. & 26.

in hora confractionis Dominici Corporis, a Clero, & Populo decantandum constituit. Christus *Agnus* dicitur propter innocentiam, vel ab agnoscendo quod pendens in Cruce Patrem agnovit obediendo, Matrem Virgini commendando, Genus humanum cognovit redimendo. Petimus ergo, ut ille qui nos redemit sua Passione, nobis eam repræsentantibus misereatur, & quia ad hoc passus est, ut faceret pacem, rex pacificus nobis pacem tribuat. (a) *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi miserere nobis*, hoc sumptum est de Evangelio, & ter cantatur propter Superiorem triplicem agnitionem, vel quia Corpus Christi triformiter intelligitur: scilicet ambulans intra nos, quiescens in sepulcro, & residens in Cęlo, vel quia petimus pacem pectoris, ut simus a peccato liberi, & pacem temporis, ut simus *ab omni perturbatione securi*, & pacem æternitatis, in qua æternaliter quiescamus, & merito bene dicitur *Miserere nobis*, & semel *dona nobis pacem*, (b) eo quod in hac duplici vita, scilicet actionis & contemplationis, est nobis misericordia necessaria. In alia vero pax nobis concedetur æterna. In Missa pro Defunctis dicitur *dona eis requiem*, & in tertio additur *requiem sempiternam, & locum indulgentiæ cum Sanctis tuis in gloria*. Innocentius Papa constituit pacem post Consecrationem Corporis, & Sanguinis Domini in osculo dandam, [c] quia Christus resurgens, humano generi pacem dedit. Populus vero propterea se invicem osculatur, quia Domini sui gratiam, & Angelorum concordiam per mortem Christi, & ejus Resurrectionem, se promeruisse gratulatur, & quia cum simus filii Dei Patris, & Ecclesiæ Dei Matris, sumus fratres in Christo: & quia nos qui carnis propagine de Adam conjungimur, etiam caritatis vinculo connectamur, sicut in osculo caro carni, & Spiritus Spiritui jungitur, vel ut per pacis osculum Sacerdotalis communionis partem capere Populus videatur.

Qualiter Sacerdos post Sacrificium manus astergit, & librum reportat ad dexteram. LXVIII.

Recepta Communione a Sacerdote, & omnibus Ministris, communicatis qui fuerint communicandi, Diaconus replicat Corporale, & in suo loco reponit, & si quid remanserit ex corpore, cum maxima diligentia recondit. Quo facto Sacerdos lavat super Calicem extremitates digitorum utriusque manus, cum quibus Corpus Domini consecravit, Diacono juxta Altare Calicem de subtus tenente, & Subdiacono Vinum fundente, & postea lavat eosdem digitos aqua super baccinum ab Aco-

(a) Jo. I. 29. [b] Quando id diei ceptum est, docet Gavantus in locum hunc. Meratus quoque. Porro hinc constat, ritum hunc ante Joannem XXII., cui plerique eum tribuunt, fuisse in usu. [c] Epist. XXV. n. 4. *Pacem &c.* *De Consecr.* distinct. 2. cap. 9. Vide annot. Petr. Coustant.

Acolytho data. Deinde digitis extensis cum manutergio, quod positum est in cornu Altaris, exhaurit Vini lavationem, quæ est in Calice, & sic omnibus compositis, Diaconus & Subdiaconus redeunt stare in loco suo post Sacerdotem. (a) Interim vero cantatur *communio* in Choro, quæ est gratiarum actio, & significat hilarem Apostolorum de Resurrectione collationem, vel, ut cum justis Dei gratiæ communicemus. Postea Sacerdos librum Missalem ad dexteram Altaris transportat, quod significat Christum in fine sæculi ad Judæos reversurum, *(b) quia cum plenitudo gentium intraverit, Israel convertetur ad Dominum*, & revolvens se ad Populum, Diacono similiter se volvente, & Planetam aptante, salutat Populum dicens: *Dominus vobiscum:* quæ ultima salutatio significat æternam salutem, vel illam benedictionem, qua Dominus ascensurus in Cœlum discipulis benedixit. (c) Sequitur Oratio, quæ *Postcommunio* vocatur, in qua Sacerdos orat pro his, qui ad Communionem accesserunt Eucharistiæ; & debet esse una hæc Oratio, vel tot in numero, quot a principio fuere Collectæ, & significat Orationem Domini Nostri Jesu Christi, qua apud Patrem cotidie *interpellat pro nobis* [d].

De conclusione Missæ, & quando dici debet Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino. LXIX.

POst ultimam Orationem Sacerdos iterum salutat Populum conversus ad eos: quos enim salutamus, eis faciem præsentamus, & Diaconus cum eo similiter versus ad Populum, postquam a Choro fuerit responsum *& cum Spiritu tuo*, alta voce dicit: *Ite Missa est*, quæ dicitur conclusio Missæ, ubi notandum est, quod in quacumque Missa dicitur *Gloria in Excelsis*, illa terminatur per *Ite Missa est*, & est sensus. *Ite post Christum, & sequimini eum, quia Hostia, per quam fracta sunt tartara, est missa pro vobis ad Deum Patrem placandum: ergo nolite sedere, sed ad Patriam festinate, ut ubi est Corpus, illuc & aquilæ congregentur.* (e) Sive autem Sacerdos, sive Diaconus hoc dicat, semper hic dicendo stat converso vultu ad Populum, ad quem dirigit sermonem, cui Chorus, & Populus respondent *Deo gratias*, & est hoc tractum, ab eo quod Populus accepta licentia (f) Pharaonis, abiit de Ægypto, & gratias Deo retulit: (g) vel a Cyro permissus, de Babylonica captivitate Hierusalem rediit, & Deo gratias egit. Sic & nos pro acceptis beneficiis nostræ redemptionis, referamus gratias Creatori, qui sedens ad dexteram Dei interpellat pro nobis:

Ooo unde

(a) De ablutione, de qua hic agitur, copiose le Brun *de Missa* differens Par. V. ar. 9. §. 3. pag. 272. To. I. edit. Veron. Adjice quæ docet Martene *de Antiq. Monach. Ritib.* pag. 182. 184. 185. 187., & 220. & 221.

[b] Rom. XI. 25. Isa. LIX. 20. [c] Luc. XXIV. 50. 51.

(d) Rom. VIII. 34. Hæbr. VII. 25. [e] Matth. XXIV. 28.

(f) Exod. XII. 31. 32. &c. (g) II. Para. XXXVI. 22. &c. Esdr. I. 1. & VI. 3.

unde Apostoli post Ascensionem gratias agentes Deum benedicebant. In aliis autem Missis, in quibus *Gloria in Excelsis* non dicitur, Sacerdos, vel Diaconus post salutationem ad Altare conversus, dirigens faciem ad Orientem, & mentem ad Deum, dicit *Benedicamus Domino*, & responso a Choro *Deo gratias*, Sacerdos prius osculato Altari, & se signo Crucis signato, incipiens ab Oriente, Populum in omni parte Ecclesiæ benedicit. Hæc benedictio significat illam, quam Christus post Resurrectionem dedit Discipulis, (*a*) vel quam Spiritus Sanctus, in die Pentecostes Fidelibus attulit, vel per quam Ecclesia Sponsi thalamum gloriosa intrabit, & sumuntur hujusmodi finales Benedictiones a veteri more; nam Patriarcha Jacob in novissimo suæ vitæ, filiis benedixit. (*b*) Sic & Moyses Populo Dei benedixit, (*c*) & sic Dominus discipulis ante Ascensionem protectivam contulit benedictionem. Sed in fine Missæ pro Defunctis dicitur: *Animæ omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*, & respondetur *Amen*.

De solutione Officii quod Sacerdos cum Ministris facit post Missam. LXX.

POst Missam communicatur Populus vel Corpore Christi, vel Pane benedicto, Sanctæ Communionis vicario; nam in primitiva Ecclesia, in qualibet Missa omnes communicabant, quia dixerat Dominus *sumite ex hoc omnes*, quod adhuc faciunt Græci, [*d*] sed licet numero sit aucta Ecclesia, quia tamen propter carnales est sanctitate diminuta, & refriguit charitas multorum, ne ad judicium sibi manducent, institutum est ab Ecclesia, ut ter in anno communicent, scilicet *Nativitate*, *Pascha*, & *Pentecoste*, (*e*) & propter hoc triplex datur remedium, scilicet pacis

(*a*) Luc. XXIV. 50. (*b*) Gen. XLIX.

[*c*] Deuter. XXXIII. 1. &c. (*d*) Jam dudum apud Græcos mos ille in desuetudinem abiit, *Eulogias* tamen dispensant.

[*e*] Duobus ab hinc annis (idest anno 1215.) celebratum est ab Innocentio III. Concilium Lateranense IV. Generale; in quo constitutum est, ut saltem semel in Anno, idest Paschate, Sacram Communionem Fideles reciperent, quæ propterea appellata est *Paschalis*. En quæ capite XXI. tradita sunt [pag. 935. Tomi XIII. editionis Albritianæ] *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepul-*

pacis osculum, Panis benedictus, qui singulis diebus Dominicis in quibusdam Ecclesiis datur, & in Quadragesima Oratio quæ dicitur *super Populum* expletis Missæ Mysteriis. Sacerdos rediens in vestiarium, præcedentibus eum Diacono, & Subdiacono, incipit Antiphonam *Hymnum trium puerorum*, & dicunt Psalm. *Benedicite Sacerdotes Domini Domino*, & cætera, usque *superexaltatus in sæcula*. Item Psalm. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, & cætera, usque *omnis Spiritus laudet Dominum*. *Gloria Patri*, & cætera. Antiph. *Hymnum trium puerorum*, & cætera. Capitulum *Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi, Deus misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. R. *Deo gratias*. R. *Esto nobis Domine turris fortitudinis*. ℣. *A facie inimici*. *Gloria Patri*, & cætera. ℣. *Ab occultis meis &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum*. Oratio *Deus qui tribus pueris*, & cætera, & aliam *Actiones nostras*: & si dicta est Missa Defunctorum, his additur *De profundis*, & Oratio *Absolve*. Interim Subdiaconus exuit Sacerdotem, & post Acolithus Diaconum, & Subdiaconum: & tunc cantatur Sexta post Missam majorem: & nota quod Toletanum Concilium instituit Hymnum trium puerorum cantari post Missam, & negligentes anathemati subdidit, (a) ut pro beneficiis omnibus Deo gratias reddamus, qui est *Benedictus in sæcula*. His omnibus rite perfectis, Sacerdos cum Ministris ante Altare veniunt, & ibi reverenter facta Oratione, postmodum ordinate exeunt in Claustrum, quia Christus legatione perfecta, in gloriam Patris ascendit, & nos de carceris exilio rapiemur in gloriæ libertatem.

pultura. Decretum istud aliorum subsequentium Conciliorum, aliisque etiam Ecclesiasticis sanctionibus confirmatum est: decretum illud seligimus, quod a trium provinciarum Episcopis in Monasterio S. Rufi anno Dom. 1337. celebratum est, & *Avenionense* appellari consuevit: atque hoc quidem Concilium tanto in honore est habitum, ut ex eo Vaurense anno 1368. celebratum multa desumpserit. Cap. porro IV. hujusce Concilii hæc habentur: *Item desiderantes, illud praeceptum Generalis Concilii pro animarum salute, & Catholica fidei . . . quod omnis utriusque sexus postquam ad annos discretionis pervenerit, reverenter recipiat ad minus in Paschate Eucharistia Sacramentum, sic a Christi Fidelibus sollicitudini nostra commissis efficaciter observari, quod nulli, quæsitis coloribus, & simulatis devotionibus . . . fraudent potius semetipsos; præsentis deliberatione Concilii statuimus inhibendo, quod Curati nostrarum Civitatum, Diœcesum, & Provinciarum, nulli Parochiano suo . . . in festo Pascha . . . concedant licentiam recipiendi, nisi in causa infirmitatis, nec etiam alicui conferendi, seu ministrandi Sacramentum Eucharistia extra Ecclesias suas Parochiales*. Id rursus præcepit Tridentin. Concil. sess. XIII. *de Eucharist.* Can. IX

(a) Lege, obsecro, quæ de hoc argumento docent Mabillon *de Liturgia Gallicana* pag. 108. Card. Bona *Rer. Liturg.* II. 20. 6. Domin. Georg. To. III. *de Liturg.* pag. 218.

Quibus horis diei debeat Missa cantari de legitima ratione.
LXXI.

LEgitima tempora sacrificandi, ut in Niceno legitur Concilio; et Telesphorus Papa VII. a Petro instituit, (a) & Gregorius approbavit, sunt hæc: die Dominico, & in festis hora Tertia: in aliis diebus Tertia, & Sexta, & in diebus jejuniorum hora Nona, alias nunquam, nisi inevitabili necessitate, ante has horas fiat. Post Nonam vero nullo modo, Tertia enim Cœlos ascendit, & eadem hora est Dominus Crucifixus linguis Judæorum, & a militibus flagellatus, Sexta est immolatus, & manibus Crucifixus, Nona expiravit. Quod autem aliquotiens summo mane, vel post Nonam Missa cantatur, non est ex ordine, sed ex necessitate, quod qui faciunt, excusationem habent cum Discipulis, qui vellebant spicas in Sabbatis, (b) & cum David qui comedit panes propositionis, [c] vel quia Christus mane surrexit, & post Nonam est sepultus. Semel autem in die ab uno Sacerdote debet Missa celebrari, nisi cogat necessitas, scilicet vel pro Mortuis, quia Christus semel pro nobis voluit immolari.

De Tertia, Sexta, & Nona hora diei, & earum Mysterio. (d)
LXXIII.

(e) DAniel tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, ut in ejusdem libro legitur. Per quæ tria tempora, Tertia, Sexta, & Nona secundum Hieronymum intelliguntur. (f) Per horum-nam-

---

(a) Adimunt multi Telesphoro decreta hæc. Vide Criticos, veluti Petr. Coustant *Rom. Pontif. Epist.* pag. 59. Utcumque sit, de argumento, de quo hoc capite agitur, copiose, & erudite differit Meratus in Gavant. Par. I. Tit. XV. Eum consule. De hic allegato Nicæni Decreto vide Criticos.

(b) Luc. VI. 1. (c) I. Reg. XXI. 6.

[d] Durand. V. cap. 6. & seqq. [e] Daniel. VI. 13.

(f) Revera in commentariis in locum hunc *tria autem* [inquit S. Doctor] *sunt tempora, quibus ideo flectenda sunt genua: tertiam horam, sextam, & nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus Sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere, ad Orationem ascendit ad Cœnaculum, Nona, Petrus, & Joannes in templum.* Recole dicta cap. XXIX. hujusce partis.

que temporum spatia, ternarius numerus emicat, eo solo nos admonens, ut per trium horarum curricula Officium peragentes, Sanctam Trinitatem Sacris Laudibus, in Hymnis, Psalmis, & canticis glorificemus. [a]. Tertia ideo celebratur, quia ea hora crucifixus est Dominus linguis Judæorum, (b) & eadem hora in die Pentecostes Spiritus Sanctus super Apostolos descendit. [c] Sexta ideo, quia ea hora Dominus ascendit Crucem, offerens se Deo Patri pro nobis, & [d] eadem hora Petrus volens comedere, ad orationem ascendit Cœnaculum, in quo vidit visionem vasis (e). Nona ideo celebratur, quia ea hora Filius Dei commendavit Spiritum in manus Patris, (f) & Petrus, & Joannes ascenderunt in Templum ad horam Orationis Nonam; unde patet Apostolos per certas horas servasse statuta Divinorum Officiorum, & auctoritate Veterum istæ horæ celebri Officio decorantur. Verum in his tribus horis triplex status innuitur, præliantium, proficientium, & fatiscentium. In Tertia præliantes ajunt: (g) *Respondebo exprobrantibus mihi verbum*. In Sexta proficientes adjungunt: (h) *Tota die meditatio mea est* (lex tua). In Nona fatiscentes dicunt: [i] *Tribulationes & angustiæ invenerunt me*. Per Antiphonas caritatem exprimimus, sub qua Psalmos concludimus, si per eas opera nostra Domino commendamus, juxta illud: (k) *Omnia opera vestra in caritate fiant*. Capitulum est boni Pastoris ad opera exhortatio. Responsorium est hilaris operariorum responsio. Versus, qui ostendit, quod ad Deum mente vertimur, est boni operis fructus. Oratio est Pastoris ad operarios commendatio. *Benedicamus Domino*, & *Deo gratias*, est operariorum ad Pastorem gratiarum actio. Et nota, quod in his horis, diebus ferialibus quibus ploramus peregrinationem nostram, preces interferuntur, quibus utimur in obsecrationibus, Orationibus, & postulationibus pro nobis, & pro omnibus in commune, ut *Ego dixi Domine miserere mei &c.*, sed in festivis eas omittimus, quia recolimus nostram, & Domini Resurrectionem, & qui *manentem Civitatem non habemus*, Cælestem Hierusalem inquirimus, ubi non habebit locum miseria, & ideo tunc pro miseris non implorabitur misericordia.

Qui-

[a] Eph. V. 19. (b) Matth. XXVII. 23. Act. II. 1. &c.
(c) Matth. XXVII. 45. Jo. XIX. 14. 16. 17. &c.
(d) Acto. X 9. &c. (e) Matth. XXVII. 46. 50.
(f) Acto. III. (g) Ps. CXVIII. 42.
(h) Ibidem v. 97.
[i] Ibidem v. 143. *Tribulatio, & angustia invenerunt me*.
[k] I. Corinth. XVI. 14. *Omnia vestra in caritate fiant*.

Quibus diebus per totum annum jejunare debeamus. LXXIV.

NOtandum quod a Pascha Resurrectionis usque ad decimo septimo Kalendas Octobris cotidie *bis* manducare licebit, nisi in Vigilia Ascensionis, & jejuniis quatuor temporum, & vigilia Beati Joannis Baptistæ, & Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Jacobi Apostoli, Sancti Laurentii, Assumptionis Beatæ Mariæ, & Sancti Bartholomæi Apostoli. Item a decimo octavo Kalendas Octobris usque ad secundo Idus Novembris, qualibet Hebdomada tantum sexta Feria, & Vigilia Sancti Matthæi Apostoli, & Apostolorum Simonis & Judæ, & solemnitatis Omnium Sanctorum jejunamus. Deinde a secundo Idus Novembris, usque ad Adventum Domini, secunda, & quarta, & sexta feria, & Sabbato, qualibet Hebdomada jejunamus. Item ab Adventu Domini usque ad Nativitatem ejusdem cotidie jejunamus in cibo Quadragesimali; & diebus Dominicis a carnibus abstinemus. Postmodum a Nativitate Domini usque Octavam Epiphaniæ cotidie bis manducare licebit, & ab Octava Epiphaniæ usque Quinquagesimam, qualibet Hebdomada tantum sexta feria jejunamus. Postea a Quinquagesima dimittimus Carnes, & incipimus cotidie jejunare.

De Benedictione Mensæ in mane ante prandium. LXXV.

OMni tempore, antequam comedamus in mane, pulsata hora tertia, dicitur in ferialibus diebus Tertia Sanctæ Mariæ, & statim Tertia cantatur de die, qua finita fit intervallum, donec cum silentio Dominica Oratio dicatur, & statim dicitur Sexta Sanctæ Mariæ, & postea Sexta de die; sed in diebus Dominicis Tertia, & Sexta Sanctæ Mariæ simul post Majorem Missam dicuntur, & postea Sexta de die, qua finita, Fratres exeunt ordinate, & facto Choro ante Capitulum, a Præposito, vel Archipresbytero, vel Hebdomadario dicitur *Benedicite*, & ℟. *Dominus*. Quo facto, Septimanarius Mensæ, omnibus præparatis in Refectorio pulsat Cymbalum, & Fratribus venientibus ad Mensam, idem Septimanarius Canonicus ponit fercula pro singulis Canonicis in Mensa, & si deest Canonicus, ejus serviens, vel alius de Fratribus supplet, sed cum plura ferculorum genera sint ponenda, Canonicus ponit primum, et postea, si vult, vadit sedere cum aliis, et serviens ejus ponit hora congrua reliqua. Positis ferculis, et lotis manibus, et Fratribus ad Mensam stantibus, Archipresbyter, vel Sacerdos Canonicus, qui Officia inchoavit, incipiens, et omnes Fratres cum eo, simul dicunt *Benedicite*. ℣. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escas ipsorum in tempore opportuno:*

aperis

aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri, et cætera. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster,* et cætera; et eo dicto ab omnibus cum silentio, Sacerdos dicit expressa voce *Et ne nos inducas,* et respondetur, *sed libera nos a malo,* et inde dicit: *Oremus. Benedic Domine nos, & omnia tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Dominum Nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Postea Lector cum reverentia petit benedictionem dicens: *Jube Domne benedicere,* et Sacerdos dicit: *Mensæ cælestis participes nos faciat Rex gloriæ:* Vel *de cibo spiritali reficiat Dominus mentes nostras:* Vel *cibum nobis appositum benedicat omnipotens Dominus. Amen.*

De Benedictione Mensæ post prandium in mane. LXXVI.

Finito prandio, et dato signo cymbali a Majori, Lector imponit finem dicendo *Tu autem Domine* et respondetur *Deo gratias;* et tunc Archipresbyter, vel Præpositus sonat Cymbalum, quo pulsato, Fratres hinc inde per ordinem exeunt extra Mensam, et omnibus stantibus in ordine Sacerdos incipit, et omnes cum eo dicunt ℣. *Confiteantur tibi Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Gloria Patri,* et cætera. Deinde Sacerdos dicit: *Oremus. Agimus tibi Deus Domine gratias de universis beneficiis tuis, quia tu es Deus benedictus, & laudabilis & gloriosus in sæcula sæculorum:* et respondetur *Amen.* Et statim incipientes Psalm. *Miserere,* ipsum dicendo vadunt in Ecclesiam, et finito Psalmo, Sacerdos dicit *Kyrie eleison, Christe eleison: Pater noster, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* ℣. *Benedictus Deus in donis suis.* ℣. *Dispersit dedit pauperibus.* ℟. *Justitia ejus manet in sæcula sæculorum.* ℣. *Benedicam Dominum in omni tempore. In Domino laudabitur anima mea.* ℣. *Magnificate Dominum mecum.* ℟. *Et exaltemus.* ℣. *Sit nomen Domini benedictum.* Oratio *Tributor omnium Deus bonorum retribuere dignare omnibus bona facientibus, propter nomen sanctum tuum in vitam æternam.* ℟. *Amen. Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.* Postea, si non est dies ferialis, idem Sacerdos dicit: *Benedicat nos qui creavit & pavit nos: & Animæ omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in sancta pace,* et respondetur *Amen.* Si autem sit dies ferialis, post *Benedicamus Domino,* statim dicitur Psalmus *De profundis,* et cætera. ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi Orationem.* Oratio *Absolve quæsumus Domine animas famulorum,* et cætera. ℣. *Animæ Fratrum nostrorum, & omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace,* et ℟. *Amen.* Postea singuli Fratres ad Altaria reverentiam facientes, exeunt in Claustrum, et ibi facto Choro ante Capitulum, Archipresbyter, vel Præpositus solvit Capitulum dicens *Benedicite,* et ℟. *Dominus.*

Qua-

Qualiter Mensa benedicatur sero ante; & post in Cęna. LXXVII.

QUando vero jejunamus, (a) aut bis in die comedimus, hoc modo in Cœna consuevimus benedicere Mensam. Post Nonam, vel post Vesperas, sonato Cymbalo ab Hebdomadario Mensæ, et Fratribus in ordine stantibus, Septimanarius Officii incipit dicere *Benedicite*, et similiter dicunt alii cum eo, et ℣. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi. Gloria Patri*, et cætera. *Kyrie eleison. Pater noster*, et cætera, ut supra in mane diximus. Item post Cœnam sonato Cymbalo a Præposito, si est præsens, et si non est præsens, Custos, vel unus de servientibus pulsat. Sacerdos cum aliis dicit. ℣. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri &c.* Oratio *Agimus gratias &c.* et cum Psalmo *Miserere mei Deus* vadunt in Ecclesiam, et totum dicitur, ut supra dictum est in mane. Et nota quod quandocumque Canonicus moritur, usque ad septimum diem sui obitus, semper in mane post Prandium, et sero post Cęnam cum Psalmo *De profundis*, redimus ad tumulum Canonicorum, et postea solvitur Capitulum more solito. Hoc modo, ut prædictum est, mane et sero consuevimus benedicere Mensam per totum annum, excepto quod in Nativitate Domini, Epiphania, et Resurrectione, Ascensione, et Pentecoste, a principio comestionis incipit benedictio Mensæ tantum a Versiculo de festo, et in fine comestionis prius dicitur Versiculus de solemnitate præsenti, et cum Psalmo, qui dicitur tunc, imus in Ecclesiam, et cum Versiculo de festo, et ejus Oratione finitur, et post hæc ℣. *Benedicat nos qui creavit, & pavit nos &c.*

Quod nec ante horam Tertiam, nec sine benedictione, & lectione cibus sumatur a viris Religiosis. LXXVIII.

[b] EX Concilio Carthaginensi habetur: *Non oportet Clericos, vel Laicos Religiosos, ante Sacram horam diei tertiam, inire convivia,* ne-

(a) Loco scilicet prandii erat cœna: nec permittebatur cęnula deinceps permissa.

[b] Locum Concilii Carthaginensis minime inveni. Non propterea nego in aliquo Cartaginensi Concilio (nam multa Concilia Cartagine celebrata sunt) hæc inveniri. In Concilio Toletano III. Capite septimo ea ipsa extant, quæ hic allegantur. Vide obsecro columnam 707. Tomi VI. Concilior. Labbe edit. Coleti, & Albritii. Adjice hoc ex Concil. Moguntiaco, Carolo

neque aliquando Clericos sine Hymno dicto, edere panem, & post cibum gratias Deo auctori referre. Item ex Concilio Toletano Tertio cap. septimo; *Pro reverentia Dei & Sacerdotum, id universa Sancta Synodus statuit, ut quia solent crebro Mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio Lectio Scripturarum Divinarum misceatur*. Item Augustinus. *Quotiescumque ad Mensam corpora reficimus, totiens Lectionem divinam aut legere, aut aliquid sanctum ex ore nostro proferre debemus: unde anima sustentetur, & caro usque ad crapulam non satietur*. (a) Idem *Cum acc ditis ad Mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite, nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed aures esuriant Dei Verbum*. (Vulgatissima Augustini regula.)

De Vespertino Officio, & Psalmis ejusdem. LXXIX.

AD initium Vespertini Officii, sicut prædiximus in aliis horis, Divinum imploramus auxilium, & gloriam adscribimus Trinitati. Postea incepta prima Antiphona, Psalmos canimus: & nota quod in Vesperis quinque Psalmos Antiphonatim, idest sub singulis Antiphonis cantamus, ne quinque sensus ducant nos ad mortem Peccatorum, quæ per noctem Vesperi designatur. Vel quinquies psallimus propter quinque vulnera Christi, qui pro nobis se obtulit Sacrificium in Vespera Mundi, vel ut nobis peccata quinque sensuum dimittantur, & eadem ratione pectus quinque digitis tundimus; (vel ut per laborem quinque sensuum præmium expectemus: nam in hac hora dies clauditur, & finis operum, & initium sequitur præmiorum. Vespertinum autem & Matutinum Officium cæteris horis in Psalmorum numero præferuntur, eo quod in Senaria operum perfectione, Vespere & mane solummodo memoratur. Antiphona dicitur *vox reciproca*, & inchoatur ab uno unius Chori, & ad

---

Carolo Magno imperante, celebratum. *Ad Mensam vero similiter Lectionem audiant* (Canonici Clerici) Can. IX. col. 331. Tomi IX. Concil. Lab. edit. Coleti, & Albri. Adjice ea, quæ statuuntur in celeberrima Canon. Regula a Chrodogango Metensi Episcopo composita Capp. XX. XXI. XXII. XXIII., & XXIV. quæ legas, opto. His adjice ea quæ in Constitutionibus Portuensibus hoc de argumento occurrunt. Lege obsecro, cap. 18. libri II.

(a) Locum hunc in Augustini libris minime inveni, inveni tamen in Augustini vita a Possidio conscripta, consuevisse Augustinum mensam suam, vel *disputatione*, vel *sacra Lectione condire*: [Possid. cap. 22.] Adjice annotat. ad locum hunc a Cl. Salinas appositam. Quod vero attinet ad horam sumendi cibum, vide quæ tradit S. Doctor n. 5. sermonis 345. (alias 32. ex Sirmondianis:) *Cum veneris hora quinta, antequam ad Mensam accedas, esuris, & deficis*. Vide adnot. ad locum hinc.

ejus Synphoniam Pſalmus cantatur per duos Choros, & eſt Antiphona *Cantus Animæ*, ſcilicet virtus dilectionis, quæ Pſalmis intercantatur, ut opera Corporis in caritate fiant, & quanto melior eſt Anima, quàm Corpus, tantum melior eſt Animæ cantus, quàm Corporis, ſcilicet virtus dilectionis, quæ conjungit opera duorum Fratrum, Pſalmi enim ad opera referuntur.

Quid ſignificetur per Capitulum, quod in Veſperis, & aliis Officiis dicitur poſt Pſalmos. LXXX.

Poſt Pſalmos, & Antiphonas ſequitur Capitulum patrisfamilias, per quod excitat operarios, aſſurgere Domino venienti; & *Deo gratias*, eſt vox gratulationis laborantium. In Capitulo, quod Pſalmos ſequitur, futura Dei qualitas intimatur, nam opera comitatur expoſitio pœnarum, vel manifeſtatio præmiorum. In Capitulo igitur Officia dividimus, per præcedentia præmium ſignificantes, ideoque præcedentia conſiſtunt in Pſalmis, & ſequentia in Hymnis & Canticis; vel per præcedentia noctem præſentem, in qua laboramus, per ſequentia diem futuræ exultationis accipimus. Inde eſt, quod in Veſperis Officium diei ſequentis incipimus (quia Veſpertina Synaxis, ſcilicet hora) primum eſt Officium in quaternario Nocturno, ſecundum Eſdrę conſuetudinem: (a) unde Veſpertinum Officium propter noctis initium a Veſpera *Stella* nominatur, quæ in principio noctis oritur: Veſpera fit, quando ſol occidit: Ideoque tunc deberet hoc Officium ſecundum Eſdrę conſuetudinem celebrari, hinc poſſumus conjicere, quando feriatos dies obſervamus, eos debere obſervari a ſolis occubitu uſque ad ſolis occubitum.

De

(a) Locus iſte nonnihil obſcurus eſt. Eum ſic arbitror intelligendum. Nox in quatuor partes dividitur, quarum prior Veſpera eſt. Sumimus itaque initium Officii ſubſequentis diei a Veſpera, quæ quidem ſecundum Eſdræ conſuetudinem, qui Sacrificium Veſpertinum jam intermiſſum reſtituit (Vide I. Eſdræ III. 2. 3. cui adjice tradita II. Paral. II. 4. Rurſus XIII. 11., & XXXI. 3. incipit quum ſtella, quæ *Veſpera* dicitur, lucere incipit: ſed nos non nihil anticipamus, ſed tamen feriatos dies ita obſervamus, ut a ſolis occaſu incipiant, & deſinant in ſolis occaſu. Hinc Indulgentiæ, & Feſtivitates a primis Veſperis exordium ſumunt, deſinunt in ſecundis.

De Responsoriis, & quibus Sabbatis cantentur, & de Hymno, & Versiculis. LXXXI.

ALiquando post Capitulum adjicitur ℟. ut hilaritas operantium Patri familias excitationi respondeat: & quidam dicunt hoc in omnibus horis esse agendum, nisi in Laudibus Matutinis, ubi superfluum videretur Responsoriis delectari, cum Nocturnalibus continuentur excubiis. Nos tamen in Ecclesia nostra post Capitulum in Vesperis, non nisi in solemnibus Vigiliis, & Sabbatis, cantare ℟. consuevimus. Nam in Vigiliis Paschalibus, & Apostolorum, & festivitatum nostræ Ecclesiæ de propria Historia secundum Responsorium: vel si propriam Historiam non habuerint, aliud ℟. quod ad festum pertineat, cantamus ad Vesperum, & semper totum cum Organo. Similiter in Sabbatis ad Vesperum semper cantamus ℟., sive secundum Responsorium de Historia Dominicali, quam tunc incipere debeamus, & tunc ℟. sine Organo: & ℣. cum Organo, sive ℟. *de Trinitate*, vel de festo sequentis diei, unde majoritatem Officii debeamus facere, & tunc cantabitur cum Organo totum; & idem ℟. *de Trinitate*, quod Sabbato ad Vesperum canitur, die Dominico ultimo loco, & ad Processionem cantatur. Sed in Sabbato Dominicæ post Nativitatem, & Dominicæ post Epiphaniam, & post usque Septuagesimam, excepto uno Sabbato quando Historia mittitur, nullum ℟. cantatur pro Dominica. Nec in aliquo Sabbato, si Capitulum non dicitur de Dominica, dicitur ℟. de Dominica, nisi quando mittitur nova Historia Dominicalis, nec in Sabbato Dominicæ, quæ est inter Ascensionem, & Pentecosten, nec in Sabbato, quod est inter Octavam Apostolorum Petri, & Pauli, vel Assumptionis Beatæ Mariæ, vel Dedicationis nostræ Ecclesiæ. Hymnus qui sequitur Capitulum, & aliquando post ℟. canitur, est exultatio laborantium, vel est Canticum Victoriæ. Versus qui canitur post Hymnum, & aliquando post ℟. Hymno prætermisso, est eorumdem laborantium in se vicaria excitatio, vel exhortatio.

De hoc Cantico Magnificat, quare dicitur in Vespero. LXXXII.

CAnticum quoque Beatæ Mariæ Virginis non incongrue Vespertino copulatur Officio. Illa siquidem velut emenso jam longo præsenti sæculi die, sub ipso scilicet Mundi Vesperascentis occasu, mox ut lumen Æterni Verbi fælicis vulvæ flore concepit, protinus in vocem divinæ Laudis erupit dicens, *Magnificat anima mea Dominum*. Quod triplici de causa in Vesperis frequentamus: ut Incarnationem Domini recola-

colamus, ut Acta Virginis recolentes, ejus intercessionem precibus mereamur, & ut ejusdem castitatis, & humilitatis exempla sequamur. *Magnificat* autem in Vesperis dicitur, quia Virgo portavit Dominum in Vespera Mundi. Hoc Canticum est exultatio laborantium, quorum Spiritus exultat in Domino, *quia fecit magna qui potens est:* ob quam exultationem repræsentandam, & quia Canticum est de Evangelio, cerei accenduntur, & Altaria incensantur, ut cum Laudibus bonorum operum, in odorem unguentorum Beatæ Virginis cum ipsa in gaudium Domini nostri occurramus, & quia opera non sunt in Laudibus radiantia, nisi fuerint caritate formata, ideo hoc Canticum clauditur sub Antiphona. Postea preces diebus jejuniorum adjiciuntur. Oratio est ultima Domini ad operarios benedictio, & quod in fine Oratio dicitur, tractum est ab Apostolis, qui quando disiungebantur, positis genibus orabant. *Benedicamus Domino,* laus est finalis, & ineffabilis exultatio. *Deo gratias* est de consummato cursu gratiarum actio.

Qualiter Fratres conveniunt in Capitulo ad Collationem, & vadunt in Ecclesiam pro dicendo Completorio. LXXXIII.

POst solis occasum hora consueta, majori signo pulsato, Præpositus, vel Archipresbyter intrans Capitulum, tintinnabulum pulsat, ad quam pulsationem conveniunt Fratres, & finita pulsatione, unus de fratribus dicit: *Jube Domne benedicere*, & Archipresbyter dicit: *Noctem quietam, & somnum pacis tribuat nobis Omnipotens Dominus*, vel *Virtus Sanctæ Trinitatis*. Postea Frater legit. In Quadragesima consuevit hac hora legi de Regula, vel de alio libro, aliis autem diebus dicitur Capitulum de Epistola Dominicali, vel de aliquo festo sequentis diei, si fuerit: & nota quod hæc collatio traxit originem a Sanctis Patribus, qui solebant in Vesperis convenire, & de Scripturis conferre, ad instar operariorum ad recreationem invicem confabulantium. Ideoque vitas Patrum, & his similia, quæ potius sint delectationi, quàm oneri in nostris collationibus legimus, & nobis eruditioni licitæ, si dubium occurrerit, interrogamus. Fine imposito Lectioni, & dicto *Tu autem*, respondetur *Deo gratias*; & statim Archipresbyter dicit: ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & ℟. *Qui fecit Cœlum, & Terram*. Postea ordinate omnes exeuntes Capitulum, & dicendo cum silentio *Kyrie eleison*, & *Pater noster*, vadunt in Ecclesiam, ubi cum fuerint congregati, Archipresbyter dicit: *Et ne nos inducas in tentationem*, & ℟. *Sed libera nos a malo*; & tunc idem Archipresbyter primo facit Confessionem, & postmodum alii Fratres more consueto similiter faciunt, ut quidquid in die deliquimus, per Confessio-

sionem, & Pœnitentiam diluamus, adimplentes illud (a): *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*. Nec hoc pro supervenienti festo mutatur. Deinde facta indulgentia, (b) primo Archipresbyter incipit Completorium Beatæ Mariæ: quandocumque enim debemus dicere Officia Beatæ Mariæ, semper illa præmittimus aliis Officiis, nisi in Tertia, quæ ad Majorem Missam cantatur.

De Completorio quomodo incipiatur, & unde dicatur, & quid significet. LXXXIV.

(c) QUia Dominus judicabit fines terræ, quodlibet Completorium semper incipimus per ℣. *Converte nos Deus*, orantes, ut nos Deus a malis convertat, & iram suam a nobis avertat, & quia merita non sufficiunt, Dei adjutorium sicut in aliis horis, postulamus dicentes: *Deus in adjutorium meum intende*, & cætera. Qualiter autem dici debeat per totum annum, (d) in Dominica prima post Epiphaniam positum est, & sicut diebus Paschalibus, & aliis festis variatur, super in suis locis satis sufficienter continetur. Completorium autem dicitur, quia in eo completur cotidianus usus cibi, & potus, qui necessario sumitur ad sustentationem Corporis, seu quia tunc complentur opera nostra, ut communis locutio. Unde moris est, ut Monachi post Completorium oris claustra muniant, & significat finem vitæ præsentis, in quo numero electorum completo, complebit Deus gaudium Sanctis suis. Hæc pars noctis vocatur *conticinium*, quia tunc omnia conticescunt, celebratur enim completorium circa duodecimam horam, idest in fine diei, quia hoc tempore positum est Corpus Salvatoris in Sepulcro. Hoc igitur tempore postulare debemus, ut qui hac hora Sepulcri quietem intravit, nobis æternam requiem concedere dignetur in Cœlis.

De quatuor Psalmis, qui dicuntur in Completorio. Quare Hymnus in eo precedit Capitulum. LXXXV.

IN Completorio quatuor Psalmos ad placandum Dominum dicimus, quia Corpus, quod ex quatuor constat elementis, in Morte resolvitur, quod Domino commendamus. Tres primi loquuntur de Morte, vel Domini Passione,

(a) Jacob. V. 16. [b] *Misereatur vestri &c.*
(c) Psalm. IX. 9. *Ipse judicabit Orbem terræ in æquitate, judicabit Populos in justitia.* [d] Cap. LXXX.

ſione, & ideo eis utimur in Completorio vitæ noſtræ. Pſalmum *Cum invocarem* dicimus, *ut in pace in id ipſum* immutabili dormiamus. Pſalmum *In te Domine ſperavi*, ſubjungimus, ut cum Chriſto *in manus Patris ſpiritum commendemus*, (a) unde & in eo verſu Pſalmi finem facimus, quem Dominus expirans in Cruce dixit; & eſt ſextus verſus, quia in ſexta ætate Chriſtus obiit, & nos in eadem ſic dormiamus, ut membra quieſcant, & cor ad Deum vigilet, ut caro in ſepulcro quievit, & Divinitas vigilavit. Pſalmum *Qui habitat in adjutorio* ſubdimus, ut quatuor tentationibus liberemur, ſcilicet *a timore Nocturno, a ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & Dæmonio meridiano*. Poſtea *Ecce nunc* canimus, ut poſt mortem, *in domo Domini*, & *a Domino benedicamur*, & *Domino benedicamus*. Deinde in Hymno, Capitulo, & Verſu victoriam de Nocturnis illuſionibus rogamus, & cuſtodiri *ut pupillam oculi* deprecamur. Et nota quod in hoc Officio Hymnus præcedit Capitulum, quod non fit in Veſperis, vel Matutinis. In aliis horis Hymnus præcedit Pſalmos, & hic Pſalmus Hymnum, ut impleatur quod in Pſalmorum titulis invenitur: ſcilicet *Pſalmus Cantici*, & *Canticum Pſalmi*: vel hæc variatio morem boni ſequitur Oratoris, in cujus ore modo laudes præveniunt exhortationem, modo exhortatio laudes. Item notandum quod cum ſeptem ſint partes cæterarum horarum, ſcilicet Verſus cum *Gloria*, Hymnus, Pſalmus, Lectio, Cantus, Preces, & Oratio; in tribus, ſcilicet Matutinis Laudibus, Veſperis, & Completorio additur & Octava, ſcilicet Canticum Evangelicum, quia hæ tres horæ pertinent ad Octavam, ideſt Domini Reſurrectionem, qui mane ſurrexit, Veſpere ſe Diſcipulis manifeſtavit. In Completorio Diſcipulis ait *Pax vobis*, ea propter in his tribus horis, Hymnus qui eſt exemplum lętitiæ, Pſalmos ſequitur, ut continuetur Evangelio gratia.

De Cantico Nunc dimittis, *& quando* Kyrie eleiſon *dicatur, vel non in Completorio.* LXXXVI.

HUjus Officii Evangelium eſt Canticum Sancti Simeonis, ſcilicet *Nunc dimittis*, in quo pacem rogamus æternam, ut ſicut Simeon tranſire cupiens, poſtquam vidit Chriſtum, dimitti rogavit, ſic nos poſt lumen fidei, perveniamus ad ſplendorem ſpeciei, ubi pax erit æterna, quam pacem anima orantis deſiderat in hoc Cantico, ex quo docemur, quod in præſenti commendatione conformemur illis, qui *in Domino moriuntur*. (b) Igitur poſt hanc commendationem non videtur congruum bibere, aut comedere, aut aliquid tale agere, quod non pertineat ad quietem membrorum. Poſtmodum preces, & Dominicam Orationem adjungimus, ut nos ab hoſtibus, qui inſidiantur in tenebris, & vitæ calcaneo, munia-

(a) Luc. XXIII. 46. (b) Apoc. XIV. 13.

niamur. Unde sciendum est, quod sunt quidam magnæ Religionis, & auctoritatis viri, qui in his duabus horis, scilicet prima, & Completorio, nullo unquam die Orationem Dominicam, & Symbolum prætermittunt propter auctoritatem Beati Augustini superius positam de Symbolo, & Oratione Dominica cotidie dicenda. Sed nos ad Primam, & alias horas non dicimus *Kyrie eleison*, *Pater noster*, *Symbolum*, & alias preces, nisi in Vigiliis, quæ solemniter jejunantur, si tamen non est festum novem Lectionum, & in Adventu, quando non est festum, & a Septuagesima usque Pascha, quando non fit de festo novem Lectionum. Ad Completorium vero per totum annum dicimus semper *Kyrie eleison*, *Pater noster*, & Symbolum cum solitis precibus ammiscemus, diebus scilicet Dominicis, & aliis; preces enim humilitatem significant, quæ necessaria est in principio, & in fine: sed cum pro supervenienti festo mutatur Completorium, scilicet in Paschalibus diebus, & festis Beatæ Mariæ, et Dedicationis Ecclesiarum, tunc *Kyrie eleison*, et preces solitæ non dicuntur. Tandem postrema Oratio est ultima Benedictio. *Benedicamus Domino*, & *Deo gratias*, est laus finalis, et ineffabilis, et de consumato cursu actio gratiarum. Expleto Completorio Fratres Altaribus reverentiam facientes, aqua benedicta vultibus aspersa, cum silentio vadunt dormitum. Quisquis itaque Nocturna Officia, et supradictas septem horas Canonicas devotamente cotidie Deo persolvere studuerit, cum David Propheta clara voce dicere poterit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi: et septies in die laudem dixi tibi. Domine Deus meus: ne perdas me.* (a)

De Visitatione Infirmorum, & qualiter eis postulantibus Pœnitentia conferatur. LXXXVII.

CUm Frater Clericus debilitari, et infirmitate nimium gravari cœperit, et expetierit consilium animæ, si ei placuerit facere prius secretam Confessionem cum proprio Sacerdote, poterit agere. Et postmodum cum significatum fuerit singulis Fratribus, conveniant ad locum, ubi jacet Frater Infirmus, et ibi omnibus congregatis, Archipresbyter appropinquans lecto, quo Infirmus incumbit, primo eum blande, leniterque adloquatur, ut spem suam in Domino ponat, et flagellum Dei patienter toleret; et ut hoc sibi Deus ad purgationem, et castigationem suam provenire concedat, peccata sua confiteatur, et emendationem suam promittat, si Dominus ei concesserit vitam. Propterea cum his, et hujusmodi allocutionibus, et exhortationibus mens Infirmi fuerit relevata, idem Sacerdos ponens sibi stolam, et librum Pœnitentiale accipiens, cum ipso cæteris Fratribus circa Infirmum sedentibus incipit Antiphonam: *Sana eum Domine, quoniam &c.* Deinde Fratres cum eo dicunt septem Psalmos Pœni-

(a) Ps. CXVIII. 62. 164., & XXVII. 1. 3.

nitentiales. Quibus expletis Archipresbyter incipit Litanias hoc modo:

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Pater de Cœlis Deus, Miserere ei.
Fili Redemptor Mundi Deus, Miserere ei.

& semper singula repetantur a Fratribus, donec omnes Litaniæ finiantur, sicut positæ sunt in libro. Finitis Litaniis, & dicto *Kyrie eleison*, *Pater noster* etiam ab ipso Infirmo, Archipresbyter dicit Capitula *Salvum fac servum tuum &c.* & Fratres respondent. Deinde dicit Orationes istas: (a) *Omnipotens, & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem &c.*, et *Deus qui famulo tuo Ezechiæ*: & *Respice Domine*: et *Deus qui facturæ tuæ virtutum Ecclesiam*: et *Respice Domine propitius super hunc famulum tuum*; (b) *Omnipotens sempiterne Deus magnam habentes fiduciam*: *Sanctum, & venerabile nomen*: *Adesto Domine nobis Salvator &c.* Hæ Orationes tamen poterunt abbreviari, si tot Infirmi debilitas nequiverit tolerare. Sed ad Laicum ægrotantem tantum tres Psalmi, scilicet *Domine ne in furore tuo*, & *Miserere mei Deus*, & *Domine exaudi* ultimum, & pauciores Orationes dici consueverunt. Post dictas Orationes Archipresbyter Infirmum interrogat de credulitate, videlicet, si credat in *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*, & de singulis quærat, sicut continetur in libro. Postea moneat eum similiter, ut sua confiteatur delicta ex toto corde, & occulta peccata secreta Confessione purgentur. Deinde Frater Canonicus, qui ægrotat, si habuerit *proprium* (c) accepta licentia a Proposito, & cæteris

(a) Non modicam partem harum precum invenimus in celebri Rituali Veneto Sæculo XI. scripto, sed procul dubio jam pridem composito, & a Fidelibus adhibito. Priorem tantummodo hic exhibeo, reliquas vero si Deus dederit, tum evulgabo, quum appendicem libris Clar. Edmundi Martene adjectam edam.

[b] En pacem hanc integram. *Omnipotens, & misericors Deus quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum, in tuo nomine humilitatis nostræ hunc famulum tuum* [hanc famulam] *illum* (illam) *in hoc habitaculo jacentem fessum* (fessam) *salutifere visitare digneris, sicut visitasti Domine Tobiam, & Saram Socrum Petri, puerumque Centurionis, ita & iste pristina sanitate animæ, corporisque recepta, gratiarum sibi in Ecclesia tua referat actionem.*

(c) Nomine *proprii* id intellige, quod ad usum fuerat illi concessum: Hoc modo in celeberrimo Equitum Jerosolymitanorum Statuto Titulo IX. pag. 126. *Queste sono le cose, che il Maestro*, (cioè il gran Maestro, e Capo dell'Ordine) *può concedere ai Fratelli. Primieramente egli può dar loro licenza di poter tenere Vesti proprie, ed altre Masseritie*: idest proprio usui concessas; nam procul dubio Equites Jerosolymitani paupertatis Voto adstringuntur, ideoque sumpta in sensu rigoroso voce *proprio*, aliquid habere nequeunt *proprium*: Nam pro-

teris Fratribus, sicut mos est, disponit de rebus suis, vel tunc data li-

---

procul dubio nihil *proprium* habere possumus, vel uti proprium retinere. Expressissime vetat id Augustinus in vulgatissima regula, quæ licet primitus mulieribus data sit, Viris postea tributa est, & accommodata vel ab ipso Augustino, ut non pauci putant, vel certe haud multo post Augustini obitum, a Viris pietate, & Ecclesiastica dignitate præstantibus: Etenim in ipso initio hujus regulæ hæc extant: *hac sunt, qua ut observetis, precipimus in Monasterio constituti: Primum propter quod estis in unum Congregati, uti unanimes habitetis in Domo, & sit vobis cor unum, & anima una in Deo: & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum a Preposito vestro victus, & tegumentum.* Et copiosius num. 2., Sermonis I. *de Vita, & moribus Clericorum suorum*: [alias 19. *de diversis*: in serie Sermonum editionis Patrum S. Mauri Serm. 355.] *Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliquid habent? Nulli licet: si qui habent, faciunt quod non licet* . . . Et deinceps (idest num. 6.) *Sane hoc noverit caritas vestra, dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat & eroget, aut donet & commune illud faciat.* Notanda sunt etiam valde ea, quæ numero 5. hujusce Sermonis tradit: *Venit ad nos etiam Presbyter Januarius, qui videbatur sua honeste erogando quasi consumpsisse, sed non consumsit. Remansit illi quadam pecunia, id est argentum, quod diceret esse filia sua. . . . Cœpit ille morti propinquare, qui diu tanquam de suo, jurans quia ipsius erat, non filia, testamentum fecit: testamentum, inquam, fecit Presbyter, & Socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, haredes instituit. O dolor illius Societatis, o fructus natus non de arbore, quam plantavit Dominus. Sed Ecclesiam scripsit haredem? Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quarebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret. Habebat aliquid? Non se socium nostrum, quasi Dei pauperem fingeret. Magnus inde mihi dolor est, fratres. Dico caritati vestra, propter hunc dolorem statui hareditatem ipsam in Ecclesia non suscipere. Filiorum ipsius sit quod reliquit: ipsi inde faciant quod voluerint: videtur enim mihi, quia si eam suscepero, in isto facto, quod mihi displicet, & quod doleo, ejus particeps ero.* Verum id non vetat, quominus & peti possit facultas, ut aliquid de iis, quæ ad proprium usum concessa erant, detur iis, qui ipsi Religioso servierant, vel aliis, quibus dum id conceditur, gratus animus, caritas, vel alia affinis virtus emineat: & eadem facultas a Præpositis detur. Ut alia omittam, presto adest exemplum ab antiquissimo, & Sapientum judicio, atque adeo Ecclesiæ ipsius sanctionibus non paucis valde probato Equitum Jerosolymitanorum Statuto desumptum. Ecce illud: Sub titulo XVIII., qui inscribitur *probibitionum, & panarum* (delle proibizioni, e delle pene) pag. 214. hæc occurrunt. „ *Fr. Ugo Revel* [qui anno 1260. supremus, seu magnus Ordinis Magister electus est, vixitque ad annum usque 1278.] *Il Voto della povertà richie- „ de questo, che la disposizione dei Beni non sottoggiaccia alla libera volontà. „ Non è dunque lecito, nè in modo alcuno si permette ai Baglivi, Priori, „ Castellani d' Emposta, Commendatori, ovvero agli Fratelli dell' Ordine*

No-

centia, disponat postea cum quibus voluerit: vel si est Laicus (a) disponat de corpore, et faciat testamentum, et sua disponat, *& peccata sua eleemosynis redimat* (b), dum sensus, et ratio in eo vigent.

Quot Orationes, post acceptam Pœnitentiam, & Confessionem dicantur Infirmo, & qualiter Communicetur.
LXXXVIII.

Recepta Confessione de Peccatis a Fratre Infirmo, si est litteratus, et potest facere, ipsemet faciat sibi Confessionem Generalem coram omnibus, (c) et Archipresbyter cum reliquis Sacerdotibus dicant absolutio-

---

„ *Nostro il far Testamento, o sostituire Erede, o far Legati, ovvero il lasciare, o donare cosa alcuna ai Servitori, overo ad altri salvo che i Salarj, e gli stipendj loro, e far nota, e dichiarazione dei Debitori, e de' Creditori, e con licenza del Maestro disporre d' una moderata parte di quelli.*„ Constitutio hæc confirmata deinceps fuit, & declarata ab LIII. supremo Magistro Fr. Alosio de' Wignacourt, quique 10. Februarii die an. 1601. electus, obiit 14. Augusti 1622. his verbis: „ *La qual porzione non ecceda la quinta parte di tutto lo spoglio delli Denari contanti, Crediti, Mobili, e Semoventi.* „ (eadem pagina 214.)

(a) Laicum hic intellige Ecclesiæ minime addictum: Archipresbyter, enim, & Canonici reliqui Sæcularibus morti proximis intererant, ut eos Sacramentis subministratis, & precibus adjuvarent. Vide Caput VIII. hujusce secundæ partis. *Item ad dictum Canonicum* [Hebdomadarium] *pertinet* . . . *dare Pœnitentias Infirmis, ad quos vocantur Canonici.*

(b) Daniel. IV. 24. Eccli. III. 33.

(c) Hæc confessio, & absolutio Sacramentalis non est, sed Ecclesiastica. Hanc absolutionem fieri posse a multis, nemo vetat: hujus exemplum videtur inesse in Ordine IV. *ad visitandum Infirmum* edito in celeberrimo Opere Edm. Martene *de Antiq. Eccl. Ritib.* pag. 855. Tomi I. edit. Antuerp. seu potius Mediol. En illam: *Vice Sancti Petri Apostolorum Principis, cui a Domino collata est potestas ligandi atque solvendi, cujus etiam & nos licet indignè vice fungimur, absolvimus te ill. in quantum tua expetit accusatio, & ad nos petinet remissio, secundum quod nobis, ut diximus, a Domino in Sancto Petro est adtributum, ab omnibus criminibus tuis; sitque tibi Omnipotens Deus Redemtor tuus, vita, & salus, & remissio omnium peccatorum tuorum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Et absolutionis a pluribus factæ videtur expressum exemplum extare in eodem primo tomo, pag. seu col. 809. & hæc in calce paginæ notantur: *hac formula* (quæ scilicet incipit: *sicut principali constat sententia*) *absolutionem a peccatis accepit Robertus Cenomanensis Episcopus a Coepiscopis circa muros Andegavis cum Carolo principe in obsidione Normanorum residentibus*; Non desunt etiam qui moneant, quod si quis coram multis Sacerdotibus *Sacramentaliter* confiteretur, posset etiam a multis *Sacramentalem* absolutionem recipere. Sed his non indigemus: etenim de Confessione *Sacramentali*, ideoque de absolutione *Sacramentali* dictum est capite superiore.

tionem, et significent ei, ut si convaluerit, juxta perpetrata delicta, secundum mandata Canonum pœnitebit. Cum autem Laicis datur Pœnitentia, antequam absolutionem Sacerdos faciat, sub idoneis testibus det Infirmus fidejussionem de testamento facto pro redemptione Peccatorum suorum: dicit enim Augustinus: (*a*) *quod si habet duos filios, faciat se tertium hæredem pro Ecclesia, si tres, faciat se quartum, & sic de singulis.* Postea dicat Archipresbyter has Orationes, scilicet: *Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo. Dei Patris Fili.* (*b*) *Omnipotens sempiterne Deus confitenti famulo tuo. Exaudi Domine preces nostras. Deus misericors, Deus Clemens, & Majestatem tuam Domine, supplices deprecamur:* Postea interrogetur, si tunc vult, & petat recipere Corpus Domini, & ei volenti, & petenti, cum magna reverentia Eucharistia offeratur, & tunc dicantur Orationes: *Corpus*, et *Sanguis*: & *Domine Sancte*: & aliæ Orationes, scilicet: *Liberati ab omni malo*: & alia *Salutifera tibi Dominus &c.* Si tamen Frater æger non fuerit in desperatione positus, (*c*) & si differri poterit Communio, Sacerdos mane post Missam planeta exutus Infirmum Fratrem visitet, Subdiacono præcedente cum Calice habente Corpus Dominicum super patenam, & desuper corporale (*d*), & sic ipsum Communicet, &

(*a*) Ecce hac super re Augustini monita n. 4. Sermonis I. *de vita, & moribus Clericorum* (olim 49. *de diversis*, nunc in serie 355.) *Sed plane, si faciat, quod sæpe hortatus sum; unum filium habet, putet Christum alterum, duos habet, putet Christum tertium: decem habet, Christum undecimum faciat, & suscipio. Quia ergo feci hoc in quibusdam rebus, jam volunt bonitatem meam, vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, ut alio modo me reprehendant, quia oblationes devotorum hominum nolo suscipere. Considerent quàm multa susceperim. Quid opus est ea numerare? Ecce unum dico, filii Juliani* (alii legunt *Juniani*) *hæreditatem suscepi. Quare? quia sine filiis defunctus est.* Ante etiam hæc dixerat, in quibus prudentiam, & moderationem Augustini admireris, oportet: *Qui dicunt: Ecce quare nemo donat Ecclesiæ Hipponensi aliquid: ecce quare non eam faciunt qui moriuntur, hæredem: quia Episcopus Augustinus de bonitate sua* (*laudando enim mordent, labiis mulcent, dentem figunt*) *donat totum: non suscipit. Plane suscipio: profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes Sanctas.* Reliqua subsequentia omitto, quia plurima sunt: sed certe opto, ut ea consulat Lector, perspiciatque manifesto, quantum alienus ab hæreditatibus appetendis, ut iis suam ditaret Ecclesiam, esset Augustinus, cui tamen cordi, & curæ erat, ut innumeros inopes pasceret.

(*b*) Has, & affines preces tibi præbebunt Martene Tomo I., & II. lib. III., & rursus *de Monach. Ritib.* agens, aliique Veterum Ecclesiæ rituum editores.

(*c*) Desperationem hic sume *valetudinis temporalis*.

(*d*) In difficultatem incidimus, quæ hominibus etiam præstantibus gravissima visa est. Subdiaconus hic, & alibi etiam describitur Corpus Christi deferens: & tamen ab ipsis Ecclesiæ primordiis id vetitum est. In libro Pontificali, qui Damaso Papæ tribuitur, in Vita Xisti I. *Hic constituit, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a Ministris sacratis.* Et revera cap. I. Episto-

& si Prælato visum fuerit convenire, & Infirmus Frater expetierit, in sequentibus diebus cotidie Sacerdos Infirmum, prout dictum est, visitet,

&

---

læ II. hujusce antiquissimi Pontificis hæc extant: *Sacra vasa non ab aliis, quam a Sacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus: indignum enim valde est, ut Sacra Domini vasa, quæcumque sint, humanis usibus serviant, aut ab aliis quàm Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris*. Porro Subdiaconi inter sacratos, seu Deo dicatos viros antiquissimis temporibus minime recensebantur, neque nostris ipsis a multis recensentur. Et expressissime parte I. Decreti distin. XXIV. cap. 26. *Non oportet Subdiaconum licentiam habere in Sacrarium* [sive Secretarium] *quod Græci Diaconicum, appellant, & contingere vasa Dominica*. Citatur autem Canon XXI. Concilii Laodiceni. Et deinceps cap. XXX. *Non oportet insacratos Ministros licentiam habere in sacrarium (quod Græci Diaconium appellant) ingredi, & contingere vasa Dominica*. Citatur autem cap 66. Concilii Agathensis. Sed mox [capite scilicet XXXI. subsequenti] ex Concil. Braccarensi I. [cap. 8.] hæc allegantur, quę id Lectoribus quidem vetant, sed a Subdiaconis fieri sinunt. En Caput XXXI. quod dixi: *Non liceat cuilibet ex Lectoribus Sacra Altaris vasa portare, nec aliis, nisi iis, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinate*. Quin etiam capite proxime sequenti (idest XXXII. ex capite 41. Concilii Martini Papæ) id etiam facere Acolythis permittitur. *Non liceat cuilibet ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolytho in secretario vasa Dominica*. Varia igitur fuit hac in re Ecclesiarum disciplina. Præclariss. Edmund. Martene *de Antiq. Eccl. Ritib.* lib. III. cap. XV. (pag. 1055. Tomi II. edit. Antuerp. seu potius Mediol.) hæc tradit: *Ex manuscrip. Codice Monasterii S. Benedicti Floriacensis annorum circiter 900. Incipit Ordo ungendi Infirmum: Post expletionem Missæ exuet se Presbyter casula: quem præcedet Subdiaconus cum Eucharistia*. Itaque quisque rectissime suæ Ecclesiæ consuetudinem servare poterat. Et hæc quidem haud illaudabilis ad Objectos Canones potest esse responsio. Cæterum Xisti I. Decretum apocryphis, aut certe dubiis accensent. Vide, ut reliquos prætercam, quæ tradit Præcl. Petr. Coustant. ad Epistol. *Rom. Pontif.* in Epist. & Decreta Xysti I. Iterum idem Pręclariss. Petr. Coustant fatetur in Canone XXI. Laodiceni Concilii prohiberi Ministros omnes Diacono inferiores, ideoque Subdiaconum, a tangendis, ideoque deferendis sacris vasis. *Verum ibi* (inquit præcl. Coustant) *Ministris Diacono inferioribus solemnis dumtaxat sacra vasa tangendi, ac deferendi ritus, qui Diaconis unis competebat, interdicitur*. Itaque non solemnis sacrorum vasorum delatio, & tangendorum, & deferendorum ritus non interdicitur. Et indubitata res est, primis Ecclesiæ sæculis, dum Persecutorum rabies dæseviret, permissum fuisse Fidelibus, ut Eucharistiam deferrent ad alios, & apud se retinerent, tum sumendam, quum addicerentur ad mortem, aut certe necessitas alia & opportunitas id exposceret. Omnino vide quæ tradit Magnus Baronius in annot. Martyrol. Roman. ad XV. Augusti (annot. *c*) ad verba illa: *Tharsicii Acolythi . . . Sacramenta portantem*. Quid, quod id, quod a Laodiceno Subdiaconis vetatur, priscis temporibus in Romana Ecclesia Acolythis permittebatur? adducit enim Cl. Dom. Georgius [*de Liturg. Rom. Pontif.* Tom. III. pag. 155.] verba Innocentii I. ex celebri ad Decentium

Eugu-

& Communicet, (*a*) & horis competentibus sibi Officium facere, & infero aqua benedicta eum spargere studeat. Summopere autem caveatur, ut si possibile fuerit, Infirmus Frater in ipsa hora mortis Corpus, & Sanguinem Domini pro Viatico accipiat, sicut de Beato Benedicto (*b*) in Dialogo legitur, qui suum exitum Dominici Sanguinis perceptione munivit: & sicut in eodem libro habetur de quodam Joanne, (*c*) qui ad horam mortis veniens Mysterium Corporis, & Sanguinis accepit, vocatosque Fratres coram se psallere præcepit. Super hoc moneatur Infirmus, ut ante exitum studeat dicere hunc Versiculum. (*d*) *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo Hostiam laudis, & nomen Domini invocabo*; de quo dicit Cassiodorus, quod tantæ virtutis esse creditur a quibusdam, ut peccata homini dimittantur, si in fine vitæ trina Confessione dicatur (*e*).

Qualiter Infirmus sacræ Unctionis Oleo jungatur. LXXXIX.

SI autem Infirmus fuerit in desperatione vitæ positus, Fratres cum aqua benedicta, & cum libro, et stola, & Oleo Sancto vadunt ad locum, ubi jacet Infirmus, et ibi circa Infirmum stantes, & cum devotione orantes, facta prius Confessione, & recepta ab omnibus, præcipue tamen a Sacerdotibus, absolutione (*f*), Archipresbyter accepta stola, & libro ad faciendum Officium sacratæ Unctionis, primo dicit *Deus in adjutorium meum intende*, et Psalmum *Domine ne in furore tuo*, et Psalmum *Mi-*

Eugubinum Episcopum Epistola desumpta, quibus monemur: *fermentum, (nempe Sacrosanctam Eucharistiam a Romano Pontifice in solemni Missarum celebratione consecratam) diebus Dominicis in signum Communionis ad Ecclesias titulares Urbis per Acolythos mitti consuevisse*. Quod si quis minus solemnem hanc Eucharistiæ delationem diceret, idem Clariss. Georgius ex Ordine Romano V., & fortasse etiam ex VI. exempla profert delatæ ab Acolythis ad Romanum ipsum Pontificem Eucharistiæ. Vide pag. 154., & 155. Tomi III.

(*a*) Frequentis, atque adeo quotidianæ, si quis saltem in ægritudine fuerit positus, Communionis exemplum hic habes

[*b*] Lib. II. cap. 37. *ibique* (in Oratorio) *exitum suum Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione munivit*.

(*c*) Lib. IV. Dialog. cap. 35.

[*d*] Psal. CXV. v. 17 (alias 8.)

[*e*] Revera in commentariis in hunc locum hæc docet Cassiodorus: *Notandum quod Versiculus hic tantam virtutem creditus est habere, ut a nonnullis diceretur, posse hominibus peccata dimitti, si eum in fine vitæ suæ tertia Confessione congeminet*.

(*f*) Deprecativa seu, si vis, Ecclesiastica absolutione: aut potius condonatione omnium offensionum, si quas fecisset.

Miserere, & Pfalmum *De profundis*, poftea dicit hanc Orationem: (*a*) *Jefu Salvator nofter*, & *Domine*, *qui es vera falus*, & cætera. Poftea unus de Sacerdotibus ungat Infirmum, primo in capite, et per cætera membra, et Archipresbyter ad fingulas unctiones dicat Orationes ficut continentur in libro. (*b*) Peracta unctione dicat Archipresbyter has Orationes: *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *fit tibi hæc Olei unctio*, & Oremus *Fratres chariffimi*, & *Domine Deus Salvator*, & *Domine Sancte Pater*, & cætera. Poftquam autem unctionis extremæ, et communicationis Officium completum fuerit, Fratres redeunt in Clauftrum, relictis qui cuftodiant Infirmum, ficut viderint expedire, et Sacerdos cum his, qui remanferunt, ante faciem Infirmi honefte ponit Crucem, ut eam poffit femper afpicere, & in ejus afpectu ad majorem contritionem moveri; quatenus per illius virtutem liberetur a filio perditionis, et transferatur in numerum filiorum adoptionis: *Hæc eft Crux, in qua Mundi vita pependit*, *in qua Chriftus triumphavit*, *& mors mortem fuperavit in æternum*. Debet Infirmus autem recta facie jacere, ut Cęlum refpiciat, et ut mentem habens in cœleftibus, ante quam expiret, ejus anima Domino commendetur.

Que-

(*a*) Has, & fimiles preces facile invenies in iis libris, quos *de Antiq. Eccles. Ritib.* in iis quoque, quos *de Antiq. Monach. Ritib.* edidit Egregius Edmundus Martene.

(*b*) Vel hæ Orationes erant deprecativæ ad Deum, [ut puto] vel hortatoriæ ad circumftantes, ut pro Infirmo deprecarentur; vel fi erant comitantes actionem ipfam ungendi, & eam veluti indicantes: *Ego te ungo &c.* procul dubio partem aliquam in ea unctione habebat Archipresbyter, nam fecus fi fiat, dici non poteft: *Ego te ungo &c.* Dubium hoc removebit libellus, cujus hic mentio fit, fi aliquando edetur. Cęterum hujus moris exempla extare docet Martene, quem fæpe allegavi: *Ex his* [inquit ille col. 837 Tomi I. edit. Antuerp. de Presbyteris extremam unctionem conferentibus loquens] *aliquando unus applicabat Oleum*, *altero verba formæ pronunciante*: affert autem col. 852. 853. ejufdem Tomi exemplum haud dubium defumptum *ex antiquo libro Sacrament. Eccl. S. Gatiani Turonenfis ante annos* 800. *fcripto*. *Tunc perungat Sacerdos Infirmum*, *faciens fignum Crucis de Oleo fanctificato in collo*, *in gutture*, *& inter fcapulas* ... *Et dum perunxerit eum*, *dicat unus ex Sacerdotibus* (quibus quidem verbis indicatur alter ab ungente diverfus) *fupplicando humiliter hanc Orationem*: *Ungo te Oleo Sancto in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *obfecrans &c.* Deinceps vero ideft pag. 857. aliud ejufdem generis exemplum præbet. En illud: *Et fic perungat Infirmum de Oleo Sanctificato*, *Cruces faciendo in collo*, *in gutture*, *& inter fcapulas* . . . *Dum ungitur Infirmus*, *dicat unus ex Sacerdotibus hanc Orationem*. *Ungo te Oleo Sancto in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *obfecrans &c.*

Quomodo Fratres orare debeant, cum alium Fratrem viderint morti appropinquare.
X C.

CUm vero Custodes morti appropinquare eum viderint, sine mora studeant significare Fratribus, qui ubicumque fuerint, hoc audientes, summa cum festinatione ad Infirmum properent, et nullum eundi ordinem servent, nec etiam in nocte silentium custodiant, et dicat, dum vadit, quisque apud se, vel cum alio: *Credo in Deum*, & *Quicumque vult*. Postea prope lectum morituri dicant Psalmos, Litanias, et Orationes, quas viderint huic Officio convenire, sicut in libro habentur, imitantes illum *Servulum*, de quo scribit Beatus Gregorius, (*a*) qui cum se morti sentiret proximum, propinquos viros, atque in Hospitalitate susceptos *admonuit, ut surgerent, & cum eo Psalmos pro sui exitus expectatione* decantarent. Ipsos autem Psalmos, et Litanias caveant (*b*) breviare aut producere secundum quod ejus obitum protrahi viderint. Si autem diutius mori protraxerit, legant ante eum Passionem Domini Nostri Jesu Christi, ut ad majorem compunctionem moveatur. Quantum autem in Fratrum transitu Fratres, qui sani sunt, Orationibus debeant insistere, Sanctus Gregorius ostendit, qui refert de quodam, (*c*) pro quo cum Fratres assistentes orarent animi sensu, quo poterant, clamans dicebat eis: *Recedite, recedite, quia Draconi ad devorandum datus sum, sed propter vestram præsentiam non potest;* Cui cum Fratres dicerent, ut signum Sanctæ Crucis sibi imprimeret, et ille se hoc non posse facere responderet, prostrati in terram cum lacrimis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare, & oppressum Draconis præsentia suis precibus adjuvare, quorum Orationibus repente liberatus, magnis vocibus cœpit clamare dicens: *Deo gratias, ecce discessit, ecce exiit, ante Orationes vestras Draco fugit, qui me acceperat ad devorandum.*

Quod

(*a*) IV. Dialog. cap. 14.
(*b*) Idest brevient, aut producant.
(*c*) IV. Dialog. cap. 38.

Quod maligni Spiritus appareant egredienti de Corpore. XCI.

(a) NOn est autem incredibile, quod maligni Spiritus egredienti de Corpore appareant, quare, ut idem Beatus Gregorius dicit: *Cogitandum valde est quantum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis; quis pavor mentis, quando maligni Spiritus in egrediente anima sua opera requirunt, & mala, quæ suaserunt, replicant, ut sociam ad tormentum trahant?* Sed cur hoc de perversa anima solummodo creditur, cum ad electos quosque egredientes veniat, et suum in illis, si prævalent, aliquid requirant? (b) In Beati enim Martini vita legitur, quod de Corpore exiturus Diabolum vidit prope assistere, *cui*, inquit, *quid adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies, Abrahæ sinus me recipiet.* Quid autem mirum, si ad homines, in quibus suum aliquid habet, accedere presumit, cum etiam ad ipsum Dominum Jesum Christum, in quo nihil habuit, venire non pertimuerit? *Venit enim*, sicut idem Dominus dixit, (c) *Princeps hujus Mundi, & in me non habet quicquam.* In eo enim solo nihil habuit, quia solus ille huc sine culpa venit. In nobis autem multa habet, quia sine culpa in Mundo esse non possumus, qui in Mundum cum culpa venimus. Qua propter in morientis transitu Fratres studeant, et frequentes, et ferventes esse in Orationibus, ut per eorum Orationes, Diabolo, si quid in eo habet, eripiatur, et omnis ejus falsitas destruatur. (d) Et est notandum quod Orationes, quæ præcedunt expirationem, ut animæ commendatio, et quæ sequuntur, et cæteræ mortuorum exequiæ, pro valde bonis sunt gratiarum actiones, pro valde malis qualescumque vivorum consolationes, pro mediocriter bonis pœnarum purgationes. Sunt enim animæ, quæ statim, ut exeunt a corporibus,

---

(a) Hæc ipsissima & expressissima Gregorii verba, quamquam perquisierim, minime inveni: inveni tamen nonnulla loca, in quibus hoc quod agimus, tradit, quæ statim allego, ut ea Lector consulat. Sunt porro hæc Libro XXXII. Moral. in cap. XL. libri Job: (cap. XIX. in vet. partitione XVII. n. 34.) ad verba *Stringit caudam suam quasi cedrum* = *sciendum quoque est &c.* Cap. XVIII., & XXXVIII. libri IV. Dialogorum. *Pavore autem tetra eorum* [Dæmonum] *imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo &c.*

(b) *In Severi Sulpitii* Epist. *ad Bassum de libello obitus* S. Martini hæc occurrunt. *Hæc locutus* (S. Martinus) *Diabolum videt prope se assistere. Quid hic*, inquit, *adstas cruenta bestia? Nihil in me funesti reperies. Abraha me sinus recipiet.*

(c) Jo. XIV. 30.

(d) Desumpta hæc sunt (majori saltem ex parte) ex capitib. 109. & 110. Enchiridii Augustini, atque ea referuntur in Gratiani Decreto par. II. caus. XIII. quæst. 2. cap. 23.

bus, ut passer, volant ad Deum, sunt aliæ, quæ descendunt ad Infernum, et mediocriter boni vadunt in Purgatorium; et horum intuitu fiunt Eleemosynæ, Orationes, Jejunia, et Sacrificia, sed propter incertitudinem fiunt hæc etiam pro omnibus cotidie; melius enim super erunt ista his, quibus nec prosunt, nec obsunt, quàm deesse his, quibus prodesse possunt: nam eis tantum prosunt, qui dum viverent, operati sunt, ut hæc sibi post mortem prodessent.

Ne Morienti Fratres detrahant, & ut ipsum in Cilicio super Cinerem ponant.
XCII.

CAveant etiam Fratres, ne morienti in aliquo detrahant, quare in vita Beati Gregorii de quodam legitur, cui Fratres dimissi pro cantanda Psalmodia non timuerunt illi detrahere, qui ad eos conversus (a), *omnia*, inquit, *in quibus mihi detraxistis, Fratres, audivi, quamquam respondere nequiverim, & impedimentum mihi non modicum generastis, quia tam a vobis, quàm a Diabolo sub uno tempore accusatus, nesciebam cujus calumniæ primitus responderem*. (b) *Unde, si quando quemlibet migrantem videritis, compatimini sorti communi, & nolite de eo judicare, qui ad tam districti judicis cum criminatore suo judicium vadit*. Tandem vero moriturus factus in agonia, dum laborat in extremis, in Cilicio super cinerem, vel paleam deponatur, ad instar B. Martini, (c) qui moriens, in Cinere, & Cilicio jacebat; in quo innuitur, quod homo cinis est, & in cinerem revertetur: Et cum a discipulis rogaretur, ut sibi saltem vilia fineret stramenta supponi, *non decet*, inquit, *filii*, *Christianum*, *nisi in cinere*, *& cilicio mori*. *Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi &c.*

(a) Extant hæc num. 86. libri IV. Vitæ S. Gregorii, Auctore Joanne Diacono.
(b) In editis *sed si quando*: præstat nostri Codicis lectio.
(c) In Severi Sulpicii Epistola, quam ante allegavi, hæc invenies. *Pernox in Orationibus, & Vigiliis fatiscentes artus spiritui servire cogebat, nobili illo suo stratu in cinere, & cilicio recubans. Et cum a discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi fineret stramenta supponi: non decet*, inquit, *Filii, Christianum nisi in cinere mori &c.* Vide etiam quæ tradit Martene To. II. pag. 1022., 1023., & de *Monach. Rit.* pag. 714.

Qualiter Corpus Defuncti abluatur, & postea induatur, (a) & ad Ecclesiam portetur. XCIII.

POstquam expiraverit, dicantur Orationes, scilicet: (b) *Pia recordationis*, & reliqua sicut in libro continentur. Finitis Orationibus Corpus Defuncti abluatur, ita ut Sacerdos a Sacerdotibus, & Diaconus a Diaconibus, & similiter fiat a cæteris ordinibus, si fieri potest, & lavetur aqua calida in loco secretiori, ita ut non videatur nisi ab illis, qui ad lavandum sunt necessarii, & hoc ad significandum, ut si anima fuerit per Confessionem a culpa mundata, utraque in die judicii, scilicet corpus, & anima, glorificationem, & munditiam consequentur æternam. Cum vero corpus lotum fuerit, induatur secundum statum, & ordinem suum. Laicus Cilicio (c) insuatur, ut hac veste in signa pœnitentiæ repræsentetur: nam cinis, & cilicium sunt arma pœnitentium. Clerici vero tondeantur, & radantur, & induti vestes sui Ordinis sepeliantur, quod licet in aliis ordinibus propter paupertatem sæpius omittatur, in Sacerdotibus tamen, & Episcopis non est aliquatenus omittendum. Vestes Sacerdotales virtutes significant, cum quibus præ cæteris sunt Domino præsentandi. Utrum autem post diem judicii futuri sint homines vestiti, videtur ex eo, quod Dominus in Transfiguratione, & post Resurrectionem vestitus apparuit, & quia vestiti solent Angeli apparere; nihil tamen de hoc definire præsumimus, cum sufficiat credere, quod in salvandis nulla erit infirmitas, vel deformitas. Exinde cum corpus revestitum fuerit, ponatur in feretro, & Cruce conventus, & Ministris præcedentibus, cum quatuor candelabris, & cereis, & thuribulo fumigante, prius aqua benedicta super Defuncti corpus a Sacerdote aspersa a Fratribus sui ordinis in Ecclesia portatur. Et dum corpus ad portandum levatur, major Campana pulsetur, ut Populus audiens veniat, & oret pro ipso: & ut Populus sciat pro quo sit orandum, pro dicto tot vicibus pulsetur, quot ordines habet. Pro Laico tres, primo enim inventa est Trinitas in homine, nam primo formatus est Adam ex terra; secundo Eva ex costa; (d) tertio homo ex utroque & ita est ibi Trinitas, pro muliere bis, quia ipsa invenit altitatem; (e) ipsa enim primo fecit hominem alie-

[a] Hujusce moris exempla tibi præbebit Martene Tomi II. pag. 1068. 1120. 1122. *Vet. Rit.*, & *de Monach. Ritib.* pag. 727. 730. 762., & alibi etiam.
(b) Preces has, aliasque affines in Veteribus Ritualibus facillime invenies.
[c] Idest consuatur intra Cilicium, quod eum contegat.
(d) Idest nascitur ex mare, & fœmina.
(e) (Altitudinem) *Superbiam*, ut arbitror (italice *alterigia*) de hac enim tentavit Serpens Mulierem: *eritis sicut dii scientes bonum & malum* (Gen. III. 5.): & Mulier exemplo, & verbis seduxit Virum.

alienari a Deo: & postea omnia signa compulsari debent, & similiter cum de Ecclesia ad tumulum deportatur. Dum vero corpus ad Ecclesiam portatur, primo cantare consuevimus Responsorium *Subvenite Sancti Dei*, & Responsorium *Credo quod Redemptor*, & alia quæ sequuntur, si longum fuerit iter, & dum appropinquamus ad Ecclesiam, canimus Responsorium: *Libera me Domine*, & Versiculos qui sequuntur; quibus finitis, dicitur *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Pater noster*, & Orat. *Deus, cui proprium est misereri*.

Qualiter Exequiæ, & Vigiliæ fiant circa Corpus Defuncti, postquam in Ecclesia est positum. XCIV.

CUm autem Corpus fuerit positum in Ecclesia, Fratres sint ordinati circa corpus, & si est Frater Canonicus, in Chorum defertur, & statim Cantor cum uno ex Fratribus ad Vigilias faciendas assurgens, incipit Invitatorium *Regem, cui omnia vivunt*, Psalm. *Venite*, & semper sine Organo, & stantes dicunt, & alta voce. Nam cum nullum sit dubium, quia mors sit vindicta primi peccati, mortuorum Exequiæ pro ipsorum celebrantur excessibus, & in exequiis Defunctorum ad instar triduanæ Christi sepulturæ, laudis, & lætitiæ cantica subticentur, *ut Domine labia mea aperies*, & *Deus in adjutorium*, & *Gloria Patri*, & *Jube Domne*, & benedictiones, & *Tu autem Domine*, & *Te Deum laudamus*, & *Benedicamus*, & *Deo gratias*: et quia totum Officium Mortuorum agitur ad imitationem eorum, quæ aguntur in morte Domini, ideo et Missa sine *Gloria*, et sine *Alleluja*, et sine *Ite Missa est*, et sine lætitia, et suavitate celebratur. Gaudium enim subticemus, quia tristes in hunc Mundum intravimus, et tristes omnes eximus, et luctus, et gaudium (a)

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur.

Laudes supprimimus, quia quò mortui transeant, ignoramus, et ideo nescimus, unde Deum laudare debeamus, scilicet de justitia, vel de misericordia. Expleto Psalmo *Venite*, et repetito Invitatorio, Cantor incipit Antiphonam de primo Nocturno *Dirige*, et Fratres sedentes dicunt Psalm. *Verba mea*. Antiph. *Convertere Domine*. Psalm. *Domine ne in furore*. Antiph. *Ne quando*. Psalm. *Domine Deus meus*. ℣. *Dirige Domine Deus meus*, & in fine cujuslibet Psalmi dicitur *Requiem æternam dona eis Domine*. Item prima Lectio *Parce mihi Domine*. Responsorium *Credo quod Redemptor*. Secunda Lectio *Tædet animam meam*. Responsorium *Qui Lazarum* resu-

---

(a) Est desumptum, aliqua saltem ex parte, ab Ovidio hæc scribente:
Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas, & amor &c.

refuscitasti. Tertia Lectio *Manus tuæ*. Responsorium *Domine, quando veneris*. In secundo Nocturno Antiph. *In loco Pascuæ*. Psalm. *Dominus regit me*. Antiph. *Delicta juventutis*. Psalm. *Ad te Domine levavi*. Antiph. *Credo videre*. Psalm. *Dominus illuminatio*. ℣. *Animæ eorum in bonis demorentur*. Quarta Lectio *Responde mihi*. Responsorium *Induta est caro*. Quinta Lectio *Homo natus*. Responsorium *Heu mihi Domine*. Sexta Lectio *Quis mihi hoc tribuat*. Responsorium *Ne recorderis peccata mea*. In tertio Nocturno Antiph. *Ne derelinquas me*. Psalm. *Domine ne in furore arguas*. Antiph. *Sana Domine*. Psalm. *Beatus qui intelligit*. Antiph. *Sitivit anima*. Psalm. *Quemadmodum*. ℣. *Collocet eos Dominus cum principibus*. Item septima Lectio *Spiritus meus adtenuabitur*. Responsorium *Domine secundum actum meum*. Octava Lectio *Pelli meæ*. Responsorium *Peccantem me cotidie*. Nona Lectio *Ecce Mysterium* Responsorium *Libera eas de viis Inferni*: & Responsorium *Libera me Domine de morte æterna* si cantetur, cantetur cum Organo. Item in Laudibus Antiph. *Exultabunt Domine*. Psalm. *Miserere mei Deus*. Antiph. *Exaudi Domine*. Psalm. *Te decet Hymnus*. Antiph. *Me suscepit*. Psalm. *Deus, Deus meus* Antiph. *A porta inferi*. Psalm. *Ego dixi*. Antiph. *Omnis Spiritus*. Psalm. *Laudate Dominum de Cœlis*. ℣. *Audivi vocem de Cœlo dicentem mihi*. Antiph. *Ego sum resurrectio, & vita*, vel Antiph. *Animam precamur*, quæ si cantetur, cantetur cum Organo: postea dicitur *Kyrie eleison, Christe eleison*, *Pater noster, & ne nos inducas*. Psalm. *De profundis clamavi*. ℣. *Requiem æternam*. ℣. *A porta inferi*. ℣. *Requiescant in pace*. *Domine exaudi Orationem meam*. Oratio *Deus, cui proprium est misereri*, & aliæ pro Defunctis Orationes dicantur.

Qualiter Vigiliæ Defunctorum protrahantur, quando est opportunum, & pro ipsis Vesperæ dicantur, XCV.

SI vero Frater sero, vel in nocte moriatur, quando necesse fiat, ut Vigiliæ protrahantur, tunc nox dividatur per Vigilias secundum numerum Fratrum, & quælibet Vigilia cum VIIII. Lectionibus, & supradictis Laudibus finiatur. Lectiones autem secundum spatium temporis protrahantur, vel brevientur. In Vigiliis autem Mortuorum tria sunt genera Lectionum, scilicet de Job, de libro Sapientiæ, & ibi incipit. (a) *Melius est ire ad Domum luctus, quàm ad Domum convivii*, & de Sermone Augustini, quem fecit de Mortuis, et de Homelia Evangelii de suscitatione Lazari. Undecumque fuerint sumptæ Lectiones, ita sunt terminandæ: *Beati Mortui, qui in Domino moriuntur*: et nota, quod hoc Psalmo *Te*

(a) Ecclesiastes VII. 3.

Te decet utimur in Exequiis Mortuorum, quoniam sicut ibi agitur de reditu captivitatis Filiorum Israel in terram promissionis, sic homo defunctus de captivitatis miseria proficiscitur ad vitam æternam. Post Vigilias, & si mora magna fuerit, ante sepulturam, cantentur Litaniæ solemniter, & cum Organo, & Vesperæ Defunctorum, & per Fratrum divisiones totum cantetur Psalterium. Missæ quoque dum ipsum Corpus in Ecclesia jacuerit, prout tempus, & Fratrum possibilitas suppetiverit, celebrentur. Et est sciendum, quod si ante mediam Tertiam, vel in Tertia Frater obierit, eadem die poterit sepeliri, quare & Officium usque ad medium diem protrahi valebit. Si autem post medium diem, vel post nonam migraverit, in sequentem diem, si fieri poterit, sepeliri differatur. Cum autem tempus sepeliendi appropinquaverit, sonatis Campanis, Fratres in Choro conveniunt, & Vigiliam cum VIIII. Lectionibus, & Matutinis Laudibus devote peragunt: post Vigilias etiam dicantur Vesperæ pro Defunctis hoc modo. Antiph. *Placebo Domino in regione vivorum*. Psalm. *Dilexi, quoniam*. Psalm. *Ad Dominum, cum tribularer*. Psalm. *Levavi*. Psalm. *De profundis*. Psalm. *Confitebor*, & continuè dicuntur isti Psalmi sine *Requiem æternam*, sed tamen post ultimum Psalmum dicitur *Requiem æternam*, & ℣. *Audivi vocem de Cœlo dicentem mihi*. Antiph. *Animas fidelium*. Psalm. *Magnificat*. *Requiem æternam*. *Kyrie eleison*. *Pater noster: & ne nos inducas*. Psalm. *Lauda anima mea*. *Requiem æternam*. ℣. *A porta inferi*. ℣. *Requiescant in pace*. ℣. *Domine exaudi Orationem meam*. *Oremus Deus, cui proprium est misereri*, & cætera. Et est notandum, quod cum integre Defunctorum celebratur Officium, a Vespera est incipiendum, scilicet *Placebo*, & cætera, & non in Vespera terminandum, quia hoc Officium finem habebit, cum animæ salvandorum ab omni pœna liberatæ lætitia perfruentur æterna.

De Missis pro Defunctis celebrandis, & quare ad eas debet quisque studiosius festinare. XCVI.

Circa finem postremæ Vigiliæ Prelatus, vel cui jusserit ipse, cum Diacono, & Subdiacono indutis Camisis albis se præparent ad Missam celebrandam; & semper, dum Vigiliæ, & Missæ devote celebrantur, Corpus frequenter est incensandum a Fratribus sui ordinis. Ad Missam, Officium *Requiem æternam dona*, & cætera. *Te decet Hymnus*. Epistola *De temporibus*, *& momentis*. . . . (a) *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis*. Graduale *Requiem æternam*. *In memoria*.

(a) 1. Thessal. V. 1. Definit hoc modo in Codice: aliqua itaque adduntur Verbis Apostoli Pauli.

ria. Tractus *Absolve Domine*. Evangelium *Nemo potest venire ad me*, & canitur flebili voce, prope in modum Dominicæ Passionis. In libro autem sunt alia Evangelia, & Epistolæ pro Defunctorum Officio positæ, quæ per Hebdomadas singulis diebus ordinate dicuntur: Offertorium (a) *Domine Jesu Christe*: Postcommunio *Lux æterna luceat*, vel *Propinquorum memoria*. Ad Missas vero Mortuorum tanto quisque studiosius festinare debet, quanto se Defunctorum cognoscit esse debitorem, maxime cum omnes mori debeamus, & ideo magis sollicite pro Mortuis orare tenemur; & sicut post mortem nobis fieri cupimus, sic nos pro aliis in Orationibus assidui esse debemus. Quantum vero expediat pro Defunctis Missarum solemnia facere, inde patet, quod in Historiis invenitur de quodam Sacerdote, qui pro Fratre suo, quem putabat esse defunctum, Missas cotidie celebrabat, (b) quia tamen ipse non erat mortuus, sed vinculatus, cotidie tempore Missarum solvebantur vincula ipsius incarcerati, sicut ipsemet post liberatus assensit. Si enim supplicationes mortuis non prodessent, frustra in locis sanctis exanimata corpora ponerentur. Quia ergo *sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, (c) nos per totum annum omni die Missam Mortuorum in Ecclesia nostra dicimus, exceptis diebus Dominicis, & die Nativitatis Domini, & Epiphania, et sexta feria in principio Quadragesimæ, & in die Cœnæ, & Parasceve, & Sabbato Sancto, & in die Ascensionis. In supradicta tamen quarta feria, & in die Cœnæ pro noviter Defuncto Missam dicimus, si inde fuerimus a Fidelibus exorati. Ad Missas autem Defunctorum thus non debet portari per Chorum, nec offerri, nec thurificari Altare, sed circa corpus tantum, nam in lege prohibitum fuit, ne pro peccatis offerretur oleum lætitiæ, (d) & thus suavitatis, sed luctus, & contritio mentis: & ad easdem Missas pax non datur, quia Mortuis non communicamus. (e) Nos enim sumus in sexta ætate, illi vero in septima. Inde vero cum celebratur Missa de die, non debet esse Corpus intra ambitum Ecclesiæ, sed extra in vestibulum deportari: vel ideo pax non datur, quia utrum cum Creatore pacem habeant, ignoratur, vel quia in exequiis Mortuorum sequimur exequias Dominicæ Passionis, ubi subtrahitur osculum pacis.

De

(a) In Missali Veneto Sæculi XI., quod habemus, legitur pariter in die obitus.

(b) Exemplum simillimum illi, quod hic traditur, docet Gregorius Magnus cap. 57. libri IV. Dialog., & num. 8. Homiliæ 37. in Evang.

[c] II. Machab. XII. 46.

(d) Levit. V. 11. *Non mittet in eam* (partem similæ) *oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est*. Ad quæ Verba Origenes (n. 6. Homiliæ V. *in Levit.*) *Quod ergo pro peccato est, nec Oleum lætitiæ ei, nec thus suavitatis imponitur*.

[e] Vide quæ tradit Ermengaldus contra Waldens. cap. XVII. *de invocat. sanct. & precib. pro Defunct.*

De Officio quod fit ante sepulturam, & qualiter Corpus Defuncti portetur ad sepeliendum. XCVII.

Finita Missa solemni, Campanæ pulsentur, & Archipresbyter, qui Missam cantavit, exuit casulam, & super induit Pluviale, & in Chorum veniens, sumit librum, & alta voce incipit dicere: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison: Pater noster*, & ℣. *Requiescat in pace. Anima ejus in bonis demoretur.* ℣. *Non intres in judicio.* ℣. *A porta inferi*. Oratio *Non intres in judicio*, & tunc Cantor cum aliis, qui sunt ex suo latere, cantant ℟. *Heu mihi Domine*, & Archipresbyter dicit. Orationem *Obsecramus misericordiam*, postea ex alio latere cantant ℟. *Peccantem me cotidie*, & Archipresbyter dicit Oremus *Deus, apud quem mortuorum*, deinde cantatur ℟. *Libera eum Domine*. ℣. *Clamantes*, & Oratio *Deus qui humanarum*. Interim autem dum hæc dicuntur, Sacristæ unicuique Clericorum tribuant Candelam accensam, exceptis illis, qui feretrum, & candelabra, & Crucem, & thuribula, & aquam benedictam portare debent. Expleto Officio quod fit ad Corpus prope tempus sepulturæ, & omnibus præparatis, quæ necessaria sunt, super pectus Defuncti Sacerdotis poni debet calix de Cera compositus, & Crux cerea: Deinde antequam corpus elevetur ad portandum, Archipresbyter reddit testimonium Clero, qualiter, qui defunctus est, confessus fuerit, & percepit Ecclesiastica Sacramenta; et hoc facto incipit alta voce cantare Tractum *Absolve Domine*, et omnes subsecuntur usque ad finem: quo expleto, statim Campanis sonantibus, et Conventum præcedentibus iis, qui Crucem, et aquam benedictam deferunt, et juxta corpus euntibus aliis cum candelis, et thuribulo, ab Archipresbytero aqua benedicta super corpus sparsa, Feretrum sumatur, et ab eisdem portetur ad tumulum, a quibus fuerit adductum, et ab eis etiam sepulturæ tradatur. In Laicis autem sepeliendis hanc consuetudinem observamus in Ecclesia nostra, quo ad faciendum Officium sepulturæ, semper Archipresbyter, vel Episcopus assumpta Stola, et Pluviali facit Officium, ut dictum est, et postea Cereis accensis præcedentibus, et Cruce, cum pervenerint ad januas Ecclesiæ, Rector Ecclesiæ, de cujus Parochia sumptum est corpus, porrigit aspersorium Episcopo, vel Archipresbytero, in porrigendo manum ejus osculans, qui vadens ad feretrum cum eodem Sacerdote, aspergit illud aqua benedicta; et statim portatur ad sepeliendum, scilicet Clericus a Clericis, et præsertim ab illis, qui sunt ejusdem consortii, seu fraternitatis, si adsunt, alioquin *necessitas non habet legem*, et Laicus a Laicis. Mulieres autem (a) Cor-

(a) Ii, ut arbitror, qui feretrum portabant, sudabant brachia, ut agiliores fie.

Corpora Defunctorum portare non debent, ne cogant sua membra lasciviam incitantia denudare, consueverunt tamen ipsę tantum mulierum corpora sepelire.

De Officio quod fit ad sepulturas Defunctorum, & modo sepeliendi. XCVIII.

CUm autem levatur Corpus, ut portetur ad sepulcrum, dicitur Antiph. *In Paradisum deducant te Angeli*, et cætera. Psalm. *Ad te Domine levavi*, et Archipresbyter dicit Orationes, scilicet *Oremus Fratres Charissimi. Deum Patrem*, et cætera. Item Antiph. *In regnum Dei*. Psalm. *Benedic*. Oratio *Te Domine, Sancte Pater*. Item Antiph. *Archangele Christi*. Psalm. *Miserere*. Oratio *Misericordiam tuam Domine*, et alia Oratio *Deus Pietatis*. Item Antiph. *Ingrediatur*. Psalm. *Quemadmodum*. Oratio *Temeritatis quidem*. Item Antiph. *Hæc requies mea*. Psalm. *Memento*. Oratio *Deus vitæ dator*, et aliam *Opus misericordiæ*. Item *Læto animo*. Psalm. *Ego dixi*. Oratio *Viri vulneris*, et aliam *Redemptor animarum*, et sic semper Antiphonæ, Psalmi dicantur a Clericis, et Orationes ab Archipresbytero, vel Episcopo, vel Sacerdote, qui habet Pluviale cum Stola, et Libro, donec corpus sepeliatur. In quorundam exequiis ex consuetudine quarumdam Ecclesiarum non solum Archipresbyter, sed etiam Priores, et Plebani si interfuerint, et Abbates, omnes habent Stolas cum Pluviali, et Librum, et dicunt Orationes cum Archipresbytero, vel alio Prælato. Sed in Laicorum Exequiis tantum tres, vel quatuor Psalmos dicere consuevimus, scilicet *Ad te Domine levavi. Confitemini. Quemadmodum. Memento* sub prædictis eorum Antiphonis, Archipresbytero Stola, et Pluviali induto, dicente solitas Orationes, et Fratribus Antiphonas. In sepulcro autem projicitur aqua benedicta propter illusiones Dæmonum; solent enim desævire in corpora mortuorum, ut quod non potuerunt in vita, saltem faciant in sepultura. Thus apponitur ad ostendendum, quod mortuis prosit auxilium Orationum. Herbæ etiam odoriferæ apponuntur, vel propter admovendum fętorem, vel ad Dei provocandam benevolentiam, cui placent talia officia pietatis. Est autem sic quilibet sepeliendus Christianus, ut capite posito ad Occidentem, pedes directos ad Orientem habeant, in quo innuitur, et quasi positione tali oratur, ut de occasu festinet ad ortum, de Mundo ad Cœlum.

De

---

fierent. & deferendo aptiores, promptioresque, fortasse etiam eandem ob causam, breviores tunicas deferebant. Id ne mulieres faciant, vetat, & recte vetat, Ordo iste.

De Cimiteriis, & Clericorum, & Laicorum ſepulcris, & variis appellationibus ipſorum. XCIX.

EPiſcopi intra Eccleſiam, Sacerdotes vel in Eccleſia, vel in exedris Eccleſiæ ſepeliri conſueverunt. Locus vero, in quo Chriſtianus ſepelitur, Religioſus efficitur, & aliquando per manum Pontificis conſecratur, & benedicitur, de quo ſub determinatione certæ pęnæ ſancitum eſt, ne quis eum violare præſumat, & eſt xxx. vel xl. paſſuum immunitas ambitus ipſius ſecundum Canones. Unde non debet in eo ſepeliri, niſi Chriſtianus, & Catholicus in vera pęnitentia defunctus. Et vocatur Cimiterium, (*a*) quia in eo cinis teritur mortuorum. Dicitur etiam poliandrum, quia Civitas mortuorum, a *polos*, quod eſt *Civitas*, & andros, quod eſt vir. Sepulcrum etiam dicitur, quia ibi qui ſepelitur, eſt ſine pulſu. Varie nominatur, nam dicitur monumentum, quia monens mentem cujuslibet tranſeuntis, quod cinis ſit, & in cinerem revertetur, & dicitur tumulus, quia tumens tellus, & dicitur ergaſterium ab ergo, quod eſt labor, & ſteron ſtatio, quia ibi jacent corpora ſpirituum, qui requieſcunt a laboribus ſuis, & dicitur Sarcoſagus, a ſarcos, quod eſt caro, & fagin, quod eſt comedere, quia ibi caro comeditur, ideſt conſumitur, & nobilis ſepultura dicitur Mauſoleum (*b*) a quodam ſic vocato, cui defuncto ejus uxor fecit fieri glorioſam ſepulturam. Et nota quod Cimiterium ab Abraam ſumpſit exordium, dum emit agrum ad faciendum ſepulcrum. Si autem Chriſtianus in Cimiterio nequiverit ſepeliri, alibi, ubicumque locus aptus fuerit, ſepeliatur. Quandocumque vero extra Cimiterium ſepelitur Chriſtianus, Crux capiti apponatur, vel ad ſignandum eum fuiſſe Chriſtianum, vel quia Diabolus timet accedere, ubi locum ſigno Crucis viderit inſignitum.

(*a*) Cęmeterium a Græco dicitur, ideſt locus dormientium: nam Chriſtianos mortuos recte *dormientes* appellamus. *Jeſus ipſe*, Jo. XI. 11. *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado, ut a ſomno excitem eum:* & Paulus I. Theſſal. 4. 13. *Nolumus vos ignorare de dormientibus* [ideſt de mortuis]. Dicuntur porro *dormientes, in ſomno pacis*, quia per Angelicam tubam in extrema judicii die excitabuntur, *& qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii* (ideſt damnationis) Jo. V. 29. Reliquas etymologias expendat, volo, Lector, qui procul dubio non omnes excipiet.

[*b*] Rege Cariæ celebratiſſimo.

De Officio, quod fit post sepulturam Clerici, vel Laici Defuncti.
C.

CAveant Fratres cum summo studio, ne in Fratris transitu, aut cum sepulturæ traditur, plangant, sive ululent, sicut solet fieri inter seculares homines. Lacrymari vero non prohibemus aliquanto qui voluerit, & potuerit: quia in libro Jesu filii Sirach legitur: *(a) Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus, incipe plorare*. Completis itaque Psalmis cum Antiphonis, & Orationibus, quæ dici consueverunt ad sepulturam, & corpore tradito sepulturæ, Archipresbyter dicit alta voce: *Kyrie eleison; Christe eleison*, postea dicit ad omnes, cantate *Pater noster pro anima istius, & omnium fidelium defunctorum*, & statim omnes redeunt in Ecclesiam cantando ℟. *Si bona suscepimus*: quo finito, dicitur *Kyrie eleison, Pater noster*. ℣. *Requiem æternam*. ℣. *Anima ejus in bonis*. ℣. *Non intres in judicio*. ℣. *A porta inferi*. Orat. *Tibi Domine commendamus*, & Orat. *Commendamus tibi Domine*. Et nota quod post sepulturam Fratris Clerici, Clerus in Chorum redit, & Populus post eum in Ecclesiam, & finitis Orationibus, a Prælato fit sermo consolationis, & commendationis, & Orationis pro Anima Defuncti ad Clerum, & Populum; & tandem facta Confessione, licentiantur omnes cum Sacerdotali Benedictione. Sed post sepulturam Laici Fratres redeunt in Ecclesiam, & ibi extra Chorum fit commendatio Animæ, & finitur Officium more consueto.

A quibus Officium Defunctorum habuit originem, & quare III. VII., & XXX. die pro illis obsecretur, & cætera.
C I.

(b) SCiendum est quod Officium pro Defunctis primo fuit ab Apostolis institutum, sed ab Origene, ut testatur Isidorus in libro *de Offi-*

(a) Eccli. XXXVIII. 16.

[b] Hæc ipsa habes in VII. Durandi libro cap. 35. n. 3. Perquisivi porro tum in Augustini Enchiridio, tum in iis libris, quos Isidorus *de Officiis Ecclesiasticis* edidit, & id, quod hic allegatur, minime inveni. Inveni tamen plurima in rem hanc in iis Alcuini libris, quos *de Officiis Ecclesiasticis* pariter edidit: nam in duobus postremis capitibus secundi libri multa tradit, quæ nisi pro-

Officiis Ecclesiasticis, fuit adauctum, & plenius ordinatum, de quo dicit Augustinus in Enchiridio. *Dicimus Originem in Ecclesiasticis Officiis post Apostolos fuisse secundum*. Hoc Officium a veteri lege

---

proposita brevitas, me prohiberet, hic libentissime proferrem. Consulat itaque ea Lector, rogo. At si ea quæ citantur ex Augustini Enchiridio, minime inveni, alia tamen aptissima inveni cap. 69., & cap. 110. quæ consulat Lector, volo. Ea quoque allegat Alcuinus ante laudatus. Cæterum quamquam in Origene minime inveni ea, quæ hic Scriptor noster allegat, quæ tamen de antiquitate precum, Eleemosynarum, & Sacrificiorum, pro mortuis oblatorum traduntur, in probarissimis aliis Scriptoribus inveni. En quid tradat Chrysostomus (num. 4. Homiliæ III. in Epist. ad Philipp. ad Cap. I.) *Non frustra hac ab Apostolis saat legibus constitata; at in venerandis atque horrificis Sacrificiis memoria eorum fiat, qui decesserant. Noverant hinc multum ad illos lusri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populas stat manibus passis, ac cetas Sacerdotalis, & illud horrorem incutiens Sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes: Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt.* Similiter Rabanus Maurus (cap. 44. libri II. *de Institut. Cleric.*) *Sacrificium* [ait] *pro Defunctorum Fidelium regaie offerre, vel pro eis orare, quia per totum Orbem hoc custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia, qua nisi crederet, Fidelibus Defunctis dimitti peccata, nau pro eorum spiritibus vel Eleemosynam faceret, vel Sacrificium Deo offerret.* In iis etiam Constitutionibus, quas *Apostolicas* vocant, [lib. VI. cap. 29. aliàs 30.] hæc occurrunt. *Congregamini in Cœmeteriis, lectionem Sacrorum librorum facientes, atque psallentes pro Defunctis Martyribus, & omnibus a saeculo Sanctis, & pro Fratribus vestris, qui in Domino dormierunt: item antypam regalis Corporis Christi, & acceptam, seu gratam Eucharistiam offerte in Ecclesiis vestris, & in Cæmeteriie, atque in funeribus mortuorum cum Psalmis deducite eos, si fuerint Fideles in Domino.* Novi equidem istas vel sperni, ut pote quæ temere *Apostolica Constitutiones* dictæ sint, vel referri ad gratiarum actionem, quæ Deo pro Martyrum victoria referatur. Sed quod ad primam responsionem attinet, libens fateor, ab Apostolis ipsis non fuisse Constitutiones has editas: sed ex eorum monitis, & ab Apostolicis viris magna saltem ex parte fuisse compositas ajo: atque hoc ipsum docent probatissimi Critici. Ut alteri responsioni occurras, advertas volo, non modo Martyrum hic fieri mentionem, sed aliorum etiam Fidelium. Pro Martyribus, eorumque Victoria gratias Deo reddimus, pro reliquis Fidelibus, quorum nondum *candidata* sunt stolæ, Deum precamur, ut suffragiis a nobis adhibitis, precibus quoque nostris exoratus dimittat, quod dimittendum adhuc est illis. Adjice ea quæ docet Vicecomes *de Missa Rit.* lib. IV. c. 2. Cæterum, ut ad Origenem revertar, minime nego Origeni tributum fuisse a Veteribus augmentum, & ordinationem Officii Mortuorum. Vide Durandum VII. 35. 3. Multi fuere Origenes in Ecclesia noti: Horum aliquis id, si vis, egit. Multa Origenis Opera periere. In his, si tu pariter vis, erat Mortuorum Officium ab eo auctum, & ordinatum. Quid, quod multa fuere Origeni tributa, quæ ab Origene *Adamantio* composita non fuere? An his accensendum Officium, quod dicimus? Judicaverit Lector.

ſumpſit initium. Nam mortuo Jacob Filii flevere illum [a] XXX. diebus in Ægypto, & VII. in Arad, & mortuo Moyſe flevit Populus XXX. diebus: (b) & in libro Numerorum legitur: *(c) qui tetigerit Cadaver hominis, & propter hoc VII. diebus fuerit immundus, aſpergetur ex hac aqua die tertia, & VII., & ſic mundabitur*. Inde eſt quod ſeptenarium, & tricenarium pro Defunctis Eccleſia obſervat: & quidem tribus diebus celebratur Officium Mortuorum. Purgatio mortui hominis per Sacrificium Sacerdotis tertia die, et ſeptima congruit humanæ naturæ. Conſtat enim hæc anima, et corpore, anima autem, quia tribus columnis erigitur, ut diligat Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, et tres habet vires, rationabilitatem, concupiſcibilitatem, et iraſcibilitatem, corpus vero ex quatuor elementis ſubſiſtit, et quatuor humoribus. Septima vero dies indicat Requiem propter Sabbatum; quod celebrat Eccleſia, ut Defunctus perveniat ad Sabbatum animarum, vel ut ei remittatur univerſitas delictorum, nam ſeptenarius *univerſitatis* eſt numerus, (d) et totum comprehendit hominem, ut dictum eſt, et ideo per ſeptem dies intercedimus pro peccatis, quæ mente, et corpore commiſerunt. Triginta diebus completur menſis, et per menſem curſus vitæ præſentis deſignatur, ut ex ſtatu

---

(a) Verſicul. 3. capitis L. Geneſis hæc extant: *quibus* (Medicis condientibus Cadaver Jacobi) *tranſierunt quadraginta dies: iſte quippe mos eſt Cadaverum conditorum: fleviteque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus*, & v. 10. ejuſdem Capitis: *veneruntque ad aream Arad, quæ ſita eſt trans Jordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleverunt ſeptem dies*.

(b) Deuter. XXXIV. 8. Adde, ſi vis, Aaronis mortem totidem diebus fuiſſe defletam. [Numer. XX. 30.]

[c] XIX. 11. 12. Eaſdem rationes ex hominis conſtitutione deſcriptas profert Alcuinus (*de Divin. Offic.* cap. ultimo) quas expendat, volo, Lector.

(d) Auguſtin. in Quæſtion. *in Deuteron* lib. V. [Deuter. XXIV. 16. Quæſ. XLII. hæc tradit: *An per hunc numerum, quoniam ſeptenarius intelligitur, univerſitatem ſignificare voluit: & ideo non ipſum potius ſeptenarium poſuit, ut diceret in ſeptimam generationem, ut ſic omnis intelligeretur, quia cauſſam perfectionis hujus numeri hoc modo potius intimavit: Ideo namque perhibetur perfectus, quia ex his duobus conſtat, ternario ſcilicet primo impari toto, & quaternario primo pari toto. Unde eſſe & illud propheticum exiſtimo quod aſſidue repetitur*, in primis & quatuor impietatibus non averſabor [Amos I. 3.]: *per quod voluit impietates univerſas potius, quàm tres, vel quatuor intelligi*. Et XI. *de Civitate* cap. 31. multa ad idem confirmandum adducit, ex quibus hæc excerpo: *Hoc itaque ſatis ſit admonere, quod totus impar primus numerus ternarius eſt, totus par quaternarius, ex quibus duobus ſeptenarius conſtat: ideo pro univerſo ſæpe ponitur: ſicut eſt* (Prov. 24. 16.) ſepties peccat juſtus, & reſurget: *id eſt quotieſcumque ceciderit, non peribit . . . Et multa hujuſmodi in divinis auctoritatibus reperiuntur, in quibus ſeptenarius numerus, ut dixi, pro cujuſque rei univerſitate poni ſolet*.

tu Lunæ dignoscitur. Tricenarius etiam constat ex tribus denariis: hunc itaque mortuis celebramus, ut per decem præceptorum observationem perveniant ad Sanctæ Trinitatis perfruitionem; vel ut per Orationes emendentur quæ in statu præsentis vitæ, et in fide Sanctæ Trinitatis, et Opere Decalogi deliquerunt. Per tertiam diem commendati Defuncti reducimus ad memoriam Resurrectionem Jesu Christi, deprecantes, ut ut ejus Resurrectionis ipse sit particeps: vel ut sit membrum Christi, qui in corde terræ triduana jacuit sepultura, vel ut ei peccata dimittantur, quæ commisit cogitatione, verbo, et opere.

De his, quæ facienda sunt pro Fratre Defuncto infra XXX. dies.
CII.

Cum autem ab ipso die sepulturæ usque ad terminos dictos facienda sit memoria Mortuorum, celebrius tamen in dictis terminis pro ipsis Officia peragantur. Si autem propter supervenientem festivitatem, aut aliquam necessitatem non congruerit Missas, & alia pro ipsis Officia celebrare, congruo tempore recuperentur, & interim privatæ pro ipso a Fratribus fiant Orationes. Nam Beatus Gregorius in Dialogo legitur præcepisse [a], ut pro quodam Fratre defuncto XXX. diebus continuis Sacrificium offerretur, ita ut nullus dies omnino prætermitteretur, quo pro absolutione illius non immolaretur hostia salutaris. Et quia si patitur unum membrum, compati debent omnia membra, constitutum est, ut unusquisque Sacerdos infra dies XXX. saltem V. Missas pro Fratre Defuncto celebret, & unusquisque Frater tria Psalteria legat. Qui vero nescit legere, vel non potest, toties dicat *Pater Noster*, aut Psalmum aliquem, si scit, ut compleat numerum Psalmodiæ trium Psalteriorum. Cotidie quoque in mensa infra totum tricesimum poni consuevit de victualibus pro Fratre Defuncto, quantum unus vivens Frater accepit, quod postea Pauperibus tribuatur.

De Anniversario die obitus celebrando.
CIII. *(b)*

Per singulos denique annos pro Fratre Defuncto Anniversarium diem sui obitus, universalis observat Ecclesia, & Officium Defunctorum solemniter ei persolvere consuevit, ut de annis calamitatis perveniat ad annum æternitatis. Sicut enim Anniversarium Sanctorum celebra-

[a] IV. Dialog. cap. 55. (b) De hoc, & Superioribus argumentis, omnino vide, quæ tradit Ereg. Joseph Vicecomes de *Missa Ritib.* lib. IV. toto.

bramus ad ipsorum honorem, & nostram utilitatem, sic etiam Defunctorum, ad ipsorum utilitatem, & nostram devotionem, sperantes eos aliquando ad Sanctorum consortium transituros: ideoque singuli Sacerdotes eadem die, aut, si ea die non poterunt, altera die Missam pro eo celebrent. Reliqui vero Fratres in Missis canendis Sacerdotes adjuvare debebunt, adjuvantes autem Psalmos quinquaginta cantent. Nihil enim est, quod tantum valeat ad vivorum, & mortuorum delenda peccata, quantum Sacri Altaris Hostia, cum lacrymis, & mentis puritate oblata. Anniversarius autem dies ideo repetitur, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeatur in illa vita, quam si aliquo modo oblivioni tradimus [a]. Sunt autem aliqui, quos nihil omnino adjuvant ista, sive dum pro eis fiunt, quorum tam mala sunt merita, ut non talibus digni sint adjuvari, sive pro eis, quorum tam bona, ut non talibus indigeant adjumentis: (b) Et est notandum quandocumque pro Fratrum obitu brevia per Congregationes mitti debent, ultra septimum diem mitti non differantur. (c) Cum vero pro aliorum Mortuis in Capitulo brevia referuntur, ibidem statim cum reverentia, quinque Psalmi a Fratribus decantentur, scilicet *Verba mea. Domine ne in furore. Dilexi. Credidi. De profundis*, & *Kyrie eleison. Pater noster*, & *ne nos. A porta inferi. Domine exaudi Orationem meam. Dominus vobiscum*. Oratio *Absolve Domine animas omnium*.

Qualiter Vigiliæ, & Vesperæ pro Defunctis fiant in Ecclesia nostra per totum annum. CIV.

Notandum est, quod ab Octava Epiphaniæ usque ad quintam feriam Majoris Hebdomadæ, item ab Octava Pentecostes usque ad Vigiliam Nativitatis Domini omnibus diebus ferialibus, quando non est festum novem Lectionum, in mane post Laudes Matutinas facimus tres Lectiones pro Defunctis, & dicimus Antiphonas cum tribus Psalmis, & tribus Lectionibus, & ℟. de primo Nocturno, in secunda, & quinta feria; & tres Antiphonas, cum tribus Psalmis, Lectiones, & ℟. de secundo Nocturno, in tertia, & sexta feria; & tertium Nocturnum, cum totidem Antiphonis, Psalmis, & Lectionibus, & Responsoriis in quarta

(a) Aliqua hic desunt. Sic ea aliqua ratione supple. = Quem si aliquo modo oblivioni tradimus, pessime facimus. Credimus tamen quodcumque agatur, Deo esse acceptum. Sunt autem aliqui, quos nihil omnino adjuvant ista, sive dum &c.

(b) Aug. Enchirid. CX. De octo Dulcitii Quæst. quæs. II. n. 4. Gratiani Decret. par. II. caus. XIII. quæst. 2. cap. 22., & 23. Adde librum Aug. *De cura Mortuorum*, seu, si vis, *de cura gerenda pro Mortuis*.

(c) Vide mutua Suffragia cœtuum Ecclesiasticorum.

ta feria, & Sabbato, & semper cum Laudibus ipsorum. In Quadragesima vero cotidie in Missa Mortuorum post Evangelium facimus novem Lectiones pro Defunctis cum totidem Antiphonis, Psalmis, & Lectionibus, & Responsoriis, & cum Laudibus, nisi in festis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ, quæ veniunt in Quadragesima. Quandocumque autem in mane facimus Vigilias pro Defunctis in diebus ferialibus, ut dictum est, ipsa die, dicta hora Nona, dicimus Vesperas Defunctorum, præterquam in Sabbatis, & Vigiliis solemnium Festivitatum, scilicet S. Mariæ, S. Michaelis, S. Crucis, S. Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, & Evangelistarum, S. Laurentii, Solemnitatis Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiarum, & Sanctorum, quorum propriam Historiam cantamus, vel quorum vocabulum in Ecclesia nostra specialiter celebramus. Præterea in quacumque die facimus novem Lectiones, ea die, nec Vigilias, nec Vesperas pro Defunctis dicimus. Si tamen pro Anniversario alicujus Defuncti fuerimus rogati, tunc celebramus Vigilias hoc modo. Finito Evangelio in Missa pro Defunctis, & dicto Offertorio; Cantor incipit in Chorum vadens, Invitatorium *Regem cui omnia*, altiori voce cantans Psalmum *Venite*, & postea tres Antiphonæ, cum tribus Psalmis, et tribus Lectionibus, et tribus Responsoriis de primo Nocturno dicuntur. Si autem fiant Vigiliæ pro Defuncto Fratre Canonico, cantatur Invitatorium, et *Venite* honorabiliter a duobus Canonicis, et æquali voce, et in tribus Nocturnis tota Vigilia celebratur, et semper post Nocturna cantantur Laudes cum suis Psalmis, et Antiphona ad *Benedictus*, *Animam peccantem*. Quando Vigiliæ non cantantur, ad Benedictus dicitur Antiphona *Ego sum resurrectio*, et tunc semper post Vigilias dicuntur istæ Collectæ scilicet: *Quæsumus Omnipotens Deus*, *ut animabus*. *Deus qui inter Apostolicos*. *Deus veniæ largitor*. *Deus indulgentiarum*. *Deus qui nos Patrem, & Matrem*. *Deus in cujus miseratione*. Et *fidelium Deus*, et eædem Orationes similiter dicuntur post Vesperas Defunctorum. Quando vero] cantantur Vigiliæ pro Anniversario, vel die septima alicujus Defuncti, repetita Antiphona post *Benedictus*, canitur *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, et statim cum Thuribulo fumigante, et Aqua benedicta vadunt Fratres ad sepulturam ejus, pro quo est facta Vigilia, et eundo dicant Psalmum *Miserere*, et *De profundis*, et Sacerdos super sepulturam Aquam benedictam spargit, et eamdem thurificat: et dictis Psalmis, et *Kyrie eleison III.*, et *Pater noster*, dicit tres Orationes, primam die septimo, vel Anniversario, secundam *Deus, cujus misericordiæ*, vel aliam pro Sacerdote, et Orationem *Fidelium Deus*. Et nota quod Vigilias, et Vesperas pro Defunctis semper sedendo canimus, vel dicimus, sed *Venite*, et Lectiones, et Responsoria cum Versibus, et Psalmum *Laudate Dominum de Cælis*, et Antiphonam ad *Benedictus* cum ipso cantico, et Litaniæ stando cantamus. Nam præsente Corpore Defuncti in Ecclesia, vel in Domo sæculari consuevimus post Vigilias cantare solemniter Litanias. Et nota quod quandocumque alicujus Responsorii cantatur Versus, sine Organo can-

cantatur, et semper ille qui cantat Versum, et rectus stat, et solus cantat illum in Choro, præter Versus Responsoriorum, qui cantantur in Vigiliis, quæ solemniter fiunt ad Corpus Defuncti, quorum Versus duo canunt æquali voce, scilicet ille qui legit Lectiones, et alius qui debet legere sequentem Lectionem. Item sciendum est quod tribus de causis Mortui circa Ecclesiam sepeliuntur, scilicet, ut Orationibus fidelium ad Ecclesiam venientium Domino commendentur, et ut sicut Mater Ecclesia Deo mortuos, Christi baptismate genuit, et lacte nutrivit, sic carne mortuos, gremio foveat, ut Orationibus Deo sæpe commendet, et ut sicut sepeliuntur in patrimonio Jesu Christi, sic sint cohæredes in Regno Dei (a).

Quod nullus Presbyter ordinem faciendi Officia Ecclesiastica debeat ignorare.
C V.

HOc itaque Fratres ad utilitatem vestram, et omnium Clericorum Senensis Episcopatus scripsimus, ut qualiter Ecclesiastica celebrare debeatis Officia, nullatenus ignoretis: nam ut ait Apostolus (b) *Qui ignorat, ignorabitur*, quod de eo intelligendum est; qui (c) *noluit intelligere ut bene ageret*. Unde in libro quæstionum ait Augustinus (d): *non omnis ignorans est immunis a pœna. Ille ignorans potest excusari a pœna, qui a quo disceret, non invenit*. Vobis ignosci itaque ulterius non poterit, si non dederitis operam in Officiis Ecclesiasticis addiscendis, cum doctrinam, et formam a Matrice vestra Ecclesia plenarie habere possitis. Ut dicit Nicolaus

---

[a] Vide librum Augustini *de Cura Mortuorum*, seu, ut alii dici volunt, *de cura agenda pro Mortuis*.

(b) I. Corint. 14. 38.

(c) Psalm. XXXV. 4.

(e) I. par. Decr. dis. 37. cap. 16. Citatur autem Aug. ex lib. quæstionum Veteris, & novi Testamen. quæst. 67. Adde, si vis, subsequentia ex Augustino desumpta. Cap. 13. libri XXI. *de Civitate* in eand. sententiam. *Nam si quisquam mali aliquid alterius improbitate, vel errore patiatur, peccat quidem homo, qui vel ignorantia, vel injustitia cuipiam malè aliquid facit*. De libero arbitrio III. cap. 19. n. 53. *Non tibi deputatur ad pœnam, quòd invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis. sed quod volentem sanare contemnis: ista tua propria peccata sunt*. In Epist. ad Sixtum (seu Xistum] olim 105. nunc 194. n. 27. *Per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat . . . quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio*.

laus Papa Clero Constantinopolitano: (a) *Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis, de negligentia, & incuria estis arguendi. Si habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi, & increpandi.* A simili et vos, si non observaretis ordinem, et formam de celebrandis Officiis, non inmerito eritis arguendi. Cum itaque voluntaria ignorantia omnibus sit noxia, Sacerdotibus est periculosa. Unde legitur in Decretis (prima parte dis. trigesima octava cap. I. ex Concilio Toletano IV. cap. 24. sed cum aliqua varietate ab editis: quod in subsequentibus Decretis evenit.) *Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime Sacerdotibus evitanda est, qui Officium susceperunt docendi in populo. Sacerdotes legere Sacras Scripturas,* (frequenter) *admonente Paulo Apostolo ad Timotheum, dicente* (b): adtende Lectionibus, exhortationibus Doctrinæ: semper permane in his. *Sciant ergo Sacerdotes Scripturas sacras, & Canones: & omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quàm operum disciplina.* Item ex eodem (cap. 25.) *Dum Presbyteri in Parochiis ordinantur, Libellum Officialem a Sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant . . . . Cum ergo ad Litanias, vel ad Concilium veniunt, rationem Episcopo suo reddant qualiter susceptum Officium celebrent, vel baptizent,* ne per ignorantiam et in ipsis Divinis Sacramentis offendant. (c)

Item Leo Episcopus Constantinopolitanis (Epistola XXII.) (d) *Si in Laicis videtur intolerabilis inscitia, quanto magis in his qui præsunt, nec excusationis est digna, nec veniæ?*

Item ex dictis Augustini Episcopi. (e) *Quæ ipsis Sacerdotibus necessario sunt addiscenda. Sacramentorum liber, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canon Pœnitentialis, Psalterium, Homiliç per circulum anni in Dominicis diebus, & singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit: quare valde periculosæ Evangelicæ minæ sunt, quibus dicitur:* „ Si cœcus cęco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt. „ De cætero ergo nullus recusset addiscere, et agere Officia, quæ tenetur. Nam ut dicit Clemens eadem distinctione: (f) *Nullus Episcopus . . . qui rebelliter vivit, & discer. & agere bona recusat, magis Diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis, quàm fidelis esse monstratur.*

(a) I. par. Decr. dis. XX. cap. 2. *Item Nicolaus I. Photio in Epist. cujus initium est:* Postquam Beato Petro. „ Hæc in Epist. ordine VI extat col. 1303. Tomi IX. edit. Albrit. Sed ea quæ citantur, extant col. 1306.
(b) I. IV. 3. (c) Postrema verba ab editis absunt.
(d) In edit. Quesnel: XLVI. [erat antea XXIII. *Ad Clerum, & Plebem Constantinopolitanæ Urbis*] cap. I. in quo in edit. Quesnel. ad hunc modum legitur: *Si vix in Laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis qui præsunt nec excusatione est digna, nec venia?*
(e) In Decreto Gratiani verba ista citantur eadem distinct. XXXVIII. cap. 5.
(f) Ibidem cap. 16.

Quod a Matrice Ecclesia quilibet Presbyter debet formam sumere de Officio. Et quod eundem modum teneant. CVI.

QUod autem formam, et Doctrinam Officiorum sumere debeatis a Senensi Ecclesia, ubi est sedes Episcopalis, quæ est spiritualis Mater vestra, *ut non circumferamini omni vento Doctrinæ*, (a) sed unum, et eundem Ordinem cum ipsa in psallendis Officiis teneatis, habetur ex Concilio Toletano XII. distinctione XII. Decretorum (cap. XIII.) *De his qui contra Apostoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit Sancto Concilio, ut Metropolitanæ sedis auctoritate coacti uniuscujusque Provinciæ (b) Cives, Rectores Ecclesiarum unum eumdemque in Psallendo teneant modum, quem in Metropolitana sede cognoverint institutum; nec aliqua diversitate ordinis cujusque, vel Officii a Metropolitana patiantur se sede disjungi. Sic enim est justum, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accepit, & juxta Majorum Decreta, Sedes, quæ uniuscujusque Sacerdotalis dignitatis est Mater, sit Ecclesiastica magistra rationis. Abbatibus sane indultis Officiis, quæ juxta voluntatem sui Episcopi regulariter illis implenda sunt, cætera Officia publica, idest Vesperam, Matutinum, sive Missam aliter quàm in principali Ecclesia celebrare non liceat. Quisquis horum Decretorum violator extiterit, sex mensibus privatus Communione apud Metropolitanum sub Pœnitentia censura maneat corrigendus, quatenus & præterita apud illum transgressionis culpam lacrymis diluat, & necessariam Officiorum Doctrinam studiose addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solus Metropolitanus totius suæ provinciæ Pontifices, & Sacerdotes astringat, sed & cæteri Episcopi subjectos sibi Ecclesiarum Rectores obtemperare his institutionibus cogant.*

Item ex Concilio Bracarensi. *Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem Psallendi Ordo in Matutinis, vel Vespertinis Officiis teneatur, & non diversæ, ac privatæ, neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ.*

AP-

(a) Eph. IV. 14.
(b) In editis additur A, quod plerique interpretantur *Abbates*: sed a nostro Codice abest.

APPENDIX.

NOnnulla adjicienda sunt adhuc, quæ in Appendicem conjicienda duximus. Ea porro, dum Ordinem ipsum edebamus, nondum fuerant ad nos missa, & tamen digna erant, ut ederentur; nonnulla etiam diligentiam effugêre nostram, ideoque hic collocanda erant: postrema hæc tamen paucissima sunt. Ecce porro illa.

Ad Caput XXXVII. Partis I. Pag. 31.

D*E Vigilia Nativitatis Domini, Lectiones de Homelia B. Remigii Episcopi;* desumptæ scilicet ex Codice 400. celeberrimæ Bibliothecæ Senensis, qui inscribitur. *Capitula in expositionem S. Matthæi Evangelistæ edita a S. Remigio Episcopo, & Confessore: quomodo in Ecclesia legantur. In Vigilia Nativitatis Domini* Caput II. Dum porro Scriptor hic citat Bedam, & Vulgata sæpe utitur, perspicue ostendit, se non esse vetustum illum Remigium Remensem Episcopum qui Regem Clodoveum ad Christianam fidem deduxit, sed multo posteriorem, ideoque, nisi fallimur, Remigium Antissiodorensem (quem Episcopum fuisse perperam putaverunt.) Consule Joan. Alb. Fabricium *Biblioth. Mediæ, & Infimæ Ætatis:* aut *Remigium Lugdunensem*, aut alium quempiam cognominem Episcopum: quem probabilem Scriptorem ex hoc ipso monumento disces, cujus Opera si quis in lucem ederet, Litterariæ Republicæ, atque adeo Ecclesiæ toti rem gratissimam faceret.

In Vigilia Natalis Domini. Cap. II.

,, *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria &c.* Nativitatem Domini ,, Nostri Jesu secundum Carnem, qua Dei filius homo fieri dignatus est, ,, Matthæus Evangelista brevi quidem sermone, sed plena veritate descripsit. Cœpit namque ab Abraham generationes Patrum describere, & ,, perduxit eas usque ad Christum. Et ut ostenderet, quantum distaret Nativitas Domini Nostri Jesu Christi a cæterorum hominum Nativitate, ,, subjunxit: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph &c.* ostendit ,, enim illos secundum solitam copulam maris, & fœminę generantes & ,, generatos, istum nec generantem, nec generatum, sed de Spiritu Sancto, & Virgine conceptum, & natum. Et quia Dei filius nasciturus

„ erat in carne; decebat, ut non ex alia nasceretur; quàm ex illa, quæ
„ virgo erat, & quia virgo paritura erat, decebat, ut non alium pare-
„ ret, quàm qui Dei Filius esset. Sed sciendum, quia Beatus Matthæus
„ non tempus, non locum, non ordinem Conceptionis narret, quæ om-
„ nia manifestissimè B. Lucas demonstrat cum dicit: (I. 26.) *In mense*
„ *sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileæ, cui nomen*
„ *Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de Domo*
„ *David; & nomen Virginis, Maria &c.* & quia virgo paritura erat
„ Dei Filium, decebat, ut prius ab Angelo salutaretur, deinde Divina
„ virtute illustraretur, ac sic demum Dei Filium in se susciperet. Quæ-
„ rendum est, quare Dominus Noster Jesus Christus non de simplici vir-
„ gine, sed ex desponsata nasci voluit. Sed sciendum, quia plurimæ ra-
„ tionabiles causæ a SS. Patribus traduntur, (*a*) verumtamen præcipuæ
„ sunt hæ. Prima est, ut per Joseph origo demonstraretur Beatæ Mariæ,
„ quoniam de una tribu fuerunt. Secunda, ne quasi adultera lapidaretur
„ a Judæis, si virum non haberet, & filium procrearet. Tertia, ut fugiens
„ in Ægyptum haberet maritale solatium, quo sustentaretur; hoc est ha-
„ beret virum, qui Dominum in Ægyptum ferret, & referret, & neces-
„ saria fœmineæ fragilitati subministraret, & fidelis custos, & tutor in-
„ tegerrimæ Virginitatis, & testis certissimus, & nutricius esset Domini
„ fidissimus. Quartam addidit Martyr Ignatius, ut partus ejus celare-
„ tur Diabolo, idest ut non haberet Diabolus suspectum partum, dum
„ videret eum ex conjuge natum; si enim de simplici Virgine nascere-
„ tur, facile Diabolus eum Dei Filium agnosceret, & numquam Crucifi-
„ geretur: Unde est illud Apostoli (I. Corint. II. 8.). *Si enim agnovis-*
„ *sent, numquam Majestatis Dominum Crucifixissent* = *Antequam conveni-*
„ *rent*. Hoc verbum conveniendi non ipsum concubitum, sed tempus si-
„ gnificat nuptiarum, idest quando ea quæ fuerat sponsa, incipit esse
„ uxor, & est sensus: *Antequam convenirent:* idest antequam rite solem-
„ nia nuptiarum celebrarent, namque postea accepit eam. Evangelista in sub-
„ sequentibus manifestat cum dicit, quia monente Angelo accepit eam Jose-
„ ph. Et quia non concumbebant, idcircò subjungit, *& non cognoscebat eam.*
„ *Inventa est in utero*. A quo? A nullo alio, nisi a Joseph, qui maritali (*b*)
„ sententia pœne omnia futuræ conjugis noverat, & idcircò tumentem ejus
„ uterum curioso deprehendit intuitu. [℣. 19.] *Joseph autem vir ejus cum*
„ *esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*. Bene
„ justus, quoniam justitiæ custos erat; videbat namque Sponsam concepis-
„ se

[*a*] Exscribuntur hæc fere prorsus ex Commentariis Hieronymi in locum hunc.

(*b*) Legendum *licentia* ex Hieronymo, ex quo hæc desumuntur: Sed in editis Hieronymi Commentariis legimus *pæne maritali*, non, ut hic legitur, *pæne omnia*. Nostri Scriptoris sententia hæc est: Joseph, ut pote Mariæ desponsatus, eam non raro visens, cum ea secreta sua Josepho abdere non consuevisset, videt eam tumentem.

,, se suam, quam noverat a nullo viro fuisse adtactam, videbat gravi-
,, dam, quam vere noverat castam, & quia legerat in Propheta: (a) *de radi-*
,, *ce Jesse exiet virga, & flos de radice ejus ascendet*, & noverat Beatam
,, Mariam originem duxisse de stirpe David, qui fuit filius Jesse, et le-
,, gerat etiam: (b) *Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium*, idcirco
,, non discrepabat, vel diffidebat hanc Prophetiam esse implendam in ea.
,, Et cum esset justus, et omnia juste vellet agere, dignum æstimavit, ut
,, hæc nulli proderet, et jam eam non acciperet uxorem, sed mutato pro-
,, posito nuptiarum, dimitteret eam manere sponsam [c] sicuti fuerat. Et
,, hoc est quod ait Evangelista: *& nollet eam traducere*, idest palam fa-
,, cere, sed *occulte voluit dimittere*, idest tempus nuptiarum mutare.
,, Quod si fecisset, perpauci essent, qui non magis autumarent eam me-
,, retricem, quàm virginem; et idcirco repente consilium Joseph divino
,, mutatum est consilio. (℣. 20.) *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domi-*
,, *ni in somnis apparuit ei, dicens &c.* Justo Joseph juste omnia cogitanti, et
,, disponenti, bene justus directus est Nuntius, qui ad conservandam fa-
,, mam Virginis, monuit, ut eam acciperet uxorem. Hinc Beatissimus Am-
,, brosius ait: (d) *Maluit Dominus quosdam de suo ortu, quam de Matris*
,, *pudore dubitare, maluit aliquos modum suæ conceptionis ignorare, quam*
,, *castitatem suæ Genitricis infamare;* hoc est magis elegit, ut filius fabri
,, diceretur, quàm ut ejus Mater adultera vocaretur. Per hoc enim quod
,, Angelus in somnis apparuit Joseph, requies designatur mentis: et quia
,, requiescebat a curis sæcularibus, idcirco Angelica visitatione pariter, et lo-
,, cutione meruit perfrui. (℣. 20) *Joseph Fili David, noli timere*. Blandien-
,, tis affectu Angelus Joseph alloquitur, cum eum proprio nomine, et filium
,, David vocat: Erat enim filius David non tantam genere, sed fide et
,, imitatione. Accipere Mariam conjugem suam monuit, ut acciperet ad
,, nomen conjugii, non ad opus officii. *Quod enim natum est in ea, de*
,, *Spiritu Sancto est &c.* His verbis et modus conceptionis, et dignitas
,, partus ostenditur. Modus conceptionis cum dicitur, *Quod enim na-*
,, *tum est in ea, de Spiritu Sancto est*. *Quod*, subauditur corpus. Digni-
,, tas Partus ostenditur cum dicit: *Pariet autem filium, & vocabis*
,, *nomen ejus Jesum*. Et sciendum, quia his verbis Angelus non manifeste
,, Christum nominat, sed cum etymologiam nominis illius explanat,
,, quia et Christus est, vera ratione insinuat: ostendit enim eundem to-
,, tius Mundi Salvatorem, et nostræ salutis auctorem. Salvat quidem, non
,, in-

(a) Isa. XI. 1. (b) Isa. VII. 14. [c] Desponsatam intellige.

[d] Allegata invenies hæc Ambrosii verba num. ipso primo libri II. Commentariorum in Lucam, sed cum nonnullo discrimine. En illa ex editione Patrum S. Mauri: *Maluit autem Dominus aliquos de fue ertu, quàm de Matris pudore dubitare; sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putavit ortus sui fidcm Matris injuria adstruendam. Servatur itaque S. Maria, sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione, Virginitas.*

,, incredulos, non infideles, *sed populum suum*, hoc est in se credentem. ,, Salvat non tam a visibilibus hostibus, quàm potius ab invisibilibus, ,, hoc est a peccatis. Salvat, non armis pugnando, sed peccata relaxando. ,, Quod autem tali nomine nuncupari debuisset, longe ante prædixit per ,, Isaiam: (XLV. 21.) *Justus, & salvans Dominus non est præter me.* Et ,, quod tali nomine vocari debuisset, etiam antequam nasceretur, ipse præ- ,, dixit per Prophetam [Is. IL. 1.] (a) *De Ventre Matris meæ vocavit me Domi-* ,, *nus nomine meo.* (℣. 22.) *Hoc autem totum factum est, ut adimplere-* ,, *tur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem.* Quærendum est ,, in hoc loco, quare dixerit Sanctus Evangelista *totum factum esse*, cum ,, superius solam narraverit conceptionem. Et sciendum, quia idcirco San- ,, ctus Evangelista *totum factum* esse dixit, ut per hoc demonstraret, ,, quod ante in præscientia Dei totum factum fuit, quod fieret apud ho- ,, mines. Sive quia præteritarum rerum erat narrator, et ideo totum fa- ,, ctum esse dixit, quia quando hæc scripsit, jam totum factum erat. ,, Mos namque fuit hujus S. Evangelistę pęne omnia quæ dixit, exem- ,, plis veteris Testamenti confirmare, maxime propter illos Judæos, qui ,, ita crediderunt in Dominum Jesum Christum, ut timerent recedere a ,, carnali observatione Legis, ut tanto facilius retraheret eos ab ipso ti- ,, more, quanto jam viderent, et agnoscerent ea esse completa in Gratia ,, Evangelii quæ prædicta, vel gesta fuerant in Testamento veteri. (℣. 23.) ,, *Ecce Virgo in utero habebit &c.* Quod Virgo esset conceptura, et Dei ,, filium paritura, multis demonstratur exemplis. *Salomon* enim dicit ,, (Proverb. IX. 1.) *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas se-* ,, *ptem.* Sapientia Christus est, de quo Apostolus [I. Corinth. I. 24.] ,, *Christum Dei virtutem, & Dei Sapientiam.* Hæc Sapientia, idest Christus ,, ædificavit sibi domum, vel matrem, de qua sumpsit carnem, vel Corpus in ,, Virgine, in quo apparuit visibiliter inter homines, Et Psalmista dicit ,, *Mater Sion.* (b) Mater Sion ipsa est Beata Virgo Maria. (Ps. LXXXV.) ,, *Homo factus est in ea*, quia Filius Dei carnem sumpsit ex ea; *& ip-* ,, *se fundavit eam Altissimus*, quia ipse Altissimus, qui homo factus est, ,, fecit sibi Matrem, de qua nasceretur secundum humanitatem. Hinc et ,, Isaias: (XI. 1.) *De radice*, inquit, *Jesse exiet virga, & flos de radice* ,, *ejus ascendet &c.* (c) De radice Jesse exivit virga, quia de stirpe Da- ,, vid, qui fuit filius Jesse, originem duxit B. Maria, quæ florem mun- ,, ditiæ, idest Dominum Jesum Christum absque macula peccati conce- ,, pit,

---

[a] Nonnulli hæc Prophetæ dicta ad Cyrum, aut ad Joannem Baptistam referunt. Et revera Ecclesia in Capitulo ad Vesperas S Joannis iis utitur. Potissimum vero, &, ut libere loquar, *principaliter* ad Christum referenda esse, interpretes probant. Ne cunctos referam, consule Calmet.

[b] Respicit, ut puto, ad Verba Psal. IX. 15. *Omnes laudationes tuas, in portis filiæ Sion.* Et Psal. CIL. 2. *Et filii Sion exultent in Rege suo.*

(c) Affinia docet Hieronymus in locum hunc. *Virgam, & florem de radice Jesse &c.*

,, pit, & genuit. Hæc eſt virga illa Aaron (Num. XVII. 8.) quæ fron-
,, duit, & frondes in amygdalum produxit. Nam ſicut illa abſque humore
,, ullo terræ, frondes, & frondes in amygdalum produxit, ita & B Maria
,, Virgo abſque ullo humano ſemine concepit, & peperit Chriſtum, &
,, bene Dominus Noſter Jeſus Chriſtus ſimilatur amygdalo, quia ſicut a-
,, mygdalum conſtat ex oſſe, cortice, & medulla, ita Dominus Noſter
,, Jeſus Chriſtus conſtat ex Divinitate, & humanitate, carne ſcilicet &
,, anima. Et quia abſque humano ſemine natus de Virgine, ideo per
,, Prophetam loquitur dicens: (Pſ. XXI. 7.) *Ego autem ſum vermis, &*
,, *non homo*. Nam ſicut vermis ex ligno abſque ullo ſemine naſcitur, ita
,, & Chriſtus de Virgine. Hinc eſt etiam, quod ſecundum Septuaginta In-
,, terpretes Scarabeus de ligno clamat. (a) Quærendum eſt etiam, quare di-
,, cat S. Evangeliſta *habebit*, cum Propheta dixerit *concipiet*. Et ſciendum
,, quia Propheta futura prędicebat, idcircò poſuit *concipiet*; nam illud
,, concipitur quod non habetur: Evangeliſta vero quia de præterito narra-
,, vit hiſtoriam, ideo mutavit *concipiet*, & poſuit *habebit*, quoniam il-
,, lud quod habetur, jam non concipitur, ſed tenetur. Quod autem di-
,, cit: *vocabunt nomen ejus Emmanuel*, ſcilicet Joſeph & Maria, vel quili-
,, bet Fidelis. Quærendum eſt præterea quis interpretatus ſit hoc nomen
,, apud Latinos, Propheta, an Evangeliſta, an aliquis translator. Sed
,, Sancto Evangeliſtæ, quid neceſſe fuit interpretari, cum Hebræis he-
,, bręo ſermone Evangelium ſcripſerit? Fortaſſis quia erat hoc nomen
,, occultum & obſcurum apud Judæos, ſicut nonnulla alia eſſe poterant,
,, idcircò dignum duxit interpretari. Sed magis credendum eſt, quod ali-
,, quis translator ſit interpretatus, ne hoc nomen haberetur obſcurum,
,, vel confuſum apud Latinos. Hoc denique nomine duæ ſubſtantiæ Do-
,, mini Noſtri Jeſu Chriſti, Divinitatis ſcilicet, & Humanitatis in una
,, perſona deſignantur. Qui ante omnia ſæcula ineffabiliter genitus eſt a
,, Deo Patre, idem ipſe in fine temporum factus eſt, & *Emmanuel*, ideſt
,, *nobiſcum Deus*, ex Virgine matre. Quod autem dicitur *nobiſcum Deus*,
,, poteſt intelligi hoc modo, nobiſcum factus eſt, hoc eſt paſſibilis, mor-
,, talis, eſuriens, ſitiens, laſſeſcens, & per omnia noſtri ſimilis abſque
,, peccati affectione. (Hebr. IV. 15.) Sive *Emmanuel*, hoc eſt *nobiſcum*
,, *Deus factus eſt*, quia ſubſtantiam noſtræ fragilitatis, quam aſſumpſit,
,, ſubſtantiæ ſuæ Divinitatis in unitate perſonæ univit, & conjunxit, quan-
,, do *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Et mirum in mo-
,, dum, ut inciperet eſſe quod nos ſumus, & non deſineret eſſe quod
,, erat. [✝. 24.] *Exurgens autem Joſeph a ſomno, fecit ſicut præcepit ei*
,, *Angelus Domini*. Eo aditu rediit vita, quo ingreſſa eſt mors, ideſt per
,, Virginem fœminam, & per obedientem virum. De Virgine terra creatus
,, eſt

(a) Habachue II. 11. hinc verſio *antiqua*, ſeu *Itala* relata a Sabatier ſeptuaginta interpretibus adhærens: *Et Scarabeus de ligno loquetur ea*. Conſule interpretes; Sabatier quoque in locum hunc. Scarabeum quoque ſine ſemine naſci putabant Veteres.

,, est Adam, de Virgine fœmina natus est Christus. **Per inobedientiam Adæ**
,, omnes perditi sumus, per bonum obedientiæ istius Joseph omnes ad pristi-
,, num statum revocamur. Nam his verbis magna nobis virtus obedientiæ
,, commendatur, quibus dicitur: *Fecit sicut præcepit ei Angelus Domini*. Ac-
,, cepit videlicet celebratis nuptiis Mariam, accepit, ut conjux vocaretur, non
,, tamen ut concumberent, quia sequitur: (ỳ. 25.) *Et non cognoscebat eam*.
,, Fuerunt quoque nonnulli, qui dixerunt, quod Joseph B. Mariam non ce-
,, lebratis nuptiis acceperit. Sed dicit Beda: (a) *Ille qui hoc dicit, osten-*
,, *dat, ubi licitum fuit umquam apud Judæos quod Sponsi & Sponsæ simul*
,, *convenirent absque celebratione nuptiarum; & si ostenderit, nos sane*
,, *ejus sensui cedimus: tantum videat, ne aliquid tale proferat, quod Ma-*
,, *trem Domini infamet, & cum hoc ostendere non potuerit, nostræ cedat*
,, *assertioni*. = *Et non cognoscebat eam*. Hoc verbum *cognosco* aliquan-
,, do in Sacris Scripturis pro cognitione ponitur, aliquando pro concu-
,, bitu. Pro cognitione ponitur, ut illud: (Gen. XLII. 8.) *Cognovit*
,, *Joseph fratres suos, ipse tamen non est agnitus ab eis*. Et item: [Luc.
,, II. 43.] *Remansit puer Jesus in Hierusalem, & non cognoverunt Paren-*
,, *tes ejus*. Pro concubitu ponitur ut illud: *Cognovit* (Gen. IV. 1. 25.,
,, & V. 4.) *Adam adhuc Eva uxorem suam, & genuit ex ea filios, & fi-*
,, *lias*. Sic & in hoc loco pro concubitu ponitur: *& non cognoscebat*
,, *eam*; idest non concumbebat cum ea, *donec peperit filium suum*. (b)
,, Fuerunt præterea nonnulli Hæretici, qui dixerunt, quod Joseph & Bea-
,, ta Maria post natum Dominum simul convenissent, & filios procreas-
,, sent, quos Sancti Evangelistæ *Fratres Domini* appellant, & ad suum
,, errorem confirmandum sumpserunt hoc testimonium dicentes: Quod ne-
,, quaquam S. Evangelista (ỳ. 25.) *donec* dixisset, nisi post Dominum
,, natum simul convenissent. Sed procul repellat Deus hunc errorem a
,, cordibus Fidelium. Sciendum est namque, quod S. Evangelista illo tem-
,, pore cognovisse, negare studuit, quo aliqua suspicio oriri potuit,
,, idest ante partum; post partum vero nulli dubium esse, quod non con-
,, venissent, credidit, ideoque negare non curavit. Si enim illa legalis
,, Maria (c) postquam Divino meruit perfrui colloquio, carnali non legitur
,, copulæ permixta, Noe etiam, & Moyses postquam Divinis perfrui
,, eloquiis meruerunt, non concubuisse leguntur, quis sane fidei audeat
,, dicere, hanc Evangelicam Mariam, & hunc Evangelicum virum, Jo-
,, seph scilicet, post natum Dominum convenisse, præsertim cum illis in

,, ca-

(a) Hæc Bedæ Verba in Commentariis in locum hunc Matthæi locum minime inveni. Erunt fortasse in aliis Bedæ operibus, sed quis cuncta Bedæ opera pervolvet, ut commemorata hujusce Scriptoris verba inveniat?

(b) De hoc argumento copiosissime *de Vita, & gestis Mariæ Virginis* disputavi Dissertatione XVI. tota. Hanc Lector consulat. Capite porro III. ejusdem Dissertationis soluta habebit, & S. Hieronymi monitis egregie repulsa ea, quæ hic afferuntur, Helvidii argumenta. (c) Num. XII. 5. &c.

„ castitate permanentibus, singulari gratia natus est Filius Dei. Verumtamen sciendum, quia solet *donec* pro infinito accipi, ut est illud; [Isa. XLVI. 4. antiq. versionis] *Donec senescatis, ego sum*. (a) Numquid postquam illi senuerunt, desiit esse Deus? Non: sed sic est intelligendum: *Ego semper ero*, etiam postquam vos senueritis. Et item: *Vivo ego, dicit Dominus, non delebitur peccatum vestrum, donec moriamini*. Numquid postquam mortui sunt, deletum est peccatum eorum? Non. Si autem ante non est deletum, post mortem minime. Et Psalmista inquit: (Psal. CIX.) *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Numquid postquam facti sunt inimici illius scabellum pedum ejus, desiit Filius sedere a dextris Patris? Non. Sed talis est sensus. Inimici quidem tui pedibus tuis subjicientur, & tu a dextris meis semper sedebis. Et in Evangelio legitur. (Matth. V. 26.) *Amen dico tibi; non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*; & est sensus: Quia numquam reddes, numquam exies. Sic & in hoc loco pro infinito accipitur. [v. 25.] *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum*, idest *numquam cognoscebat*. Sciendum (b) est

V v v

(a) His ipsis Scripturæ locis utitur Hieronymus n. 6. libri adversus Helvidium scripti. Eum consule. Indubitatum est autem, hic indicari Versic. 14. Capitis XXII. Isaiæ, sed ex alia Versione: nam vulgata sic se habet: *Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*. Consule Sabatier.

(b) Tribuitur hic error Manichæis, de quibus Augustinus *de Hæres.* hær. 46. *Christum* (ajunt) *nec fuisse in Carne vera, sed simulatam speciem Carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur*. Num alius tribuendus sit, inquiritur. Idem Augustinus deinceps allegandus (Priscillianistas fortasse innuens) affirmat suo tempore *natum*, idest renovatum errorem hunc: Manichæi autem jam dudum Ecclesiam infecerant. Adversus hunc errorem sæpe disputat Augustinus. Nonnulla tantumodo loca indico, quæ consulat, opto, Lector. (*Serm. CLV. de Verbis Apost.* cap. & n. 7.) *Contra carnem misit* [Deus] *carnem: immo etiam pro carne misit carnem*... Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati: *in carne quidem vera: sed non in carne peccati &c.* Et Serm. LXXV. *de Verbis Evang. Matth. XIV.* [cap. 7. aliàs n. 8.] *Sed accedunt pericula tempestatum etiam errores hæreticorum ... ut dicant Christum non fuisse natum de Virgine, nec Verbum corpus habuisse, sed oculis visum esse, quod non erat. Et ista opiniones hæreticorum nunc nata sunt, quando jam nomen Christi per omnes gentes clarificatur, tanquam Christo jam ambulante super mare .... Itaque si carnem* [Christus] *ostendit, caro erat: si ossa, ossa erant: si cicatrices, cicatrices erant: non enim erat in illo est & non &c.* Copiosissime vero hunc errorem, quem expressissime tribuit Manichæis, refellit Serm. VIII. *in diebus Paschalib.* aliàs 145. *de tempore*: in serie 237. quem adeat, cupio, Lector. Eundem errorem, Priscillianistis tribuit S. Leo M. in celebratissima ad Turribium Asturicensem Episc. Epistola (olim XCIII. in edit. Quesn. XV.) eumque refellit cap. 4. præclaris his dictis: *Quarto autem Capitulo continetur*

„ est enim, quia fuerunt nonnulli Hæretici qui dixerunt, Dei Filium non „ veram carnem ex Virgine sumpsisse, sed imaginarium corpus habuis- „ se, ideoque addidit *suum*, hoc est proprium, non adoptivum, non „ aliunde, neque ex nihilo, sed ex sua substantia, & Sancto Spiritu con- „ ceptum, & natum. Sequitur [Luc. II. 7.] *Primogenitum*. Non etiam „ defuere Hæretici, qui ad confirmandam sententiam sui erroris, hoc „ verbum assumpserunt dicentes: Quod nequaquam S. Evangelista dixisset „ *Primogenitum*, nisi eum fratres sequuti fuissent, eo quod Primogenitus „ dicatur, quem Fratres sequuntur. Sed sciendum (a) quia Primogenitus „ dicitur, non ille solummodo, quem Fratres sequuntur, sed qui primus „ nascitur, sive sequantur eum Fratres, sive non: Legis namque præceptum „ fuit, ut omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domini voca- „ retur, & omnia Primogenita Deo in templo offerrentur, & septem „ diebus essent sub uberibus Matrum, octavo vero die offerrerentur Do- „ mino. [b] Et numquid illa solummodo Primogenita offerentur, quæ „ Fratres sequebantur? Non, sed omnia quæ primo nascebantur. Et item „ legitur: (Exod. XII. 29.) *Quia percussit Dominus omne Primogenitum* „ *in terra Ægypti*. Et numquid illa solummodo Primogenita percussit, „ quæ Fratres fuerunt sequuti? Non, sed omnia, quæ Primogenita sunt, „ tam de hominibus, quam de animalibus. Ergo omnis Unigenitus recte „ potest dici Primogenitus, verumtamen non omnis Primogenitus dicitur „ Unigenitus: Dominus enim Jesus Cristus cum sit Unigenitus, bene dicitur „ Primogenitus, quia primus de Virgine est natus, & natus quidem non de- „ virginavit Matrem, quæ virgo semper permansit. De ea namque scriptum „ est. (Ezech. XLIV. 2. sed cum nonnullo descrimine) *Porta hæc clausa erit:* „ *non aperietur, & vir non transibit per eam, solus Dominus egredietur per eam,* „ *& erit semper clausa*. Et quid mirum si Unigenitus Dei Filius Primogeni- „ tus dicitur, eo quod primus natus sit de Virgine, cum etiam *Primogeni-* „ *tus dicatur Mortuorum*? Unde est illud: (Apocal. I. 5.) *Ipse est testis* „ *fide-*

---

netur, quod Natalem Christi, quem secundum susceptionem veri hominis Catholica Ecclesia veneratur, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, *non vere isti honorent, sed honorare se simulent, jejunantes eodem die, sicut & die Dominico, qui est dies Resurrectionis Christi; quod utique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentatæ videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dogmata Cerdonis, atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis per omnia consonantes.* Cum ergo hunc Priscillianistarum errorem reticeant Philastrius, & Augustinus, quamquam hic moneat *de Christo Sabellianam sectam* eos *tenuisse, eundem esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum Sanctum*, ex eorum silentio discimus, eundem errorem primum conticuisse, sed deinceps detexisse Priscillianistas: aut potius veteribus erroribus hunc deinceps adjecisse.

(a) Rursus Consule Hieronymum.

(b) Octavo circumcidebatur, quadragesimo offerebatur in templo. Vide quæ dixi de Mariæ gestis disputans dissert. XXI. & XXII. Fortasse hic aliquid deest.

,, *fidelis Primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ*. Bene quidem
,, Primogenitus mortuorum dicitur, quia ipse primus a mortuis resurre-
,, xit, & nobis aditum resurgendi de morte ad vitam dedit. Dicitur
,, etiam *Primogenitus in multis Fratribus*, ut illud Apostoli: (Rom. VIII.
,, 29.) *Quos autem præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis fi-
,, lii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis Fratribus*. In quibus multis?
,, In illis videlicet, de quibus Joannes Apostolus ait: (Jo. I. 12.) *Quot-
,, quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Et scien-
,, dum, quia non solum dicitur Primogenitus in illis qui post eum fue-
,, runt, sed etiam in illis, qui ante nativitatem ejus exstiterunt: Qui
,, bene possent dicere cum Joanne: [Jo. I. 27.] *Post nos venit vir, qui
,, ante nos factus est*, idest post nos natus est, qui potentia suæ Divini-
,, tatis nos præcellit. Primogenitus etiam dici potest secundum ipsam
,, Naturam Divinitatis, ut illud: (Eccli XXIV. 5.) *Ego ex ore Altissimi
,, prodivi, primogenita ante omnem Creaturam*. Sapientia loquitur: Sapien-
,, tia Christus, de qua Apostolus (I. Cor. I. 24.) *Christum Dei virtutem,
,, & Dei Sapientiam*. Hunc Christum Dei virtutem, & hanc Dei Sapientiam
,, Virgo Mater in fine temporum concepit, & peperit, [Jo. I. 14. Luc. II. 7.]
,, quem Deus Pater ineffabiliter ante omnia sæcula genuit. Præterea dicitur
,, Primogenitus, eo quod ipse primus aperuit vulvam Sanctæ Matris Ec-
,, clesiæ, ad procreandos Dei filios per aquam Baptismatis. (℣. 25.]
,, *Et vocavit nomen ejus Jesum*. Liquet hoc nomen fuisse notissimum San-
,, ctis Patribus, & Dei Prophetis, & maxime illi qui dicebat: (Psalm.
,, CXVIII. 81.) *Defecit in salutari tuo Anima mea*, idest considerando
,, salutare tuum, anima mea defecit. Et item: (Ps. XII. 6.) *Exultavit
,, cor meum in salutari tuo*. Et ille qui dicit: (Habachuc III. 18. sed
,, cum nonnullo discrimine) *Ego autem in Domino exultabo, gaudebo in Do-
,, mino Jesu meo*. Et permaximum est illud: (Ps. LIII. 1.) *Deus in nomine
,, tuo salvum me fac;* idest gloria tui nominis, quo Salvator diceris, in me
,, salvando glorifica, ut tuum nomen sit super me. ,,

AD CAPUT XLVIII. Partis I. Pag. 45. ad annotationem *(d)* hæc adjice.

Dixi, & recte dixi, diu perquisitas fuisse a me additiones, quæ hic indicantur. Eas tandem inveni in Missali Gallico, seculo, nisi fallimur, XIV. conscripto, quod paucos ante dies Bibliothecæ nostræ acquisivi. En illas, demptis Musicis notis, quæ id quod agimus, minime juvant.

Lux & Origo lucis, summe Deus, eleison.
Tu cujus nutu constant cuncta semper, eleison:
Qui solus potes miserere nobis, eleison.
Redemptor omnium, & salus eorum, benigne nobis eleison.

 Per

Per crucem redempti a morte perenni te exoramus, eleison,
Qui es Verbum Patris, sator pietatis, lux veritatis, eleison.
Paraclyte Spiritus alme Deus nobis, eleison:
Medicina nostra, & misericordia, eleison.
Trinitas, & unitas Sancta, nostri semper eleison.

AD CAPUT CVI. ejusdem Partis, Pag. 94. hæc adjice.

Dominica prima Quadragesimæ.

℟. *In te Domine sperant omnes animæ dicentes: cito Deus miserebitur nostri, quia tu Domine locutus es dicens: Gaudeo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonagintanovem justis, qui non indigent pœnitentia.*

℣. *Invoca me in die tribulationis tuæ: eripiam te, & magnificabis me, peccatori autem dixit Deus. Gaudeo.*

℟. *Tribularer, si nescirem misericordias tuas. Domine, tu dixisti: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Qui Chananæam, & publicanum vocasti ad pœnitentiam.*

℣. *Et Petrum lacrymantem Domine suscepisti, & nostras deprecationes suscipe misericors: exaudi nos Salvator Mundi. Qui Chan.*

Ad Completorium Antiph. *Exaudi nos Domine, qui exaudisti Jonam de ventre cœti: exaudi nos Domine, qui exaudisti David prostratum jacentem, & dicentem: parce, parce, & defende plasma tuum, Deus noster.*

Antiph. *Vigilemus, & oremus in hac nocte, ut non subripiat nos callidus tentator: Angelus Domini custodiat nos in hac nocte, perducat nos ad horas Matutinas ante Sacrum, & Sanctum Altare.*

AD CAPUT CXXVI. Pag. 110. hæc adjice.

De Officio in Dominica de Passione.

Ad Magnificat Antiph. *Abraham pater vester &c.* ut in secundis Vesperis. Ad Completorium Antiph. *Ego sum Pastor.* Psalm. *Cum invocarem.* ℟. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* ℣. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.* ℟. *In pace.* ℣. *Custodi nos.* Antiph. *Pastor bonus.* Psalm. *Nunc dimittis.*

Ad Matutinum Antiph. *Populus Domini, & oves pascuę ejus, venite adoremus eum. Venite.*

In primo Nocturno Antiph. *Ego sum Pastor bonus, qui pasco oves meas, & pro ovibus meis pono animam meam.* Psalm. *Beatus.* Antiph. *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis, dicit Dominus.* Psalm. *De-*

Domine, Deus meus. Antiph. *Libera me Domine & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*. Pſalm. *Salvum*. ℣. *Erue*. *Animæ impiorum fremebant adverſum me*.

In ſecundo Nocturno Antiph. *Aggravatum eſt cor meum ſuper eos*. Pſalm. *Conſerva*. Antiph. *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me*. Pſalm. *Exaudi*. Antiph. *Mittens hæc Mulier in corpus meum hoc unguentum, ad ſepeliendum me fecit*. Pſalm. *Diligam*. ℣. *De ore leonis*.

In tertio Nocturno Antiph. *Sicut exaltatus eſt ſerpens in Eremo, ita exaltari oportet filium hominis*. Pſalm. *Cæli*. Antiph. *Rogabo Patrem meum, ne deficiat fides tua, Petre*. Pſalm. *Exaudiat*. Antiph. *Si mihi non creditis, vel operibus credite, quæ ego facio in nomine Patris mei*. Pſalm. *Domine in virtute*.

Primum & ſecundum Reſponſorium uti in editis hodieque legitur.

Tertium ℟. *Qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum dicentes: Deus dereliquit eum: perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt, qui liberet eum: Deus meus, ne elongeris a me: Deus meus in adjutorium meum intende*. ℣. *Omnes inimici mei cogitabant mala mihi, verbum iniquum mandaverunt adverſum me dicentes*. *Perſequimini*.

Quartum ℟. *Adjutor & ſuſceptor meus tu es, Domine & in verbum tuum ſperavi: declinate a me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei*. ℣. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me*: *Declinate*.

Quintum ℟. *Deus, Deus es tu, ne diſcedas a me, quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adjuvet*. ℣. *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? longe a ſalute mea*. *Quoniam*.

Sextum ℟. *Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui. Quoniam tu es patientia mea*. ℣. *Deus, Deus meus, ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum reſpice*. *Quoniam*.

Septimum ℟. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam: redime me Domine*. ℣. *Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo libera me*. *Redime*.

Octavum ℟. *Tota die contriſtatus ingrediebar, Domine, quoniam anima mea repleta eſt illuſionibus, & vim faciebant, qui quærebant animam meam*. ℣. *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur*. *Et vim*.

Nonum ℟. *Ne avertas faciem tuam a puero tuo, Domine, quoniam tribulor, velociter exaudi me*. ℣. *Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me*. *Quoniam*.

Alia adjiciuntur Reſponſoria: hæc ſcilicet: ℟. *In proximo eſt tribulatio mea Domine, & non eſt qui adjuvet, ut fodiant manus meas, & pedes meos: libera me Domine de ore Leonis, ut portem nomen meum fratribus meis*. ℣. *Deus, Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? longe a ſalute mea*. *Ut narrem*. ℟. *In te jactatus ſum ex utero, de*-

ventre Matris meæ, Deus meus es tu, ne discedas a me, quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet. ℣. *Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam. Quoniam.* ℟. *Vide quia tribulor, velociter exaudi me, intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me Domine.* ℣. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus iu me libera me. Propter.* ℟. *Pacifice loquebantur mihi inimici mei: & in ira molesti erant mihi.* ℣. *Omnes inimici mei cogitabant mala mihi, verbum iniquum mandaverunt adversum me. Vide Domiue.* ℟. *Quid me quæritis interficere? hominem qui vera loquutus sum vobis. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, sin autem bene, cur me cędis?* ℣. *Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod opus vultis me occidere? Si male.* ℟. *Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo libera me: qui cogitaverunt supplantare gressus meos.* ℣. *Acuerunt linguas suas, sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Qui cogitaverunt.*

In Laudibus ad Benedictus Antiph. *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, dicit Dominus.* Ad primam Antiph. *Sicut exaltavit.* Ad tertiam Antiph. *Libera me Domine.* Ad sextam Antiph. *Quid molesti.* Ad nonam Antiph. *Mittens hæc.* ℟. *Principes persecuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua.* ℣. *Quasi qui invenit spolia multa. Lęta.* ℣. *Erue.* Ad Magnificat Antiph. *Dicebat Jesus turbis Judæorum & principibus Sacerdotum, qui est ex Deo, verba Dei audit. Responderunt Judæi & dixerunt ei, nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dęmonium habes? Respondebat Jesus: ego Dęmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.* Psalm. *Magnificat.*

Feria secunda Invitatorium *Præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei.* Psalm. *Venite.* Ad Benedictus Antiph. *In novissimo autem die magnæ festivitatis stabat Jesus, & clamabat dicens, si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Antiph. *Si quis sitit, veniat & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

Feria tertia Invitatorium *Ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Deus noster.* Psalm. *Venite.*

Feria quarta Invitatorium *Nos autem omnes Populus ejus, & oves pascuæ ejus.* Psalm. *Venite.*

Feria quinta Invitatorium *Ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea.* Psalm. *Venite.*

Feria sexta Invitatorium *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi semper, hi errant corde.* Psalm. *Venite.*

Sabbato Invitatorium *Quibus juravi in ira mea, si intrabunt in requiem meam.* Psalm. *Venite.*

AD

AD CAPUT CCLXII. Pag. 252. hæc adjice.

(Ex Antiphonario: Cod. 800.)

De Processione, & Responsoriis. In Dominica de Trinitate:

℟. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen Maiestatis ejus in æternum.* ℣. *Replebitur Majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.* Post Orationem: *Via Sanctorum omnium.*

In die Assumptionis.

Specialis Virgo inter agmina Virginum gaude munere magnifico, quæ sola Regem Regum ferre, Maria, digna fuisti casta intra viscera: qui minoratus paulum ab Angelis est, Deitate qui Patri consimilis. (a) ℟. *Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia.* ℣. *Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum.* ℟ *Magnus Dominus & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus.* ℣. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis,* ℟. *Summæ Trinitati, simplici Deo, una Divinitas, æqualis gloria, coeterna Majestas, Patri, prolique, sanctoque flamini, qui totum subdit suis orbem legibus.* ℣. *Præstet nobis gratiam Deitas Beata, Patris ac nati pariterque Spiritus almi.* ℟. *Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu: laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.* ℣. *Benedictus es Domine in firmamento Cæli, & laudabilis & gloriosus in sæcula.*

De Sancta Maria:

Specialis Virgo inter agmina &c.
Cæli Regina Maria, te jure fatemur,
Ex cujus thalamo processit Justitiæ Sol.
Virgo Creatoris Cælorum Mater, & orbis,
Innocuis manibus, mundo quoque corde beata
Rite Dei pingues meruisti scandere Montes.
Aula Maria Dei, casti titulusque pudoris
Porta Sion rutilis semper fundata Saphiris:
Quæ clausa es cunctis, patuisti sola Tonanti,
Suscipe servorum miserans pia vota tuorum.

℣. *Ave, o Theotocos Virgo Maria, quæ trinam Mundi regentem machinam protulisti, hinc rite exaltata supra sydera laudaris per sæcula.*

AD

(a) Fortasse non servatur Ordo Festivitatum, & nonnulla permixta hic sunt.

AD CAPUT CCLXXXVIII. Pag. 269. hæc adjice.

(Ex Antiphonario Cod. 800.)

De Officio in Mense Octobris. In primo Nocturno Antiph. *Beati qui in lege tua jugiter meditantur, Domine, Beati qui in te confidentes tibi serviunt in timore: de monte sancto tuo nos clemens exaudi: ne nos arguas in die furoris tui.* Psalm. *Beatus &c.*

AD CAPUT CCCLXI., ET CCCLXII. Pag. 331., & 332. hæc adjice.

(Ex Antiphonario Cod. Memb. in fol. magno Bib. Acad. Sen. n. 800.)

In Natale Sancti Petri Apostoli.

Ad Magnificat Antiph. *Beatus Petrus Apostolus vidit sibi Christum occurrere: adorans eum ait: Domine quo vadis? Venio Romam iterum crucifigi.* Psalm. *Magnificat.*

Ad Matutinum Invitatorium *Tu es Pastor ovium, Princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus claves Regni Cælorum.* Psalm. *Venite. Regem Apostolorum Dominum.* Psalm. *Venite.*

In primo Nocturno Antiph. *In plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Psalm. *Cæli enarrant.* Antiph. *Ait Petrus Principibus Sacerdotum: Jesum quem vos interemistis, suspendentes in ligno, hunc Deus suscitavit, & Principem ac Salvatorem exaltavit ad dandam pœnitentiam, in remissionem peccatorum.* Psalm. *Benedicam.* Antiph. *Petrus Apostolus dixit paralytico: Ænea, sanet te Dominus Jesus Christus: surge, & sterne tibi. Qui continuo surrexit, & omnes qui aderant, conversi sunt ad Dominum.* Psalm. *Eructavit.* ℣. *In omnem terram.* ℟. *Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te, & super plebem meam Principem te constitui. Et claves Regni Cælorum tradidi tibi.* ℣. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quod &c. Et claves.* ℟. *Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas: Domine tu nosti: quia amo te. Et animam meam pono pro te.* ℣. *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et animam.* ℟. *Tu es Pastor ovium Princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia Regna Mundi, & ideo traditæ sunt tibi claves Regni Cælorum.* ℣. *Tibi enim a Domino collata est omnis potestas animas ligandi atque solvendi.* (In vetustissimis Codicibus, deest vox animas.) *Et ideo.*

In secundo Nocturno Antiph. *Factum est, ut quadam discipula nomine Tabitha, plena operibus bonis, & eleemosynis infirmata moreretur: miserunt*

autem Discipuli ad Petrum dicentes: ne pigreris venire usque ad nos. Psalm. *Omnes Gentes.* Antiph. *Adveniente Petro circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* Psalm. *Exaudi Domine deprecationem.* Antiph. *Ponens Petrus genua sua oravit, & conversus ad corpus dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit, dansque illi manum erexit eam & orphanis ac viduis assignavit vivam.* Psalm. *Exaudi Domine &c.* ℣. *Constitues eos Principes.* ℟. *Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas. Et extendens manum, apprehendit eum, & dixit Jesus: modicæ fidei, quare dubitasti?* ℣. *Cumque vidisset ventum validum venientem timuit, & cum cœpisset mergi clamavit, dicens: Domine salvum me fac. Et Extendit.* ℟. *Surge Petre, & indue te vestimenta tua, accipe fortitudinem ad salvandas gentes. Quia ceciderunt catenæ de manibus tuis.* ℣. *Angelus autem Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: surge velociter. Quia.* ℟. *Tu es Petrus &c.* ℣. *Quodcumque ligaveris &c.*

In tertio Nocturno Antiph. *Cornelius Centurio vir religiosus, ac timens Deum, vidit manifeste Angelum Dei dicentem sibi: Corneli mitte & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Psalm. *Confitebor.* Antiph. *Aperiens Petrus os suum dixit: in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & operatus est justitiam, acceptus est illi.* Psalm. *Dominus regnavit.* Antiph. *Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Psalm. *Dominus regnavit.* ℟. *Nimis honorati sunt.* ℟. *Quem dicunt homines esse filium hominis? dixit: Jesus Discipulis suis. Respondens Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* ℣. *Beatus es Simon bar-iona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in Cœlis. Et ego.* ℟. *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* ℣. *Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu.* ℟. *Petre, amas me? tu scis Domine quia amo te. Pasce oves meas.* ℣. *Simon Joannis diligis me plus his? tu scis Domine, quia amo te. Pasce.* ℟. *Cum esset Petrus in Cruce venit turba multa maledicens Cæsarem, & fecerunt planctum magnum ante Crucem, Petrus exhortabatur eos de Cruce dicens: Nolite flere, sed gaudete mecum, quia vado vobis parare locum.* ℣. *Gratias tibi ago, Pastor bone, quia oves, quas tradidisti mihi, compatiuntur mecum in sempiternum, & cum hoc dixisset ait: Nolite.* ℣. *Ora pro nobis Beate Petre.*

In secundis Vesperis, ad Magnificat Antiph. *Gloriosi Principes Terræ &c.* Antiph. *Cum esset Petrus in Cruce orabat Dominum dicens: Gratias tibi ago, Pastor bone, qui me ad hanc gloriam perducere dignatus es, peto ergo, ut oves, quas tradidisti mihi, participentur mecum de gratia tua in sempiternum.*

AD

AD CAPUT XXI. Partis II. Pag. 421.

Ad verba *unde Beatus Augustinus*. Locum, in quo hæc tradat Augustinus, diligenter, & diu perquisivi, nec eum inveni: eaque de causa eum non indicavi. Postea vero eadem fere verba citata vidi in Gratiani Decreto (III. par. *de Conf.* dist. 5. cap. 24.) & tributa Hieronymo. *Item Hieronymus: Non mediocriter errat . . . . Non enim verbis tantum, sed corde orandus est Deus. Melior est quinque (a) Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quàm totius Psalterii modulatio cum anxietate cordis, & tristitia*. Citatur autem in margine regula Monachorum (a Lupo de Ulmeto ex variis Hieronymi locis contexta:) quam dum consulo, invenio allegatas Epistolas ad Rusticum, & *ad* Furiam, & ad Lætam, quas pariter dum consulo, invenio num. 15. Epistolæ ad Rusticum [in editione Veronensi 135.] subsequentia Verba. *Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo* (I. Corinth. 14. 15.): *psallam spiritu, psallam & mente*: &, *cantantes in cordibus vestris Domino*: legerat enim esse præceptum, *Psallite sapienter*. (Psal. XLVI. 8.) Reliqua quæ sequuntur tam in Decreto Gratiani, quam in Regula Lupi ab Ulmeto, inter quæ sunt verba allegata *Melior est septem Psalmorum &c.* neque in Epistola *ad Rusticum*, neque in Epistolis ad Furiam, & Letam, quæ in margine Regulæ Lupi ab Ulmeto ex Hieronymi verbis contexta citantur, invenire ego potui. Erunt ergo, si vis, verba Hieronymi ista, sed aut periit liber ille Hieronymi, in quo hæc extabant, aut forte potius sensus verborum Hieronymi, quam verba ipsissima hic allegantur.

CUNCTA QUÆ SCRIPSIMUS ROMANÆ ECCLESIÆ JUDICIO SUBJECTA SUNTO.

NOS

(a) Aliter *septem*.

NOS D. JOANNES QUATTRINI VENETUS

Abbas Generalis Canonicorum Regularis Congregationis SS. Salvatoris Ordinis S. Augustini.

CUm Librum, cui titulus: *Ordo Officiorum Ecclesiæ Senensis editus, & illustratus a Reverendissimo Patre D. Jo: Chrysostomo Trombelli ejusdem Congregationis Ex-generali, & S. Salvatoris Bononiæ Abbate*, aliquot nostræ Congregationis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, concedimus, ut Typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, & Sigillo Officii nostri munitas dedimus.

Venetiis die XV. Martii 1766.

Loco ✠ Sigilli.

D. Marcus Capovilla Cancell.

Vidit D. Aurelius Castanea Pœnitentiarius.

Die 7. Maii 1765.

Ad. R. P. Joannes Antonius Alberghini Presbyter Oratorii S. Philippi Nerii videat pro S. Officio, & referat.

Fr. P. P. Salvatori Inquisitor Coadjutor Sancti Officii Bononiæ.

Die 22. Maii 1765.

Jubente Reverendissimo P. Inquisitore legi hunc librum, nihilque in eo deprehendi, quod Catholicæ Religioni, aut probis moribus adversetur. Ita est

Joannes Antonius Alberghini Presbyter Oratorii.

Die 25. Maii 1765.

Stante suprascripta attestatione.

Imprimatur.

Fr. P. P. Salvatori Inquisitor Coadjutor Sancti Officii Bononiæ.